HISTORIA CRITICA

SCHOLIASTARUM LATINORUM.

SCRIPSIT

W. H. D. SURINGAR,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT.

PARS PRIMA.



LUGDUNI BATAVORUM,

SUMPTIBUS S. ET J. LUCHTMANNORUM

ET J. C. CYFVEERII.

1834.

Lapides et ligna ab aliis accipio: aedificii tamen exstructio et forma, tota nostra. Architectus ego sum, sed materiam varie undique conduxi. Nec aranearum sane textus ideo melior, quia ex se fila gignunt: nec noster vilior, quia ex alienis libamus, ut apes.

JUSTUS LIPSIUS in Notis ad Politic. L. I. c. I.
(Oper. Omn. T. IV. p. 203.)

W. H. D. SURINGAR

HISTORIA

CRITICA

SCHOLIASTARUM

LATINORUM.

I.

W. H. D. SURINGAR

HISTORIA

CRITICA

SCHOLIASTARUM

LATINORUM.

I.

W. H. D. SURINGAR

HISTORIA

CRITICA

SCHOLIASTARUM

LATINORUM.

II.

W. H. D. SURINGAR

HISTORIA

CRITICA

SCHOLIASTARUM

LATINORUM.

II.

CONSPECTUS PARTIS PRIMAE.

INTRODUCTIO.

CAPUT I.

CAPUT II.

§.

CA-

CAPUT VI.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS TERENTII . . . p. 77.

CA-

CAPUT VII.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS ASELLIONIS . . . p. 112.

CAPUT VIII.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS LUCRETII . . . . » 114.

CAPUT IX.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS CICERONIS . . . » 116.

§.

CAPUT X.

§.

CAPUT XI.



DE

ANTIQUIS INTERPRETIBUS

SCRIPTORUM LATINORUM.

De antiquis interpretibus Scriptorum Latinorum peculiarem notitiam exhibiturus, nisi me forte amor suscepti operis fallit, laborem mihi videor suscepisse utilissimum. Qui enim adhuc de Latinis scriptoribus exposuerunt Viri Docti, etsi de nullius laude quidquam detractum velim, videntur, ad unum omnes, in eo satis habuisse, quod interpretum commemoratione vel levissime functi sint, vel eos commemorare plane neglexerint. At vero antiqui isti interpretes, qui, quod scriptis commentariis sive scholiis Latinos scriptores interpretati sint, vulgo Commentatorum vel Scholiastarum nomine appellantur, digni omnino censendi sunt, in quorum aetatem et doctrinam accuratius inquiratur; ipsorum enim, quotquot supersunt, lucubrationes merito plurimum prodesse existimantur Veterum Literarum studio: quandoquidem grammatica cujusque scriptoris interpretatio non aliunde majus sibi praesidium

petere possit, quam ex antiquis commentariorum reliquiis, qui conscripsi sunt ab hominibus, qui vel ipsorum Veterum aevo vixerunt vel aevum illud aetate sua proxime attigerunt.

Causas neglectae commemorationis investiganti facile perspicere licet. Primum enim: aetas omnium fere antiquorum interpretum, quorum quippe plerique ex eo sint aevo ut a Veteribus ipsis memorari non potuerint, plane obscura est, nec aliunde constituenda quam ex levissimis quibusdam indiciis, quae ipsi, etsi rarissime, in suis annotationibus injiciunt. Deinde plerorumque doctrina, qualis fuerit, quum aliena testimonia desiderentur, haud aliunde potest cognosci quam ex ipsis lucubrationum reliquis; quae, si, quales ab iis conscriptae sunt, tales etiamnum exstarent, facile suspicioni et conjecturae occasionem praeberent: sed accidit his omnibus, quotquot supersunt, hoc malum, ut ex notis interpretum diversae aetatis et eruditionis conflatae sint. Et vero non iniqua est Crameri querela, qui nuper in Not. ad Schol. Juvenal. p. 3. ita scripsit: „*Scholiastarum omnium fere haec facies est, ut fundamenti loco sit antiquus aliquis Grammaticus, doctus hercle, rerumque, quas tractavit, quo propior aberat ab illo quem illustravit scriptore, tanto etiam peritior; ad quem vero deinceps alii mediae aetatis magistelli, monachi, scholares, suas nugas suaque aegri somnia allinere instituerunt, neque in his sordibus substitere, sed quae proba recta, ea detrahendo, interpolando,*

do, mutando ita in pejus reformarunt, ut pristini auctoris facies passim aut plane oblitteraretur, aut sui prorsus dissimilis evaderet." Accedit etiam alia, eaque non levis difficultas: si enim difficile est judicare de aetate et doctrina eorum interpretum, quorum opera qualiacunque etiamnum habemus, multo sane difficilius erit quidquam conjicere de iis, quorum opera penitus interierunt; atqui eorum, quotquot olim fuerunt, longe paucissimi supersunt, et plurimorum lucubrationes ita perierunt, ut de his nihil ad nos pervenerit praeter levem memoriam recentiorum Grammaticorum, qui sua aetate etiam praeclara ista monumenta habuerunt. Longam seriem, etsi nedum omnes, numerat Barthius Adv. L. XLVII. c. 14. „*Exstant Grammaticorum Criticorum non paucae exegeses ad classicos scriptores, quae inquirunt in tradita eorum, utilia enarrant, seponunt quae culpam trahere videntur. Quo in genere nobilissimi olim fuerunt Aelius, Stilo, M. Varro, Crassitius, Statilius Maximus, Asconius Pedianus, Servius, Victorinus, Donatus. Sic a Veterum Grammaticorum choro laudantur Aruntius Celsus ad Terentium a Charisio et ab eodem idem ad Plautum, Asper ad Sallustium ab eodem, ad Terentium a Rufino, Fulvius Caper ad Mostellariam Plauti a Charisio, Annaeus Cornutus ad Virgilium ab eodem, Euanthius ad Terentium a Rufino de metris Terentianis. Gnifo ad Virgilii Georgica ab eodem Sosipatro Carisio. Grillius ad Virgilium*

lium a Prisciano libro I. Gramm. Acro Helenius ad Terentium a Charisio, Julius Higinus ad Cinnae Propemticum ab eodem Charisio. Sacer ad Ciceronem ab eodem, Martius Salutaris ad Virgilium ab eodem quoque, Scaurus in Artem Horatii ab eodem. Sisenna ad Plautum ab eodem. Statilius Maximus ad Catonem, Ciceronem, Sallustii Historias ab eodem doctissimo Grammatico. Velius Longus ad Virgilium ab eodem etiam." Vides itaque longam esse deperditorum interpretum seriem, quam nemo, qui literis bene cupit, sine moerore legere possit. Jam vero quale judicium ferendum est de singulorum istorum aetate et doctrina, quorum plerorumque nihil superest praeter levem illam memoriam Charisii aliorumve Grammaticorum recentioris aetatis. Tandem quoque illud difficultatem parit, quod, qui non diserto Grammaticorum testimonio nominatim indicentur antiquitus scripsisse Commentaria in hunc vel illum scriptorem, eos plerumque non nisi levi aliqua suspicione in antiquorum interpretum numerum referre liceat. Et hoc quidem eos tantum spectat interpretes, quorum opera perierunt: quorum enim opera supersunt, ii suo sane jure inter veteres interpretes locum sibi vindicant. At vero de his quoque quo minus facili negotio judicium feratur, major quaedam difficultas prohibet: qui enim supersunt Commentarii, ii plerique conscripti esse creduntur ab antiquis auctoribus quorum nomina prae se ferunt, sed continent interim hujusmodi res, quae

quae multo recentiorem aetatem produnt: quam in rem ut unum de multis excitem, exemplo sint Commentarii in Persium; alii, qui supersunt Commentarii, nullum plane auctoris nomen prae se ferunt, quales sunt Commentarii in Lucanum, in Juvenalem, alii. In utroque genere difficile est quidquam certi statuere.

Hae potissimum fuisse videntur causae neglectae commemorationis: et sane non mirum videatur si quem, qui de Scholiastis Scriptorum Latinorum peculiarem notitiam exhibiturus esset, hujusmodi, quales dixi, difficultates a proposito deterruerint. Utut est, equidem existimo Scholiastarum lucubrationes, quotquot supersunt, dignas esse, quae accurate cognoscantur (*). Primum enim ex iis scholiis, ut jam diximus, magnum sibi praesidium petit interpretatio ejus ipsius scriptoris ad quem conscripta sunt: quanto enim propius Scholiastae aetate sua ipsorum Veterum aetatem secuti sunt, eo quoque melius et morum et legum et historiarum et hominum, qui a Veteribus memorantur, notitiam habuisse censendi sunt. Porro, qui Scholiastarum reliqui-

(*) Ruhnkenium ita laudat Wyttenbachius in vita p. 169. „*nullum erat veterum genus monumentorum, nullum Graecorum Latinorumque Scriptorum, nullum Grammaticorum Scholiastarumve, cum editorum, tum ineditorum, genus, quin id Ruhnkenius legendo pertractasset, unde reconditas, nemini cognitas, fere emortuas, cum rerum gestarum notitias, tum doctrinarum reliquias expromeret.*" Cf. ibid. p. 67. et 135.

quias cum judicio legit, ille interdum in corruptis Veterum scriptis exinde antiquissimas lectiones poterit restituere; quandoquidem plurimi Scholiastae antiquioris aetatis sint, quam illud seculum, ex quo hodie Veterum exemplaria manu scripta vel antiquissima supersint. Tum quoque Scholiastarum opera maxime prosunt accuratiori totius Romanorum linguae cognitioni: cujus ut peritiores esse potuerint, fecit, quod plerique et in eadem regione et lingua nati sint, et ea potissimum aetate vixerint, quâ Romanarum literarum flos nondum plane marcescere coepisset. Denique et antiqua Scholia, praeter scriptores ad quos conscripta sunt, etiam plurimum juvant reliquorum Romanorum scripta, quae subinde excitant, comparant, interpretantur; atque haec quidem illi multo habuerunt et plura et integriora quam nos habemus. Tandem hoc quoque nomine Veterum Scholiastarum opera prosunt, quia, quod Wyttenbachius de Rhetoribus et Grammaticis ait, idem valet de Scholiastis: „*Et Rhetor*, inquit in vita Ruhnkenii p. 51. *et Grammaticus ita quisque nobis majoris pretii aestimandus est, ut et artis rationem magis tenet, et inprimis ut frequentior est in memorandis cum rebus ex Historia et Antiquitate non aliunde cognitis, tum locis et notitiis Scriptorum perditorum. Ita enim se res habet, ut, quo plures per illam medii aevi barbariem perierunt boni libri, eo majore cum cura ex hoc tamquam naufragio tabulas colligere debeamus.*"

Om-

Omnium, fateor, quotquot supersunt, Scholiastarum Commentarii incuria temporum multum depravati mutilatique sunt, nec tales ab ipsis, quales nunc passim leguntur, scripti esse potuerunt: pleraque Scholia, quae nunc habemus, compilata sunt ex antiquioribus variae doctinae interpretibus; alia ex medii aevi scriptis adjecta et ab imperitis librariis monachis intrusa videntur; plurima quoque a Christianis ex inferiore aetate scriptoribus supposita reperies, quae temporum superstitionem olent; quin omnia fere sic adulterata sunt, ut, quemadmodum supra diximus, ipsos saepe auctores in operibus illorum, quorum nomina venditant, quaerere necesse habeamus. Merito hanc in rem olim conquestus est Barthius Adv. L. XXVI. c. 16. et nuperrime Cramerus in Not. ad Schol. Juvenal. p. 4. Barthius ait: „*Scriptores Historiae Augustae, quos in unum corpus ab aevo prisco redactos habemus, non videntur esse ipsi illi scriptores, quos plerique putant. Sed vero eorum potius Epitomae quaedam a Bibliorapto quopiam secundum captum suum in unam struem compactae. Latinitas enim multo pejor est in multis quam quae Constantini aetatem ferre possit; imo ipso aevo Theodosiano et vel Justinianeo in plerisque deformior. — Et hoc genus scripta non pauca habemus, quae non nemo eruditorum tamen pro legitimis censet. Talis est facies Commentariorum priscorum in Virgilium, Horatium, Statium, Persium, Juvenalem; quorum corpora ex Servio, Porphyrione,* A-

Acrone, Lutacio, Cornuto, Probo, et aliis constipata sunt a magistris Scholasticis temporibus jam lapsae vel in casum praecipitis Romanae aevitatis." Cramerus: „*Omnibus accidit Scholiastis, ut insequentis temporis injuria nepotumque ignorantia, multa supprimerentur, alia insulse depravarentur, alia membris suis laxata atque hiulca fierent, aut alioquin ita mendosa, ut, quasi in deposito aegro, non sufficiat medicorum ars, sed ipso Aesculapio aut Machaone opus esse videatur"* (*). Et non dubito, quod Scaliger de Scholiasta Virgilii dicit, quin hoc idem de reliquis Scholiastis dici possit: „*Servii Commentariorum*, inquit ille ad Varron. de Re Rust. L. III. p. 252. *tantum hodie cadaver habemus, monachorum barbarie et spurcitie con-*

(*) H. Cannegieter in Diss. de aetate et stilo Flavii Aviani p. 285. „*Forte tamen non ea, qua nunc feruntur, mole scripti sunt ab Albino illi Commentarii, sed multis accessionibus aucti, aut ab aliorum Commentariis, aut ex ludimagistrorum praescriptis. Idem accidisse reor Commentariis eorum omnium qui in Latinos scriptores hodie circumferuntur, Cornuti, Donati, Servii, Porphyrionis. Neque etiam Asconius interpretatorum manus effugit. Servio quidem Philargyri notas omnes adscriptas videmus. Quae causa est, cur tanta sit Commentariorum in diversis Codicibus diversitas, de qua multi monuerunt. Sed quid de Commentatoribus poëtarum atque enarratoribus dico? Ipsos etiam poëtas contaminare non est verita superciliosa paedotribarum natio*".

contaminatum." Hoc vero malum quum omnium fere Scholiastarum lucubrationibus acciderit, difficile profecto munus est genuina a falsis discernere: quod iis demum mandari oportet, qui vel longo literarum usu et multarum rerum scientiâ judicandi facultatem sibi peperere non vulgarem, vel iis qui naturae felicitate eâ utuntur, quae sagaciter odoretur et subtiliter intelligat, ad quae intelligenda alii vix longa exercitatione atque studio fiunt idonei. Si quis hoc in genere de prima Critices parte bene mereri velit, operamque suam collocare in dijudicandis germanis ab adulterinis, ipsi profecto multum proderit exemplaria habuisse manu scripta; sed tamen sciat, se et sic rem aggredi plenam laboris et difficultatis: quemadmodum ait Barthius ad Statii Thebaid. II. 281. „*Sane qui hoc genus Commentaria ex scriptis exemplaribus in ordinem redigere velit, perspicacem laboriosumque hominem esse oportet, ne confusa confusiora reddat, quod nos in aliquot Poëtarum veterum Scholiastis sumus experti.*" Talis itaque quum horum operum facies sit, taediosa et sterilis Scholiorum lectio plerosque deterruit: quod profecto dolendum est, quandoquidem multi viri docti probaverint se in hujusmodi luto pretiosissimum haud raro aurum invenisse. Quidni et in mala segete bonum aliquod spicum saepe reperias? Nobis saltem, vera fatemur, ubi confusam Scholiorum farraginem legeremus, sub-

subinde saepius in mentem venere quae apud Phaedrum anus ad amphoram:

O suavis anima, quale in te dicam bonum
Antehac fuisse, tales cum sint reliquiae.

Probandum erat antiquos Scriptorum Latinorum interpretes sive Scholiastas esse dignos, qui accurate cognoscantur; quod si probaverimus, patebit, ni fallor, illud, quod ab initio diximus, nos laborem suscepisse non inutilem. Restat indicare, qua ratione notitiam de Scholiastis Latinis exhibituri simus.

Cogitanti itaque mihi qua ratione Scholiastarum historiam exponerem, duplex potissimum sese ratio obtulit. Nam historiam Scholiastarum tradi posse arbitrabar vel ratione habita annorum quibus singuli Scholiastae vixerint, vel ratione Scriptorum quos ipsi interpretati sint. Utraque ratio, ut fit, satis habet commodi quo placeat, satis habet incommodi quo displiceat. Altera ratio requirit, ut, explorata singulorum aetate, qui Scholia scripserunt, disputationis initium fiat ab antiquissimo, hunc ut sequatur ille qui antiquissimum aetate sua proxime attigerit, et ita sequantur reliqui. Altera ratio requirit, ut, conquisitis Scriptorum nominibus, ad quos Scholia conscripta sunt, deinceps exponatur, quosnam Scholiastas, cujuscunque aetatis, singuli scriptores nacti sint.

Nos,

Nos, etsi prior ratio magis placuerit, postremam rationem secuti sumus; cujus rei duplex causa fuit: quominus enim Scholiastarum historiam apte tradere possemus ratione annorum quibus singuli vixerint, impedimento fuit illud, quod plurimorum Scholiastarum aetas vel omnino ignoretur vel admodum obscura sit; ut vero ipsam potius exponeremus ratione Scriptorum quos ipsi interpretati sint, illud quoque suasit commodum, quod sic Scholiastae, qui eundem scriptorem interpretati sint, singuli deinceps recenseantur, qui alioqui per intervalla subinde post aliorum nominum seriem recensendi fuissent.

At vero vel sic tamen, quandoquidem disquisitio de aetate cujusque Scholiastae praecipua pars futura sit nostrae scriptionis, non incaute Chronologia erit negligenda; sed historiam Scholiastarum si recte expositūri simus, necesse erit ut hanc legem nobis praescribamus: primum, ut scriptores ipsos, qui antiquos interpretes nacti sunt, ad aetatem, qua quisque vixerint, collocemus: tum, ut Scholiastas, qui eundem scriptorem interpretati sint, ad eum ordinem digeramus, quo praecedat antiquior quisque, et sic deinceps reliqui succedant.

Ad hunc itaque ordinem collocabimus Scriptores Latinos, qui antiquos interpretes nacti sunt, ut initio facto a Saliari Carmine et Legibus XII Tabularum, sic deinceps, pro aetate qua vixerunt, sequantur: Cn. Naevius, Enn. et Lucil. M. Porcius Cato, M. Accius Plautus, P. Terentius, P. Sempronius Asellio, T. Lucretius Carus,

rus, M. Tullius Cicero, Crispus Sallustius, C. Helvius Cinna, P. Virgilius, Q. Horatius, Caesar Germanicus, Seneca tragicus, Lucanus, Persius, Papinius Statius, Juvenalis, Flav. Avianus. Hanc in rem itaque Scholiastarum opera diligenter erunt legenda, ut constet quale judicium ferri oporteat de singulorum doctrina; tum studiose colligenda erunt, vel levissima indicia, quae ipsi hic illic dant de sua aetate, patria et religione; et alia quoque subinde, pro varia rerum conditione, quae notatu digna videbuntur, non nihili ducemus. Et sic quidem ibi versabimur, ubi exponendum erit de hujusmodi Scholiastis, quorum opera supersunt; ubi vero agetur de iis, quorum lucubrationes incuriâ temporum interierunt, colligemus Veterum ipsorum, a quibus illi memorentur, judicia; tum quoque exhibebimus, quotquot inveniri potuerint, ipsorum lucubrationum fragmenta: quo facto, etsi forte paulo audacius, aliquo saltem modo judicari poterit, qualia illa integra fuerint opera.

Erunt fortasse, qui hic indicari cupiant quaenam fuerit Scholiastarum origo et qualis sit ipsorum denominationis ratio, qui modo *Scholiastae* vocentur, modo *Commentatores*, modo *Enarratores*, modo *Interpretes*. Utramque quaestionem deinceps tangemus.

Et origo quidem Scholiastarum, qualis fuerit, non ita facile est indicare. Licet enim perversa opinio sit, Romanos eo demum tempore Grammaticae studio operam navasse, quo jam exstinc-

stinctus esset Romanarum literarum vigor, hoc tamen ex rei natura videtur esse verissimum, Romanos majorum suorum scripta non prius per Commentarios fuisse interpretaturos, quam ubi haec fere intelligi desiissent: ubi enim scripta intelligantur, qui sit locus interpretationi? Legimus quidem apud Sueton. de Illustr. Gram. c. 16. *Q. Caecilium aperuisse scholam, primumque Virgilii et aliorum poëtarum carmina praelegere coepisse adolescentulis*, sed quis quaeso ita Romana tempora ad nostra dimetiatur, ut statuat Caecilium istorum poëtarum carmina ita praelegisse ut subinde ipsa explicaret, vel dictaret etiam in puerorum usum animadversiones ad loca quae intellectu difficiliora essent et sic exstitisse Scholia? Equidem Romana tempora non ita ad nostri temporis morem componam, neque velim contendere Scholiastarum lucubrationes e scholarum pulvere profectas esse. Sed originem Scholiastarum investigare, aut ego fallor, aut fere idem est atque inquirere, quo tempore Romani Majorum suorum scripta intelligere desierint: ubi haec enim fere intelligi desiissent, tum demum, nec vero prius, res ipsa declarat, Commentarios sive interpretationes a doctis Romanis scribi coepisse.

Quibus igitur temporibus Romanorum civitas, quae per aliquot priora secula consuetudine bellandi bonarum artium rudis et fere barbara manserat, paullatim coepisset liberalibus disciplinis vacare, communis civium lingua multum recessit ab inculta illa, balbutiente et barbara. Fecit hoc ut mox antiquissima, quae ex ista linguae

barbarie superessent, monumenta, paulatim a populo cultiorem linguam loquente intelligi desinerent. Mox vero, ubi versus initium seculi VI. Juris studium Romae excoli coepisset, et vix intelligerentur Leges XII Tabularum, quae vocabula complectebantur, tunc jam pleraque obsoleta, viri exorti sunt qui peculiare studium collocarent in investigandis antiquissimis Romanae linguae vocabulis. Hi igitur Leges XII Tabularum, quippe quae omnis civilis et privati juris fons essent, summopere studuerunt per scriptos Commentarios interpretari; et hos auctores Cicero de Leg. L. II. c. 23. suâ jam aetate vocat *veteres interpretes Duodecim Tabularum.* Horum interpretum exemplum insequentibus temporibus alios excitasse videtur ut peculiare studium collocarent in Carminum Saliarium interpretatione, quae, quo remotiore seculo conscripta essent quam XII Tabularum Leges, eo quoque minus intellecta fuisse censenda sunt. Eadem plane ratione de interpretibus sequentium scriptorum judicari non potest. Quod ad linguam attinet, ea universa non adeo erat mutata, ut opus esset interpretatione singulorum verborum. Igitur antiquissimi Scholiastae hoc inprimis agebant, ut exempla suorum scriptorum exhiberent quam maxime emendata, ut versus spurios ejicerent, ut pulchre dicta laudarent, quae ipsis minus recte dicta videbantur, reprehenderent, vestigia imitationum Graecarum et veterum Romanorum persequerentur, figuras et alia sermonis, inprimis poëtici, ornamenta exponerent, fabulas, historiam et res paullo obscuriores, eas quo

in

in satyris, epistolis, aliisque libris respexissent, illustrarent; denique ut vocem hic illic antiqua sive nova significatione positam, explicarent. Hoc fuit munus, haec praestantia antiquorum Grammaticorum. Atque hoc illi potissimum faciebant in Commentariis suis. Nam Scholia, quae hodie multa exstant, in quibus verbum fere verbo redditur, poëticum prosaico, ordo verborum ostenditur, et multa ad captum puerilis aetatis leguntur, ea sunt temporis longe recentioris, scripta scilicet, quum homines Scholastici pretium majorum Commentariorum non intelligebant, et saeculi inertia erat tanta, ut in omnibus rebus amarentur compendia, et sermo poëticus et verba a communi usu remotiora non facile perciperentur. Ita Scholia ista non referunt nisi tenuem aliquam egregiorum Commentariorum umbram, et plerumque nihil sunt nisi excerpta de excerptis, aucta et inquinata saepe ineptis excerpentium annotationibus. Sic amisimus in Graecis literis praeclara Grammaticorum opera, et pro Didymo, ut hoc exemplo utar, accepimus illum Homeri interpretem, qui Didymus appellatur quidem, sed ita truncatus est, ut paucissima ipsius ac veri Didymi remanserint. Haec perversa studiorum ratio nobis Acronem, Porphyrionem, aliosque Grammaticos eripuit, haec Scholia, quae videmus, dedit.

Talis itaque fuisse videtur origo stirpis illius antiquorum interpretum, quae sero demum, ad exemplum forte Graecorum interpretum, Scho-

lias-

liastarum nomen accepit; cujus denominationis rationem si prius explicaverimus, mox praefandi finem faciemus et ad propositam quaestionem properabimus.

Scholiastarum nomen, etsi nulla Veterum mentio declaret quo tempore primum sic appellari coeperint antiqui Latinorum Scriptorum interpretes, serioris videtur esse aetatis vocabulum, quam ut Veteribus ipsis memorari potuerit. Videntur vero illi ita vocati esse ad exemplum Graecorum, quibus scriptor scholiorum sive interpretationum *σχολιαστὴς* vocabatur a verbo *σχολιάζω*, id est *scholiis illustro*, *interpretor*; *σχόλια* enim Graecis, interpretante Hesychio, sunt *σεμνολογήματα* sive *scitae interpretationes*, quae ita vocabantur quod brevitate sua, facili negotio (*κατὰ σχολὴν*), apponi possent ad interpretationem difficilium sententiarum et vocum; quemadmodum tradit auctor Lex. Reg. MS. citatus ab Albertio ad Hesychium p. 1554. *Σχόλια· κυρίως, ἡ ἑρμήνεια· διὰ τὸ κατὰ σχολὴν παρατίθεσθαι πρὸς σαφεστέραν ἑρμηνείαν τῶν δυσνοήτων νοημάτων ἢ ῥημάτων* (*). Latini vero nec Scholion nec Scholiastes habuerunt; hinc Atticus aliquando in episto-

(*) Cum Lex. Reg. MS. confer. Etymologicum Graec. Ling. Gudianum ed. a Sturzio, Lips. 1818. p. 519. *Σχόλιον, διὰ τὸ κατὰ σχολὴν παρατίθεσθαι πρὸς σαφεστέραν ἑρμήνειαν τῶν δυσνοήτων ὀνομάτων ἢ ῥημάτων ἐπὶ τοῖς λογίοις.* Lexicon Lat. Papiae haec habet: „*Scholia id est excerpta, in quibus ea quae videntur obscura vel difficilia, summatim et breviter perstringuntur: Graecum est.*"

tola ad Ciceronem, ubi brevem interpretationem significari voluit, graece usurpavit σχόλιον, „ *Velim*, inquit σχόλιον *aliquod elimes ad me; oportuisse te istuc facere.*" quae verba repetit Cicero in Epist. ad Attic. L. XVI. Ep. 7.

Serioris item aetatis videtur *Commentatorum* denominatio, etsi vox Commentarius a bonis scriptoribus usurpetur. Antiquitus quidem Commentarius vocabatur liber, in quo res continuate et diligenter, simpliciter tamen et sine ornamentis, breviter et quasi per capita, memoriae gratia descriptae erant: unde Caesar libros de bellis a se gestis Commentarios inscripsit, quod, ut Cicero in Bruto c. 75. *nudi essent, omni ornatu orationis, tamquam veste, detracto*; Gellii tamen saltem tempore *Commentarius* et *Commentarium* dicebatur expositio et interpretatio scriptorum: sic ipsi L. II. c. 16. memorantur Grammatici qui *Commentaria* in Virgilium composuerunt, et L. I. c. 12. *Commentaria* Labeonis, quae ad XII Tabulas composuit. Ad eandem rationem antiquissimorum interpretum explicationes *Commentarii* vocantur ab Hieronymo, loco maxime notabili, qui saepius nobis in partes vocandus erit: Hieronym. igitur in Apolog. adv. Rufin. L. I. p. 367. *ed. Martianay* sic ait: « *Commentarii quid operis habent? Alterius dicta edisserunt, quae obscure scripta sunt, plano sermone manifestant: multorum sententias replicant; et dicunt: hunc locum quidam sic edisserunt: alii sic interpretantur: illi sensum suum et intelligentiam his testimoniis, et hac nituntur ratio-*

tione firmare: ut prudens Lector, quum diversas explanationes legerit; et multorum vel probanda vel improbanda didicerit, judicet quid verius sit: et quasi bonus trapezita, adulterinae monetae pecuniam reprobet. Num diversae interpretationis et contrariorum inter se sensuum tenebitur reus, qui in uno opere quod edisserit, expositiones posuerit plurimorum? Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Salustium Commentarios; Vulcatii in Orationes Ciceronis; Victorini in Dialogos ejus; et in Terentii Comoedias Praeceptoris mei Donati, aeque in Virgilium; et aliorum in alios; Plautum videlicet; Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum. Argue Interpretes eorum: quare non unam explanationem secuti sint: et in eadem re quid, vel sibi, vel aliis videatur, enumerent." Haec Hieronymus; unde patet antiquissimorum interpretum explicationes vocatas fuisse Commentarios. Sed *Commentator*, quod significet Commentariorum scriptorem, quemadmodum Horatii Scholiasten a se editum vocavit Jacobus Cruquius, videtur esse vocabulum longe infimae latinitatis; quae causa fuerit ut mox post editum Cruquii librum nonnulli viri docti subsannaverint atque adeo rejectaverint dictionem istam, quasi minus idoneam nec satis Latinam, quemadmodum ipse Cruquius narrat in Praef. edit. a. 1611.

Melioris profecto notae est *Enarratorum* denominatio: sic enim qui in antiquorum poëtarum et aliorum scriptorum opera explicationes scrip-

scripsissent, vocatos fuisse patet ex Gellio L. XIII. c. 30. et L. XVIII. c. 4. et explicatio ipsa, vocabatur *Enarratio*, ut apud Quinctil. L. I. c. 4. et L. II. c. 5. subinde quoque aliquando dicuntur *Enarrasse* poëmata, ut apud Gellium, L. XIII. c. 10. et L. XVIII. c. 9.

Nobis maxime placuit *Interpretum* nomen usurpare: quandoquidem Cicero de Legib. L. II. c. 23. sic vocaverit eos qui antiquitus XII Tabularum leges interpretati essent. Ea causa fuit ut nostrum libellum potissimum inscriberemus: *De antiquis interpretibus Scriptorum Latinorum.*

Hodie plerumque Scholiorum et Commentariorum nomina fere promiscue usurpari videmus, etsi proprie multum intersit inter utrumque hoc interpretationum genus; quemadmodum bene docuit Henr. Valesius de Critica L. II. c. 2. „ *Cuivis, inquit, perspicuum est, expositionem nihil aliud esse, quam obscuriorum dictionum ac sententiarum explanationem. Porro cum libri veteres duobus modis explanari possint, aut fusiore genere interpretandi, quod κατὰ πόδα dici solet, cum nulla periodus absque explicatione praetermittitur: aut strictiore, quoties obscuriora tantum loca enarrantur, inde fit, ut duo sint genera expositionis, quorum alterum Graeci σχόλια appellant, nos annotationes vocare possumus, alterum proprie ἐξηγητικὸν vocatur a Graecis, nos vulgo Commentarios vocamus. Multum autem interest inter utrumque hoc genus. Nam σχόλια praeterquam quod bre-*

breviora sunt, plerumque nihil nisi dictiones obscuras explicant. In Commentariis vero sensus ἀκολουθία, et ordo ac dispositio scriptionis aperitur. Et Scholia quidem fere ad latus libri adscribebantur: Commentarii vero seorsim edebantur, iique in libros seu τόμους distributi. Tales sunt hodie Commentarii Procli in Timaeum Platonis et alii ejusdem Procli in Parmenidem nondum editi." Quae Valesius de Graecis interpretibus, ea non minus valent de Latinis: ubi enim ille Procli Commentarios memorat, nos nominamus Macrobii Commentarios in Somnium Scipionis, sive Boethii in Topica Ciceronis.

Elias autem Vinetus in Praef. ad L. Annaei Cornuti Comment. in Persii Satyras, ed. Lutetiae a. CIↃ· IↃCI. ubi, quod vulgo Commentarium dicitur, Commentum dicendum esse contendit, loquacior est quam doctior. „ *Quod autem*, inquit, *ad vocem Commentum attinet, quam in titulo legisti: Commentarius ac neutro genere Commentarium, unde Commentariolum fecit Cicero, est scriptum aliquod, et liber ad subsidium memoriae comparatus, brevis, et in quo rerum tantum capita, summaque ponuntur: quas memorias et instructiones nunc fere vulgus appellat. Hujusmodi fuit Valerii Probi commentarius de occulta literarum significatione, cujus meminit Aulus Gellius libro XVII. cap. 9. ac tale etiam paulo plenius orationis contra Domitium habitae commentarium, cujus mentionem in Bruto facit*

cit Cicero. Horum nominum pluralia Commentarii et Commentaria, etsi vim sui numeri plerumque retinent, tamen ea nihil esse aliud interdum, quam quod unius numero significatur, grammaticis nostris jam pridem placuit: qui viderint, quam recte hic praecipiant. Vereor enim, ne cum Caesar Commentaria sua inscripsit, quos apud Ciceronem commentarios legimus appellatos, multorum librorum opus intellexerit, quorum quisque commentarii nomine appelletur, quomodo Euclidis Alexandrini geometrae elementa, libri sunt tredecim, qui appellantur elementum primum, elementum secundum, tertium, quartum, et reliqua deinceps eodem nomine. Commentarius rursus et Commentarium, ac multitudinis numero Commentarii et Commentaria, saepiusque Commentaria, sicut iidem volunt praeceptores, eam significationem habent, ut expositiones interpretationesque auctorum in literas relatae, ita vocentur. Servius in librum septimum Aeneidos. Dicit etiam quidam commentarius *convecta* legendum. *Aulus Gellius libro* XX. *cap. 7.* apud Plutarchum in quarto in Hesiodum commentario. *Idem libro primo c.* 12. Praeterea in Commentariis Labeonis, quae ad duodecim tabulas composuit. *Et,* Hyginus autem non hercle ignobilis grammaticus, in Commentariis, quae in Virgilium fecit. *Quod igitur Commentarium utroque genere, et Commentarios et Commentaria esse debere tradunt nostri grammatici, id Commentum fuit in*

 Aquen-

Aquensi codice, sicut omnes hujusmodi expositiones Commenta vulgo dicebantur me puero. Tunc namque prostabant passim Virgilius, Ovidius et alii scriptores, cum Commento: sed postea, quam politiores literae florere coepissent, cedente sensim barbarie: quae commenta primum videram, ea dici commentaria coepta sunt. Sic multi, qui sibi aliquid prae caeteris sapere videbantur, existimaverunt ista, Commenta barbare dici, Commentaria Latine appellanda: sed vellem tamen ego, ut, qui inter audaces istos emendatores eruditione praecellunt, docuissent, unde sciant, Commentaria hic rectius dici quam Commenta. Veteribus librariis, quibus strenue omnia perdendi summum studium fuisse diceres, ex Commento Commentarium, ac ex Commentario Commentum facere facile fuit: ipsi interpretes scriptorum alienorum, quomodo suas expositiones appellarint hoc nos quaerimus. Priscianus libro sexto. Servius in Commento Virgilii. *Et paulo post.* Servius in Commentario tertii libri Virgiliani. *Idem libro decimo.* Servius in Commentario Aeneidos. *Et libro quinto decimo.* Donatus in Commento Aeneidos. *Ita modo Commentum, modo Commentarium res eadem apud Priscianum, antiquum et nobilem grammaticum, appellatur. Est autem Commentum propie res inventa, excogitata callide, ac ficta: unde et verbum Commentari pro invenire, excogitare, fingere: at sicut Commentum pro expositione auctoris dictum*

tum est, uti ostendimus, ita etiam hoc Commentari pro eo, quod est Commentum sive Commentarium facere et interpretationem componere in scriptorem aliquem, legimus usurpatum. Aulus Gellius libro tertio cap. 16. Sabinus medicus, qui Hippocratem commodissime commentatus est, his verbis enarravit. *Et hinc Commentator pro interprete et commenti scriptore, frequens in Servii Commentariis.*"

Atque hic, praefandi munere abunde functi, ad ipsam propositam quaestionem veniamus.



C A-

CAPUT I.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS CARMINUM SALIARIUM.

Carmina Saliaria, etsi nil fere praeter memoriam supersit, non dubium est quin merito censeantur antiquissimum Romanarum literarum monumentum. Sunt enim composita a Numa Pompilio; qui, teste Livio L. I. c. 20. *Salios duodecim Marti Gradivo legit, eosque per urbem ire canentes carmina cum tripudiis solennique saltatu jussit.* Quale istorum Carminum argumentum fuerit non omnino constat; sive haec scripta sint ad feroces populi animos a barbarie et armis revocandos: sive ad excitandam in civium animis sedatam hilaritatem et piam Deorum reverentiam; hoc vero satis constat, Carminum istorum orationem fuisse rudem et inconditam, nec multum superantem, qua illis temporibus Romani utebantur, linguam illam incultam, balbutientem et barbaram. Probant hoc tum fragmenta, quae ex ipsis supersunt, licet exigua, tum vero etiam Veterum ipsorum tes-

testimonia. Horatius, ubi eorum stultitiam castigat, qui recentissimis spretis, caeco Veterum studio et amore abrepti, non nisi vetusta laudare solent, non obscure fatetur se non intelligere Carmina ista: ipsius verba haec sunt Epist. II. 1. 86.

Jam Saliare Numae carmen qui laudat, et illud
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri,
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.

Post Horatium eandem querelam repetiit Quintilianus, qui, Inst. Orat. L. I. c. 6. §. 40. non dubitavit pronuntiare *Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta.* Et quae sit hujus ignorantiae causa, non longe quaerendum est; Carmina enim ista Saliaria penes Saliorum Collegium servata fuisse videntur, ut quotannis diebus solennibus in summa religione cantarentur: atque sic quidem fortasse aliquot secula in sacrario templi Martis juxta Ancilia et reliqua Saliorum instrumenta recondita fuerunt. Quibus igitur temporibus rudis illa Romanorum civitas liberalibus paullatim disciplinis vacare coepisset, et communis civium lingua ab infanti barbarie recessisset, aliquando cives Romani et mox vel ipsi sacerdotes ea antiquissima monumenta non intellexerunt. Quod de Saliari Carmine valet, idem valet de Legibus XII Tabularum, quae, etsi tribus fere seculis post Saliaria Carmina scriptae essent, aeque minus iis temporibus intellec-

tae fuerunt, quibus Romanorum literae florere coeperunt. Leges autem istae, quum in Romana republica omnis civilis et privati juris fons essent, suos fere nactae sunt interpretes simul cum juris studii incunabulis: Carmina vero Saliaria videntur intacta mansisse, utut non intellecta, ad ea usque tempora quibus Romae viri exorirentur, qui peculiare studium collocarent in investigandis antiquissimis Romanae linguae vocabulis. Quum igitur jam diu XII Tabularum Leges e doctis Jurisperitis suos nactae essent interpretes, Sex. Aelium et L. Acilium, tum demum, paulo tamen ante Varronis tempora, Saliaria Carmina interpretem nacta sunt Lucium Aelium. Fortasse praeter hunc alii fuerunt qui ista Carmina interpretati sunt, sed, cujus quidem mentio fiat, nemo praeter Aelium est.

L. Aelius.

L. Aelium inter illustres Grammaticos refert Suetonius, nec tamen addit quid in ea arte praestiterit. Ipsius verba haec sunt c. 3. „*Lucius Aelius cognomine duplici fuit: nam et Praeconinus, quod pater ejus praeconium fecerat, vocabatur, et Stilo, quod orationes nobilissimis cuique scribere solebat: tantus optimatum fautor, ut Quintum Metellum Numidicum in exilium comitatus sit.*" Non vero dubito quin Suetonius propterea Aelii nomen inter Grammaticos memoraverit, quod hic peculiare studium collocasset in investigandis antiquissimis Romanae

nae linguae vocabulis et egregios Commentarios scripsisset, cum in Leges XII Tabularum, tum vero in antiquissima Saliorum Carmina. Quod enim Aelius Orationes, aliorum rogatu, scripsisset, hoc ipsi non inter Grammaticos sed inter Oratores sive Rhetores locum vindicare debuisset; et ita Cicero ipsi insignem laudem tribuit in Bruto c. 56. „*Cottae* (*orationem*) *pro se, lege Varia, quae inscribitur, eam L. Aelius scripsit, Cottae rogatu. Fuit is omnino vir egregius, et eques Romanus cum primis honestus, idemque eruditissimus et Graecis literis et Latinis, antiquitatisque nostrae et in inventis rebus et in actis, scriptorumque veterum literate peritus. Quam scientiam Varro noster acceptam ab illo, auctamque per sese, vir ingenio praestans, omnique doctrina, pluribus et illustrioribus literis explicavit. Sed idem Aelius Stoicus esse voluit, orator autem nec studuit umquam, nec fuit. Scribebat tamen orationes, quas alii dicerent; ut Q. Metello F. ut Q. Caepioni, ut Q. Pompejo Rufo: quamquam is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Aelio. His enim scriptis etiam ipse interfui, cum essem apud Aelium adolescens, eumque audire perstudiose solerem. Cottam autem miror, summum ipsum Oratorem, minimeque ineptum, Aelianas leves oratiunculas voluisse existimari suas.*"

Hoc Ciceronis testimonium facit ut non multum quaerendum sit de Aelii Stilonis aetate, qua vixerit. Si enim Aelius Varronem discipulum

 ha-

habuerit et Ciceronem auditorem, scripseritque Orationes, quae recitarentur a Cotta, Metello, Caepione et Pompejo Rufo, non dubium est, quin L. Aelius ad eam aetatem referendus sit, qua Numidicum comitari potuerit, quum is in exilium ejectus esset quod jurare noluisset in Apuleji Saturnini legem, quem ipse, Censor cum M. Silano a. U. 645. a censu prohibuerat.

Commentarii, quos L. Aelius in Carmina Saliaria conscripsit, quales fuerint, non facile decernitur, quum omnes perierint.

Non dubito quin Varro ipsis multum usus sit: hic enim saepius, ubi in antiquorum vocabulorum originem et significationem inquirit, Aelii opinionem commemorat; quamvis non addito nomine operis. Alicubi tamen Varro nominatim Aelii interpretationem Carminum istorum commemorat, L. VI. de Ling. Lat. *pr.* p. 65. „*Sed ut in soluta oratione, sic in poëmateis verba omnia quae habent ἔτυμα, possunt dici nec multa, ab eo quod non erunt in lucubratione litterae prosecutae; licet multum legerent C. Aelii, hominis inprimeis in littereis Latineis exercitati, interpretationem Carminum Saliarium: videbis et exili littera expeditam et praeterita obscura multa.*" Quo loco, ut et duobus aliis [L. IV. p. 36. et L. VI. p. 72.], judice T. Gutberletho de Saliis p. 145. perperam exaratum est *C. Aelius* pro *L. Aelius.* Plura fragmenta ex Aelii Commentariis servavit Festus:

p. 223.

p. 223. MANUOS. *in Carminibus Saliaribus Aelius Stilo significare ait bonos: et inferi dii Manes pro bonis dicuntur a suppliciter eos venerantibus propter metum mortis; ut immanes quoque pro valde non bonis dicuntur.*

p. 245. MOLUCRUM. *aiunt esse lignum quoddam quadratum, ubi immolatur. Idem Aelius in explanatione Carminum Saliarium eodem nomine appellari ait, quod sub mola supponatur. Aurelius Opilius appellat, ubi molatur.*

p. 341. PESCIA. *in Saliari Carmine Aelius Stilo dici ait, capitia ex pellibus agninis facta, quod Graeci vocent pelles* Πέσκη *neutro genere pluraliter.*

p. 473. SALIAS VIRGINES. *Cincius ait esse conducticias, quae ad Salios adhibeantur cum apicibus paludatae, quas Aelius Stilo scripsit sacrificium facere in regia cum Pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum.*

In reliquis Festi locis, ubi Aelii opiniones memorantur, non additur nomen operis: in his igitur num Aelii explanatio Carminum Saliarium significetur, an vero ipsius Commentarii in XII Tabulas, vel alius quidam liber, non facile decernitur.



CAPUT II.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS LEGUM XII TABULARUM.

Leges XII Tabularum, etsi post renata Jurisprudentiae Romanae studia, jam inde a seculo XV. ineunte, ex Musarum templo in vicinam Themidis aedem migrasse videantur, procul tamen dubio inter illustrissima Latinarum Literarum monumenta merito suum sibi locum vindicant. Satis enim inter omnes constat, qui Romanas literas amplectuntur, exstare nullum monumentum antiquitatis illustrius, quam legum istarum libellum, qui, vel ex Crassi testimonio, olim et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate, unus omnium Philosophorum Bibliothecas superavit. Latae sunt istae leges cum publica Romanorum res vix per trecentos steterat annos. Qualis autem in iis legibus, dicendi fuerit ratio, non parum indicant fragmenta hic illic ab auctoribus servata: sed si etiam de legibus istis nihil superesset, non dubito quin quisque facile conjecisset talem in iis fuisse dicendi rationem, qua-

qualem aetas illa rudis et inculta prae se ferret. Non aegre jam Cicero de Legib. L. II. c. 7. et de Orat. L. I. c. 43. fatetur esse in XII Tabulis antiquitatis effigiem, tum, quod ex iis verborum prisca vetustas cognoscatur. Quodsi comparatio instituatur inter eam linguam, qua XII istae scriptae sunt et eam, qua vel antiquissimi auctores usi sunt, non est quod miremur, fuisse jam diu ante Ciceronis tempora, qui, quum in multis haesitarent, operae pretium duxerint, scriptis in XII Tabulas Commentariis, in priscorum istorum et absoletorum verborum significationem inquirere. Veteres istos interpretes memorat Cicero de Legib. L. II. c. 23. ubi haec ait: „*Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento. Hoc veteres interpretes, Sex. Aelius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris: L. Aelius, lessum, quasi lugubrem ejulationem, ut vox ipsa significat.*" Eosdem memorat Pomponius l. 2. §. 3. D. de Orig. Jur. ubi haec ait: „*Deinde* (i. e. post Tiberium Coruncanium) *Sextus Aelius, et frater ejus Publius Aelius et Publius Atilius maximam scientiam in profitendo habuerunt: ut duo Aelii etiam Consules fuerint. Atilius autem primus a populo Sapiens appellatus est. Sextum Aelium etiam Ennius laudavit, et exstat illius liber, qui inscribitur Tripertita, qui liber veluti cunabula Juris continet. Tripertita autem dicitur quoniam Lege XII Tabularum praeposita, jungitur interpretatio, dein subte-*

texitur Legis actio. Ejusdem esse tres alii libri referuntur, quos tamen quidam negant ejusdem esse. Hos sectatus ad aliquid est Marcus Cato princeps Porciae familiae, etc. Sed non dubium est, quin post hos alii quoque fuerint plures e Veteribus, XII Tabularum interpretes, passim hic illic memorati. E recentioribus harum rerum scriptoribus, ipsorum nomina recensuerunt Heineccius Hist. Juris L. I. c. II. §. 31. Brunquellus Hist. Jur. P. I. c. III. §. 24. et Bachius L. I. c. II. Sect. II. §. 11. Sed data opera Cunradus Rittershusius in Comment. ad XII Tabul. in Prolegom. c. VI. de interpretibus istis ita exposuit: „*Interpretes sive Commentatores qui in XII Tabularum leges aliquid scripserunt, partim sunt Veteres, partim recentiores. Ad Veteres quod attinet, plurimi olim nobilissimique fuerunt. M. Terentius Varro in libris de Lingua latina laudat Veteres XII Tabularum interpretes; sed eorum tamen non nominat quemquam. Ex Pomponio autem discimus Sextum Aelium scripsisse librum, qui Tripertita dicebatur, quo in libro primum proposuerit legem XII Tabularum, porro subjunxerit interpretationem, tandem subtexuerit legis actionem. Sit ergo nobis hic Sextus Aelius primus, ex iis quorum nomina comperta habemus, Interpres XII Tabularum. — Secundus esto M. Porcius Cato JC. quem ipsum quoque aliquando ad illustrandas XII Tabulas studium suum contulisse observavit Fr. Balduinus. — Tertius*

sit

sit Servius Sulpicius, quem etiam interpretatum fuisse XII Tabulas satis apparet ex citationibus Festi. — Quartus sit Antistius Labeo, cujus Commentaria laudat aliquoties Gellius, ut L. I. c. 12. et L. VII. c. 15. — Quintum numerare licet T. Gajum, cujus Δωδεκαδέλτου βίβλια ἕξ legimus in Indice Pandectis Florentinis praefixo: videatur et l. 233. si calvitur, cum 5 seqq. D. de V. S. ubi ex V libris Gaji ad Leges XII Tabularum aliquot verborum explicationes afferuntur. — Sexto, etiam Sextus Pompejus Festus non immerito in hunc Catalogum interpretum veniret, modo integrum habere potuissemus, cujus hodie fragmenta tantum supersunt. — Atque haec de vetustioribus Interpretibus, quibus tamen etiam Cicero adgregari posse non injuriâ videtur, cum et ipse suis libris de Legibus multa ex XII Tabulis inseruerit, suaque interpretatione elucidarit." Post Rittershusium de antiquis XII Tabularum interpretibus docte exposuit M. Bouchaud in libro, Francice scripto, Commentaire sur la loi des douze Tables, Paris. 1787. p. 187. seqq. Sed nobis operae pretium videtur ad hunc locum addere ea, quae Schubartius opinatur omissa esse a Rittershusio: hic igitur in libro de Fatis Jurisprud. Rom. Exercit. II. c. IV. Sect. II. §. 50. p. 157. *edit. Tilting.* „*Conradus Rittershusius c.* VI. *ἐν προλεγομένοις, data opera interpretes recenset, quibus contenti simus, additis tamen vel tribus ab ipso omissis. Ex antiquis tertio loco*

E *Ser-*

Servium Sulpicium (1) *indicat, cum quo Festus conjungit* Opilium *Jure consultum, et mox* Valerium Messalam in XII explicatione, *quorum nulla ibi mentio facta. Utriusque notitia inter legum cultores intricatior. An forte Opilius est C. Aul. Ofilius, Servii discipulus? de quo Pomponius noster* (2) is fuit Caesari familiarissimus, et libros de jure civili plurimos, et qui omnem partem operis fundarent, reliquit (3). *Verborum proprietati eum fuisse deditum novimus ex Gaji tabularum expositione. Praeterea mutatio elementorum P atque F apud librarios per inscitiam propriorum nominum facillima noscitur. — De Valerio Messala res non adeo expedita videtur, qui Augusti aetate memoriam reddidit inclitam, praeclaris ingenii monumentis, in quibus vix legas, eum juris cultu praecelluisse. M. Seneca* (4) *ab ingenio laudat, in omnes studiorum partes versatili, et quod fuerit sermonis patrii diligentissimus. Interim quae nobis A Gellius* (5) *fragmenta praestitit integra, majora testantur, et quod augur, aliorumque munerum capax, ignorare civitatis suae leges non potuerit. — Familia Sexti Aelii, qui librum Tripertita dictum, velut juris cunabula perfecit in tabulas, eximie describitur ab Henrico No-*

(1) *Cato in Commentariis Juris Civilis. Bos. ad Att. ep. p. m.* 207.

(2) *l.* 2. *ff. de O. J.* §. 22.

(3) *l.* 234. *de V. S.* §. 2.

(4) *XII. Controv.*

(5) *XIII. N. A. c. XV.*

Norisio Dissert. III. *p.* 419. *seqq.*, *in Cenotaphiis Pisanis, opere splendido, multoque labore facto. Nondum de eo inter doctos convenit, quae ratio hujus denominationis,* in jure Aeliano. *Sunt qui ad communem denominationem nos remittunt, quasi Sacrum, Publicum et Privatum complecteretur. Alii primo loco tabulas collocant, secundo eorum Commentarios, tertio legis actionem. In tanta caligine rerum nihil decernimus. Qui post Rittershusium id egerunt, et quos nec ipse nominavit, inter eos Paulus Merula atque Jac. Gothofredus, antiquioris doctrinae et legum antistites, inprimis eminent.*"

Nos, etsi nihil novi prolaturi, singulos, qui ex professo XII Tabularum leges interpretati sunt, deinceps breviter retractemus, ita, ut data opera in cujusque aetatem inquiramus; eum autem sequemur ordinem, ut primum recenseamus, quos certissime constat interpretatos esse XII Tabulas, tum eos de quibus dubia res est, et potius suspicio quaedam levis. Et vero etiam eos tantum interpretes recensebimus, quorum nomina prostant; de iis enim, qui non nominantur, insanum sit audacter hariolari velle. Passim enim, notante Gothofredo L. IV. ad XII Tabul. in Ott. Thesaur. T. III. p. 145. veteres interpretes, non additis nominibus, memorantur: a Varrone L. IV. de L. L. n. 4. „*Ambitus, iter quod circumeundo teritur: nam ambitus, circumitus. Ab eoque XII Tabularum interpretes Ambitum parietis, circumitum*

esse describunt." A Pomponio l. 21. ff. de Statulib. „*Quod ita scriptum est, videbitur; pro hoc accipi debet, videri poterit. Et sic verba legis XII Tabularum veteres interpretati sunt: si aqua pluvia nocet, id est, si nocere poterit.*" A Cicerone L. II. de Legib. c. 25. „*Nostrae legis interpretes, quo capite jubentur, sumptus et luctum removere a Deorum Manium jure, hoc intelligunt inprimis, sepulcrorum magnificentiam esse minuendam*" Et a Festo p. 424. „*Recinium, omne vestimentum quadratum. Ii, qui interpretati sunt, esse dixerunt virilem togam, qua mulieres utebantur, praetextam clavo purpureo.*".

§. 1.

Sextus Aelius.

Hunc, quo probetur referendum esse inter antiquos XII Tabularum interpretes, argumento est locus Ciceronis de Legib. L. II. c. 23. quem supra exhibuimus. Ennii versus, quem Pomponius significat, notissimus est: *Egregie cordatus homo Catus Aeliu' Sextus:* citatus a Cicerone tum alibi, tum de Republ. L. I. c. 18. in Ennii edit. Hesselian. p. 128. Non dubium est quin Aelii nomen merito inter JCtos locum sibi vindicet: audi modo testimonium Ciceronis de Orat. L. I. c. 48. „*Sin autem quaereretur, quisnam JCtus vere nominaretur; eum dicerem, qui legum, et consuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, et ad respondendum, et ad*

ad scribendum, et ad cavendum, peritus esset: et ex eo genere Sex. Aelium, M'Manilium, P. Mucium, nominarem:" praeterea propter juris scientiam laudatur ab eodem L. I. c. 45. L. III. c. 33. et in Bruto c. 20.

Jam quod ad aetatem attinet, Sext. Aelius Paitus Catus in Fastis Consularibus memoratur Consul fuisse cum T. Quinctio Flaminino a. U. 555. Hi igitur, licet, notante Pighio in Annal. T. II. p. 250. praeter ordinem magistratuum Consules creati sint, („ *Quinctius ex Quaestura multo ante gesta, Sex. Aelius ex Aedilitate Curuli; sic ut neuter Praeturam et ille nec Aedilitatem attigerit*") verosimiliter ambo ad initium Seculi VI. referendi videntur.

Commentarii autem, quos in XII scripsit, omnes perierunt; et hi, quantum scio, a nemine nominatim memorantur; qui enim apud Ciceronem de Orat. L. I. c. 56. Commentarii memorantur, judice Bachio Hist. Jur. L. II. c. II. Sect. IV. §. 23. sunt ipsius *Commentarii de Jure Civili*, quos Jac. Gronovius opinatur quoque significari a Gellio L. IV. c. 1. quum ibi pro *Sejo Aelio* legendum conjiciat *Sexto Aelio*; quam conjecturam etiam amplectitur Perizon. Animad. Hist. c. 11. p. 71. Sed ad Commentarios, quos in XII Tabulas scripsit Aelius, fortasse referenda est ipsius explicatio vocis *locuples*, quam memorat Cicero in Top. c. 2. „ *Cum lex assiduo vindicem assiduum esse jubeat, locupletem jubet locupleti: Locuples enim est Assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab aere* (l. asse) *dando.*"

Et ad eosdem referendus videtur Festi locus, maxime truncatus, p. 582. . . . . . . *ex curiata fertur, quo Hann.* . . . . *Romae cum esset, nec ex praesid.* . . . . *Q. Fabius Maximus Verru* . . . . . *Marcellus Cos. facere in* . . . . . *vit Aelius in XII. sig.* . . . . . .

§. 2.

L. Acilius.

Alter, quem Ciceronis testimonio docemur referendum esse inter XII Tabularum interpretes, est L. Acilius, qui, notante Bachio Hist. Jur. L. II. c. II. Sect. IV. §. 24. errore sive Pomponii, sive librariorum, Atilius nominatur in l. 2. §. 38. D. de O. J. Hujus quanta fuerit Juris Civilis scientia, exinde patet quod a Veteribus *κατ' ἐξοχὴν* Sapiens cognominatus sit: cujus rei mentio fit apud Ciceron. de Amicit. c. 2. ubi Fannius ad Laelium ita: „*Scimus L. Acilium apud patres nostros appellatum esse Sapientem; — quia prudens esse in Jure Civili putabatur*," ad quem locum Doct. Gernhard Pomponii scripturam sequitur.

Acilii aetas, quantum scio, non diserte memoratur: argumento quod ipsius et Sex. Aelii mentio apud Ciceronem uno loco fiat, conjiciam ambos ejusdem aetatis fuisse. Ita quoque Bachius, fortasse non alio argumento. Consentientem habemus Wyttenbachium in Scholis ad Cicer. de Legib. p. 345. edit. Creuz. Si igitur

et

et hujus Acilii aetas referenda est ad initium Seculi VI. merito ipsos Cicero jam sua aetate *veteres interpretes* appellavit.

Commentarii ad XII Tabulas omnes perierunt. Turnebum, ubi ad Ciceron. de Legib. L. II. c. 23. notat, Acilium a Festo, ut juris interpretem, citari, memoria falsum esse opinor, quum, si qua fides habenda est Daceriano indici, nullibi usquam apud Festum L. Acilii mentio fiat.

§. 3.

L. Aelius.

L. Aelius, qualem sibi inter Oratores et Grammaticos locum vindicet, supra ex Ciceronis et Suetonii testimoniis exposuimus. Inter XII Tabularum interpretes tertium ipsi locum vindicat Ciceronis testimonium de Legib. L. II. c. 23. ubi Cicero, dum quaerat quid *lessum* in XII significet, hujus, quam Sex. Aelii et L. Acilii, magis veram esse interpretationem judicat. In isto vero Ciceronis loco, licet simul cum Sex. Aelio et L. Acilio commemoretur, hoc non potest esse argumento, quo probetur ipsum cum his ejusdem fuisse aetatis: Sex. enim Aelium et L. Acilium, ut modo diximus, Cicero sua jam aetate vocat *veteres interpretes*; sed de L. Aelio loquitur, quasi vel ea aetate vivente, vel non ita diu mortuo.

In

In antiquis autem Ciceronis editionibus non *L. Aelius* sed *Laelius* exaratum erat, quod Turnebus demum emendavit: Gothofredus igitur l. c. p. 145. quum *Laelius* legeret, dubitavit an hic esset Laelius Felix, memoratus Gellio L. XV. c. 27. ad eumque pertinere existimat hunc locum Plinii H. N. L. XIV. c. 13. „*Lautissima apud priscos vina erant, myrrhae odore condita. Ideo quidam aromatite delectatos maxime decernunt. Scaevolam quoque et Laelium, et Atejum Capitonem in eadem sententia fuisvideo, quoniam in Pseudolo* [II. 4. 51.] *sit.* « *Quod si opus est ut dulce promat indidem, ecquid habet? Rogas? Murrhinam, passum, defrutum, mella,*" arbitratus Laelium eam sententiam exhibuisse in interpretatione legis *murata. potio. mortuo. ne. inditor.* Post Turnebi igitur demum emendationem L. Aelius suum inter XII Tabularum interpretes locum occupavit.

Commentarii, quos L. Aelius in XII scripsisse perhibetur, diu omnes perierunt. Nominatim, quod scio, a nemine citantur. Festus multa ex Aelio Stilone hausit, sed non addit e quibus operibus; ubi de Sontico morbo agit, sine dubio significat Aelii Commentarios in XII Tabulas: audi locum Festi p. 517. „*Sonticum morbum in duodecim significare ait Aelius Stilo certum cum justa causa: quem nonnulli putant esse, qui nocet, quod sontes significet nocentes. Naevius ait: Sonticam esse oportet causam, quamobrem perdas mulierem.*"

In

In reliquis Festi locis, ubi Aelii mentio fit, vel hi Commentarii significantur, vel ipsius Explanatio Carminum Saliarium, vel Libri de antiquitate Romana, si hos scripsit, quod e Ciceron. Acad. L. I. c. 2. perhibet Bachius in Hist. Jur. L. II. c. II. Sect. IV. §. 23. n. k. et Schutzius in Clav. Ciceron. T. I. p. 9.

§. 4.

Servius Sulpicius.

Servii Sulpicii etsi a nemine veterum Commentarii in XII Tabulas nominatim memorentur, ita tamen passim Festus, ubi de XII exponit, ipsius nomen citat, ut facile appareat ipsum aliquando XII Tabulas interpretatum esse. Quin et, notante Cujacio Observ. L. X. c. 26. Cajus in libro V. ad Legem XII Tabularum ipsius mentionem facit tamquam qui ante se istas leges interpretatus sit. Caji fragmentum est in l. 237. D. de V. S. „*Duobus negativis verbis quasi permittit lex magis, quam prohibuit; idque etiam Servius animadvertit.*" Ipsius laudes insigniter praedicantur a Cicerone in Bruto c. 41. „*Non facile quem dixerim plus studii, quam illum, et ad dicendum, et ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. Nam et in iisdem exercitationibus, ineunte aetate, fuimus; et postea una Rhodum ille etiam profectus est, quo melior esset et doctior; et,*

inde ut rediit, videtur mihi in secunda arte primus esse maluisse, quam in prima secundus. Atque haud scio, an par principibus esse potuisset; sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium, non ejusdem modo aetatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in jure civili esse princeps." Sum etiam pro Muraen. c. 7. et Philipp. IX. c. 1. et alibi, quae loca diligenter congessit Ev. Otto, qui Sulpicii vitam, studia, scripta et honores singulari libello exposuit, inserto T. V. Thesauri, c. VI. p. 1586. seqq.

Qualis Sulpicio aetas fuerit, facile definitur. Teste Gellio L. II. c. 10. Sulpicius et Varro literas inter se mutuas scripserunt: Ciceronis quoque ad eum aliquot epistolae exstant in Libro IV. ad Familiares, et Sulpicii ad Ciceronem duae exstant, L. IV. Ep. 5 et 12. Et quod Sulpicius Ciceronis fuerit aequalis confirmant verba Bruti, quibus in libro de Clar. Orat. c. 40. Ciceronem ita alloquitur: „*De te et de Serv. Sulpicio cogitans, esse quamdam vobis similitudinem judico: quia aetates vestrae nihil, aut non fere multum differunt.*" Neque igitur multum quoque ipsius aetas distare potuit a M. Marcelli aetate, quocum, a U. 702. Consulatum gessit, teste Pighio Annal. T. III. p. 416.

Commentarii, quos in XII Tabulas scripsit, omnes perierunt, praeter pauca fragmenta quae servavit Festus; quae nobis operae pretium videtur colligere. Festus igitur:

P.

p. 331. PEDEM STRUIT. *in duodecim significat fugit, ut ait Ser. Sulpicius.*

p. 478. SANATES. *quasi sanati appellati, id est sanatae mentis. Sulpicius autem Rufus Sanates, et Oppillius Aurelius existimant dici inferioris loci gentes ut Tiburtes et alios, qui cum populo Tiburte habitarunt in agro Tiburti, id est peregrinos inferiorisque loci gentes, itaque scriptum est in XII. nexo. solutoque. forti. sanatique. idem. jus. esto.*

p. 480. SARCITO. *in duodecim Servius Sulpicius ait significare, damnum solvito, praestato.*

p. 594. VINDICIAE. *olim dicebantur illae, quae ex fundo sumtae in jus adlatae erant. At Ser. Sulpicius . . . jam singulariter formato vindiciam esse ait . . . . qua de re controversia est, ab eo quod vindicatur . . . . et in duodecim: si vindiciam falsam tulit.*

Praeterea Sulpicius apud eundem Festum citatur, non addito nomine operis:

p. 285. . . *ut Ser. Sulpicius . . . . . . apud poetas autem et oratores ponitur pro culpa.*

Hoc fragmentum, si Sulpicius nullos praeterea libros scripsisset, sine dubio ad Commentarios in XII Tabulas referendum esset; sed quum Sulpicius reliquerit *prope centum et octoginta* libros, ut est in l. 2. §. 43. D. de O. J. res ad-

 mo-

modum dubia videri possit: sed quum in Festo mox, post Attii versus citationem, haec verba sequantur *Item cum lex jubet noxae dedere, pro peccato dedi jubet*, non dubito quin et hoc loco Festus citaverit Sulpicii Commentarios ad XII Tabulas.

Gothofredus autem l. c. p. 145. ubi reliquias veterum interpretum collegit, de Servio Sulpicio tacet; sed mox p. 156. ubi ad verba *pedemve struit* commentatur, non dubitat Servium Sulpicium inter XII Tabularum interpretes referre, qua in re ipsum sequitur Ev. Otto, pluribus argumentis usus, in Praef. ad T. III. Thes. p. XXVIII. et mox in libro singulari de vita et scriptis Sulpicii C. VII. §. III. in T. V. Thesauri p. 1598.

§. 5.

Antistius Labeo.

Qui Sulpicium aliquo intervallo sequitur, Antistius Labeo, Augusti aetate floruit, celeberrimus Jurisconsultus, Atejo Capitoni aequalis, a quo in Juris schola plurimum dissentit: alter, Stoicam severitatem affectans, strenuus libertatis defensor: alter, aulae deditus, honorum appetentissimus. Labeonis laudem insigniter praedicat Gellius L. XIII. c. 10. „*Labeo Antistius Juris quidem civilis disciplinam principali studio exercuit, et consulentibus de Jure publice responsitavit; ceterarum quoque bonarum artium*

tium non expers fuit: et in Grammaticam sese atque Dialecticam, literasque antiquiores altioresque penetraverat; Latinarumque vocum origines rationesque percalluerat: eaque praecipue scientia ad enodandos plerosque Juris laqueos utebatur." Sed Horatius, ubi Sat. L. I. 3. 82. ait: *Labeone insanior inter Sanos dicatur?* vel alium intelligit Labeonem, vel ipsum insanum dixit, Augusto adulaturus, *adversus quem*, ut Scholiasta Porphyrio notat, *Labeo, memor libertatis, in qua natus erat, multa contumaciter dixisse et fecisse dicitur.* Tacitus quoque Annal. L. III. c. 75. narrat Labeonem *intra Praeturam stetisse*, id est, functum quidem Praetoria dignitate, numquam tamen Consulari: *Capitoni* enim, ut inquit, *Consulatum acceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium dignatione ejus magistratus anteiret.* Sed ne dissensio, quae Labeonem inter et Capitonem fuit, nos moretur: satis ea de re exposuerunt auctores quos citat Bachius H. J. L. III. c. I. Sect. VI. §. 7. seqq. Caeterum quanta Labeoni a posterioribus JCtis habita sit auctoritas, notum est ex *pr. Inst. de Codicill.*

Labeonis Commentarii, quos in XII Tabulas scripsit, perierunt. Fragmenta ex ipsis duo servavit Gellius; alterum L. I. c. 12. „*In Commentariis Labeonis, quae ad duodecim tabulas composuit, ita scriptum est: Virgo Vestalis neque heres est cuiquam intestato, neque intestatae quisquam: sed bona ejus in publicum redigi ajunt. Id quo jure fiat, quaeritur."*

tur." alterum L. VII. c. 15. „*Labeo in libro de duodecim tabulis secundo, acria et severa judicia de furtis habita esse apud Veteres scripsit: idque Brutum solitum dicere, furti damnatum esse, qui jumentum aliorsum duxerat, quam quo utendum acceperat; item qui longius produxerat, quam quem in locum petierat.*" Et ipsorum quoque meminit Favorinus Philosophus, apud Gellium L. XX. c. 1. qui cum Sexto Caecilio de XII Tabulis loquens haec ait: „*Videntur quaedam in XII Tabulis impendio molliora esse: nonne tibi quoque videtur nimis esse dilutum, quod ita de injuria poenienda scriptum est: si. injuriam. faxit. alteri. viginti. quinque. aeris. poenae. sunto. quis enim erit tam inops, quem ab injuriae faciendae lubidine viginti quinque asses deterreant? itaque quum eam legem Q. Labeo quoque vester in libris, quos ad duodecim Tabulas conscripsit, non probaret; Quidam, inquit, Lucius Veratius fuit, egregie homo improbus atque immani vecordia: is pro delectamento habebat, os hominis liberi manus suae palma verberare: eum servus sequebatur, crumenam plenam assium portitans: et, quemcunque depalmaverat, numerari statim, secundum duodecim Tabulas, quinque et viginti asses jubebat: propterea, inquit, Praetores postea hanc abolescere et relinqui censuerunt, injuriisque aestimandis recuperatores se daturos edixerunt.*"

S.

§. 6.

Gajus.

Labeonem, post magnum temporis intervallum, in XII Tabularum explicatione, secutus est Cajus, vel Gajus, elegantis ingenii Jurisconsultus, qui et multos libros scripsit apud ipsos Veteres magno usu versatos, et non pauca exposuit in quibus ante ipsum reliquorum JCtorum vix quisquam exercuerat ingenium. Hinc quanta ipsi a posterioribus JCtis habita sit auctoritas, notum est ex §. 6. Prooem. Institutionum, ubi Justinianus haec ait: „*In quatuor libros Institutiones partiri jussimus, ut sint totius legitimae scientiae prima elementa. Quas ex omnibus antiquorum Institutionibus, et praecipue ex commentariis Caji nostri, tam Institutionum, quam Rerum quotidianarum, aliisque multis commentariis, compositas, cum tres Viri prudentes nobis obtulerunt: et legimus et recognovimus, et plenissimum nostrarum Constitutionum robur eis accommodavimus.*"

In definienda Gaji aetate recentiores ita dissentiunt, ut ne ad trecentos quidem annos consentiant: alii enim, ut exposuit Ev. Otto in Praef. ad Thes. T. I. p. XV. ipsum ad Hadriani tempora, alii ad Justiniani imperium retulerunt: est autem ab Hadriani morte ad Justinianei imperii auspicia intervallum trecentorum octoginta novem annorum.

Quae

Quae Heineccius in Hist. Jur. L. I. c. IV. §. 313. attulit, mihi facile persuadent Gajum vixisse sub Hadriano, ita ut etiam Antonino Pio superstes fuerit.

Quidquid hac de re sit, Gajus ea saltem aetate vixit, qua superstites fuerunt integrae XII Tabularum leges; harum enim ipsa verba, ut ajunt, *κατὰ πόδα* interpretatus est. Commentarii autem isti, quos sex libris conscripsit, dudum omnes perierunt praeter quaedem fragmenta, in Pandectis servata, quae, ad Tabularum ordinem in unum collegit Gothofredus in Ottonis Thesaur. T. III. p. 147. quem secutus est Heineccius in Hist. Jur. L. I. c. II. §. 52. et Bouchaud. l. c. p. 194.

Sufficiat indicasse loca, quibus ea fragmenta in Pandectarum corpore prostant: l. 1. D. de Orig. Jur. l. 18. l. 20. l. 22. D. de in jus voc. l. 6. D. si quis caut. in jud. sist. fact. non obtemp. l. 2. l. 4. D. arb. furt. caes. l. 48. D. de pact. l. 43. D. ad leg. Jul. de adult. l. 9. D. de incend. ruin. naufr. l. ult. D. de Colleg. l. ult. D. fin. reg. l. 3. D. de litigios. l. 19. de usuc. l. 233. l. 234. l. 235. l. 236. l. 237. l. 238. D. de Verb. signif.

His quidem fragmentis, notante V. Cl. Dirksen in Comment. German. ad leges XII Tabul. p. 12. addi poterit fragmentum quod servatum est ab Joanne Laurentio Lydo Philadelpheno, in opere de Magistrat. Reip. Rom. L. I. c. 34. qui haec ait: „ *Γάϊος ὁ νομογράφος μετὰ τὴν τῶν κυαιστώρων τὴν δεκανδρικὴν ἀρχὴν ἀναφέρει, ῥήμασι πρὸς ἑρμηνείαν τούτοις· πολλῆς δὲ συγχύσεως*

τῶν

τῶν νόμων, οἷα μὴ γράμμασι τεθειμένων, τοῖς πράγμασι γινομένης ἐκ τῆς τῶν ἀρχόντων καὶ τοῦ δήμου διαφορᾶς, δόγματι κοινῷ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου πάντες μὲν οἱ ἄρχοντες ἐκινήθησαν, δέκα δὲ μόνοις ἀνδράσι τὴν Φροντίδα τῆς πολιτείας παρέδοσαν. Αὐτοὶ δὲ στέλλουσιν (ἡ ἱστορία Φησὶν) εἰς Ἀθήνας Σπούριον Ποστούμιον, Αὖλον Μάρκιον, καὶ Πούπλιον Σουλπίκιον. Τῶν δὲ ἐπὶ τριετῆ χρόνον ἐκεῖ βραδυνόντων, ἕως καὶ τοὺς λειπομένους Ἀθηναίων νόμους ταῖς δέκα δέλτοις ἀναλάβωσι, δέκα προεβάλετο ὁ δῆμος ἄνδρας ἀνθεξομένους τῶν πραγμάτων, ὧν ὁ πρῶτος τῆς πόλεως Φύλαξ προσηγορεύθη (ὁ καθ' ἡμᾶς πολίαρχος). Ἐπίσημα δὲ τῆς ἐξουσίας ἦν αὐτῷ δυοκαίδεκα ῥάβδοι· τοῖς δὲ λοιποῖς οὐχ οὕτως, ὁπλοφόρος δὲ ἀν' ἕκαστον εἷς καὶ μόνος. Τῷ γε μὴν πολιάρχῳ καὶ τάξις ἀνδρῶν τογατηφόρων, καὶ ῥαβδοῦχοι, καὶ δεσμὰ, καὶ ὅσα ἴσμεν, παρῆν." Aliud praeterea fragmentum idem ille Lydus servavit L. I. c. 26. „Γάϊος ὁ νομικὸς ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ παρ' αὐτοῦ ad legem XII Tabularum (οἷον, εἰς τὸν νόμον τοῦ δυοκαιδεκαδέλτου) αὐτοῖς ῥήμασι πρὸς ἑρμηνείαν ταῦτά Φησιν· ὡς δὲ τὸ γαζοΦυλάκιον τοῦ δήμου εἰς ἐπίδοσιν ἦλθε, προεχειρίσθησαν κυαίστωρες ὑπὲρ τῆς αὐτοῦ Φροντίδος, ἀπὸ τῆς περιποιήσεως καὶ Φυλακῆς τῶν χρημάτων οὕτως ὀνομασθέντες. Ἐπειδὴ δὲ περὶ κεφαλικῆς

τιμωρίας οὐκ ἐξῆν τοῖς ἄρχουσι κατὰ Ῥωμαίου πολίτου ψηφίσασθαι, προεβλήθησαν κυαίστωρες παῤῥικίδιοι (ὡσανεὶ κριταὶ καὶ δικασταὶ τῶν πολίτας ἀνελόντων)."

Postremi autem hujus fragmenti mentionem non facit Cl. Dirksen: hinc conjicio ipsum probasse opinionem Fussii, qui, in Not. ad Lydum p. 48. opinatus est, errasse Lydum, qui ea verba Cajo tribuerit, quae Pomponio tribuenda fuissent; quandoquidem Pomponius iisdem fere verbis rem istam narret in l. 2. D. de Or. Jur. §. 22. „*Deinde cum aerarium populi auctius esse coepisset, ut essent, qui illi praeessent, constituti sunt Quaestores, qui pecuniae praeessent: dicti ab eo, quod inquirendae et conservandae pecuniae causa creati erant. Et quia, ut diximus, de capite civis Romani injussu populi, non erat lege permissum Consulibus, jus dicere, propterea Quaestores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeessent: hi appellabantur Quaestores parricidii; quorum etiam meminit Lex XII Tabularum.*"

Addamus quoque ad hunc locum eorum nomina, de quibus dubia res est an revera leges XII Tabularum interpretati sint, id est, M. Porcii Catonis, Valerii Messalae, C. Auli Ofilii et Ateji Capitonis.

§. 7.

§. 7.

M. Porcius Cato.

M. Porcius Cato inter XII Tabularum interpretes refertur a Rittershusio l. c. ad exemplum Balduini, *qui observaverit Catonem aliquando ad illustrandas XII Tabulas studium suum contulisse.* Hic autem quibus argumentis usus sit, nescio, quum Balduini locum non invenerim; at vereor ut argumenta proferat, quae satis decernant. Equidem scio Catonem a Crasso, apud Ciceron. de Orat. L. I. c. 37. vocari Juris Civilis omnium peritissimum: et ab Antonio, ibidem L. II. c. 33. diserte inter JCtos referri; sed a nemine, quantum scio, Catonis nomine citantur Commentarii, quibus data opera XII Tabularum leges interpretatus sit. Fortasse quidem Cato in *Commentariis Juris Civilis*, qui saepius a Festo et Nonio memorantur, leges XII Tabularum non intactas reliquerit; sed hoc hujusmodi est, ut hanc ob rem Catoni inter XII Tabularum interpretes non magis locus vindicetur quam Ciceroni et Festo, quod hi passim, non ex professo, quasdam istarum legum explicuerint.

§. 8.

Valerius Messala.

Valerii Messalae nomen inter XII Tabularum interpretes non memorat Brunquellus Hist. Jur.

 P. I.

P. I. c. III. §. 24. neque Bachius Hist. Jur. L. I. c. II. Sect. II. §. 11. secuti hac in re, ut videtur, exemplum Rittershusii, qui, in Proleg. ad XII Tabulas c. VI. ubi antiquos istarum legum interpretes recenset, Messalae mentionem non injicit. Schubartius l. c. rem sibi non adeo expeditam videri inquit. Et vero merito dubitari licet an Messala inter XII Tabularum interpretes locum sibi vindicet. Si Festi loca sana essent et integra, facilius fuerit hac in re discernere; sed omnia illa Festi loca, in quibus Messalae Explanatio XII Tabularum citatur, adeo sunt truncata, ut haud scio an absque aliorum testimonio hac in re satis docere possint. Nos, ubi alii dubitarunt, ignorantiam fateri malumus, quam audacius affirmare. Gothofredus autem l. c. p. 146. non dubitavit, Messalam inter veteres XII Tabularum interpretes referre, argumento fragmentorum, quae a Festo citantur. Festi loca haec sunt:

p. 330. *Pecunia quae erogatur in ludos et spectacula, appellatur lucarie, dicta quod e Lucis captetur . . . . in eodem libro . . . . . . dici existimat, cujus opinionis est et Valerius Messala in explanatione XII.*

p. 402. *. . . . . . . quae erogatur . . . . carie dicta . . . . in eodem libro . . . . dixit existimat . . . . ssala in explana . . . .*

Quod

Quod fragmentum Gothofredus, ut alii interpretes docuerunt, perperam rejecit ad vocem *pipulum*; quum manifeste appareat, hoc fragmentum idem esse quod exstat p. 330. male a suo loco divulsum.

p. 478. . . . .
. . eosque sanatis . . . . praeter opinio . . . . . sset sanavissetque et . . . . cisci potuisset, no . . . Cincius lib. II. d . . . . . sulti ne Valerius . . . . in XII explicati . . .

p. 579. *. . ria a tecto appellantur . . . . sordida. Afranius in . . . . tugurium est turpe . . . . bolimaeo. Habitab. . . . . . perculo. Quo nomine . . . . tione 12 ait etia . . . . cari.*

Haec, inquam, Festi loca, si sana essent et integra, facilius fuisset decernere; in difficili quaestione dubitare maluimus, quam audacius affirmare.

§. 9.

C. Aulus Ofilius.

C. Aulum Ofilium, judice Ev. Ottone in Praef. ad T. III. Thesauri p. XXVIII. perperam Schubartius l. c. inter XII Tabularum interpretes refert, ipsumque cum Opillio Aurelio confundit, cujus plus decies Festus meminit. Otto quidem non dubitat Ofilium inter Servii Sulpicii auditores referre: quin et ipsum vocat ejusdem studii imitatorem, ita ut et hic diligens fu-

erit in antiquis vocabulis ex omni vetustate explicandis; sed non ausus est ipsum inter XII Tabularum interpretes referre. Equidem, etiam si Schubartii emendatio (pro *Opillius Aurelius*, apud Festum, legentis *Aulus Ofilius*) admittatur, fateor, me non assequi, quo jure hic inter XII Tabularum interpretes referendus sit. Opillium enim Festus quidem pluribus locis citat, exponentem de antiquis vocabulis, sed nusquam profitetur, Opilium ea verba explicuisse ad XII Tabularum leges. Conjicio Schubartium ea re deceptum esse, quod Festus, alicubi alios XII Tabularum interpretes citans, simul in iisdem locis Opillii nomen exhibeat. Loca Festi haec sunt:

p. 478. . . . . . *ti appella* . . . . . . *Sulpicius* . . . . *Opillius* . . . . . . *dici inferio* . . . . . *ut Tiburtes* . . . . . . *populo Tiburte* . . . . . . *Tiburti, id* . . . . *riorisque loci* . . . . *in XII. ne* . . . . *forti sanati* . . . .

p. 479. SANCTUM . . . . . . *lius quod* . . . . *at Aelius* . . . . *videatur*. . . . . . .

p. 560. TAMNE. *eousque, ut Aelius Stilo, et Opilius Aurelius interpretantur; itaque Afranius: Tamne arcula tua plena est aranearum?*

Vides itaque quam levi argumento Schubartius Opillium s. Ofilium inter antiquos XII Tabularum interpretes retulerit.

§. 10.

§. 10.

Atejus Capito.

C. Atejus Capito, non spernendus Augusti aevi JCtus, Ofilii auditor, utrum merito habendus sit antiquorum interpretum numero, perquam dubitasse videntur Gothofredus, Bachius et reliqui harum rerum scriptores, quum omnes Ateji nomen in interpretum illorum commemoratione tacuerint. Bertrandus vero de Jurisperit. L. II. c. 51. laudat Ateji Capitonis Commentaria ad Leges XII Tabularum; sed, ut recte vidit Ev. Otto in Praef. T. III. Thes. p. XXVIII. quae Bertrandus citat Ateji Capitonis nomine, sunt Antistii Labeonis Commentaria, auctore Gellio. Bertrandus fortasse sibi visus est adstruxisse opinionem suam argumento gravissimo; hoc autem quum falsum esse probaverit Otto, nemo non Atejum facile antiquorum interpretum numero excludet. Heineccius l. c. p. 29. opinatur Atejum fortassis XII Tabulas interpretatum esse, quippe cujus mentio, apud Plinium, cum Scaevolae et L. Aelii commemoratione conjungatur. Hoc autem quam leve sit modo in Ofilii expositione ostendimus. In illo quidem Plinii loco non *L. Aelius* sed *Laelius* commemoratur: hoc autem non valde urgendum est, quum vetus ille interpres, de quo supra egimus, in antiquis Ciceronis editionibus ante Turnebi emendationem, item vocaretur *Laelius*; et Got-

Gothofredus hunc, ut vidimus, eundem esse opinabatur, ac cujus meminit Plinius. Audiamus igitur integrum Plinii locum: exstat in L. XIV. Hist. Nat. c. 13. « *Lautissima apud priscos vina erant, myrrhae odore condita, ut apparet in Plauti fabula, quae Persa inscribitur, quamquam in ea et calamum addi jubet. Ideo quidam aromatite delectatos maxime credunt. Sed Fabius Dossenus his versibus decernit: « Mittebam vinum pulcrum, murrhinam" et in Acharistione: « Panem et polentam, vinum murrhinam" Scaevolam quoque et Laelium et Atejum Capitonem in eadem sententia fuisse video, quoniam in Pseudolo sit* [II. 4. 51.] « *Quod si opus siet, ut dulce promat indidem, ecquid habet? Rogas? Murrhinam, passum, defrutum, mella." Quibus apparet, non inter vina modo murrhinam, sed inter dulcia quoque nominatum."* Hucusque locus Plinii; ex quo Heineccius conjicit Atejum Capitonem interpretatum esse XII Tabulas; quum enim Gothofredus, ut supra notavimus, arbitratus esset, Laelium eam sententiam fortasse exhibuisse in interpretatione legis *murata. potio. mortuo. ne. inditor.* Heineccius videtur opinari Atejum Capitonem eam sententiam in nullo alio libro potuisse tradere, nisi in quo eandem illam legem interpretaretur. Ea mihi videtur opinio paulo audacior, in aliorum testium desiderio: et eodem adeo jure Heineccius Scaevolam inter XII Tabularum interpretes referre debuisset.

C A-

CAPUT III.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS NAEVII, ENNII ET LUCILII.

Post antiquissima illa altissimae memoriae monumenta, sequantur ipsi scriptores Latini, singuli. qui quidem antiquos interpretes nacti sint, deinceps recensendi. Antiquissimus scriptorum Latinorum fuit Livius Andronicus; sed hunc, utpote nullos de Veteribus nactum interpretes, facile silentio praeterimus. Et vero, si tantummodo ii scriptores essent commemorandi, qui diserta Veterum mentione ab antiquis interpretibus, scriptis commentariis, enucleati esse memorantur, fortasse et Naevius et Ennius et Lucilius praetereundi fuissent; praeplacet tamen nec eos quidem omittere, qui vel levissima suspicione antiquos interpretes nacti esse videntur. Agmen itaque ducant Naevius, Ennius et Lucilius; quorum commemoratione conjunctim defungemur, quandoquidem unus Suetonii locus absolvat,. quales interpretes antiquos illi poëtae nacti sint.

§ 1.

Cajus Octavius Lampadio, Quintus Varguntejus, Laelius Archelaus, Vectius, Quintus Philocomus.

Ubi inquirendum est, quales interpretes nacti sint poëtae antiquissimi Naevius, Ennius et Lucilius, res videtur repetenda esse a longe antiquissimis Romanae reip. temporibus, id est ab ea fere aetate, quae istorum poëtarum aetatem proxime secuta est. Postquam enim Grammaticae studium primus in Urbem intulisset Crates Mallotes, Aristarchi aequalis, missus ad Senatum ab Attalo rege, inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam Ennii mortem, isque Romae, per omne legationis tempus, plurimas ἀκροάσεις subinde fecisset, assidueque disseruisset et civibus exemplo fuisset ad imitandum, exstiterunt alii, qui, teste Sueton. de Illustr. Gramm. c. 2. „ *Carmina parum adhuc divulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent: ut Cajus Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod unico volumine et continenti scriptura expositum, divisit in septem libros: ut postea Quintus Varguntejus Annales Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat: ut Laelius Archelaus, Vectius, Quintus Philo-*

co-

comus Lucilii Satiras familiaris sui." Naevius itaque suorum carminum interpretem nactus est Cajum Octavium Lampadionem; Ennius, Quintum Varguntejum, et, quemadmodum Gellius innuit L. XVIII. c. 5. Lampadionem; Lucilius, Laelium Archelaum, Vectium, Quintum Philocomum. Ast vero interpretes illi, etsi negari non queat, ipsos in istorum poëtarum scriptis interpretandis non nihil operae collocasse, an carmina, quae legerint, scriptis Commentariis interpretati fuerint, summopere dubia res est. Equidem crediderim hos interpretes anagnóstarum magis quam Grammaticorum munere functos esse, ipsorumque recitationem, in circumstantium corona, fere referre Graecorum Rhapsodorum morem. Proprie itaque omnium horum nomina hic reticeri potuissent, quandoquidem, si vere rem spectas, nemo istorum quisquam locum sibi vindicet in antiquorum interpretum numero.

Ad calcem hujus Capitis adjiciamus de levi suspicione quae Valerium Probum Naevii carmina interpretatum esse pronuntiat.

§. 2.

Valerius Probus.

Valerius Probus tantam in Grammaticae studio adeptus est laudem, ut et Charisius et Priscianus et reliqui harum rerum scriptores, si quid in disputando affirmare velint, ipsius auctoritati

 sub-

subscribant. Quibus autem potissimum scriptis tantam laudem adeptus sit, non omnino constat; quum nec ipsa tantum scripta, sed vel ipsorum nomina plurimam partem perierint. Charisius autem alicubi sic Probi nomen citat, ut facile quis in eam opinionem adduci possit, ipsum peculiari commentario Naevii carmina interpretatum esse. Charisii (*) locus est, p. 178. 33. „*Efflictim, Naevius in Corollaria: „Nolo ego adeo efflictim amare, diu vivat volo, ut mihi prodesse possit." ubi Probus, Usque donicum exfligatur.*" Sic enim solent Grammatici, praecipue Charisius, usurpare voculam *ubi*, ut si cujus nomine ad eum modum, antiqui scriptoris interpretationem citent, is scriptorem illum, peculiari opere, interpretatus esse, conjici possit. Hujusce rei exempla videbimus infra. Sed quantopere hac in re caute pronuntiare oporteat, hoc ipsum exemplum docet: nec enim, sicubi Probi nomine citatur interpretatio Naeviani cujusdam versus, ideo sequitur, Probum omnes aliquando Naevii fabulas et Annales interpretatum esse, vel ne ipsam fabulam quidem omnem, ad quam ea interpretatio pertinet. Quum enim Valerius Probus plures libros scripserit Grammatici argumenti, cujusmodi sunt *Libri Dubii Generis*, citati Prisciano p. 659. et *Liber de Catholicis Nominum*, citatus eidem

p.

(*) Charisium, Priscianum Diomedem et reliquos Grammaticae Latinae auctores antiquos citamus ad paginas editionis Heliae Putschii, Hanoviae 1605.

p. 689. et *Instituta Artium*, citata eidem p. 727. fortasse in his Valerius passim Naevii, ut et aliorum poëtarum, versus citavit et subinde interpretationem addidit. Et hujusmodi quidem opinioni admodum favere videtur locus Prisciani p. 906. 20. „*Ajo, cujus declinatio in usu frequenti non est, quartae conjugationis esse ostenditur ab imperativo in I terminante. Sic enim Probus, de dubio perfecto tractans, ostendit Naevium protulisse. « An nata est sponsa praegnans? vel ai, vel nega.*" Hinc igitur quum pateat Naevianum versum, a Probo, aliud dum ageret, citatum esse, dubito an e Charisii levissimo indicio suspicari liceat Probum singularem commentarium in Naevii Corollariam scripsisse. Non immerito itaque nobis dubitasse videmur, an Valerius Probus dici mereatur data opera Naevium explicuisse, quum quidem, praeter levissimum illud Charisii indicium, quantum scio, apud neminem hujus rei mentio fiat. Proprie itaque et Probi nomen ad hunc locum reticeri potuisset: infra tamen, jure suo, commemorandum, inter antiquos Terentianarum fabularum interpretes.



CAPUT IV.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS M. PORCII CATONIS.

Catonis Historiarum libri, ubi memorantur, non dubium est, quin intelligendum sit celebratissimum illud Originum opus, de quo disertam mentionem facit Nepos in Cat. c. 3; quod etsi neget Chr. Colerus in notis ad Sallustii Hist. L. I. (*), contendens Catonem praeter Originum libros scripsisse Historiam, argumento, quod Nonius in v. *calliscerunt* citet *Catonem de bello Carthaginiensi*; nos non aegre Vossii sententiam sequimur, qui de Hist. Lat. L. I. c. 5. p. 21. non dubitat pronuntiare Catonis librum de bello Carthaginiensi, non historiam, verum orationem fuisse, ut aperte vocat Gellius L. IX. c. 14. *Mar-*

(*) Coleri ut et Vossii opinionis commemorationem frustra quaesivi in Diatribe Literaria de M. Porcii Catonis scriptis et fragmentis, edita ab J. H. Van Bolhuis, Trajecti 1826. et in Catonianis ed. ab H. A. Lion, Gottingae 1826.

Marcus Cato in oratione, quam de bello Carthaginiensi composuit. Illud quidem facile crediderit Vossius, orationem eam fuisse Originum libris inclusam, quum id fecisse aliquoties Catonem, manifeste ostendat luculentus Livii locus in Epit. L. XLIX. sed omnino negat Catonem diversam ab Originum libris historiam scripsisse. Si itaque probari poterit Catonis Historiarum libros, aliquem de Veteribus invenisse interpretem, persuasum nobis habebimus, hoc intelligendum esse de Originum libris. Cujus quidem rei, etsi non exstet diserta memoria, nefas sit vel leve indicium negligere.

Statilius Maximus.

Charisius, ubi de antiquiorum vocabulorum usu et significatione disputat, saepissime citat opera Catonis senis, ita quidem, ut haec, quae nunc fere omnia perierunt, ipsius aetate superfuisse videantur. Atqui hic illic manifeste innuit antiqua ista vocabula in Catonis operibus jam ante se observata fuisse a Statilio Maximo; nec tamen addit Charisius, quo libro haec observaverit Maximus: quin imo Maximi observationes ad Catonem interdum sic vocat in partes, ut facile quis conjicere possit a Maximo peculiarem Commentarium compositum esse ad Catonis li-

libros. Charisii loca apponemus:

p. 181. 30. IMPERIABILITER. *Cato senex* [1]. *ubi Maximus pro nimis imperiose et dure.*

p. 191. 45. PRIMO PEDATO. *Cato senex in historiarum II.* [in fragm. ed. Cortii p. 11.] « *In his duobus bellis alteras stipendio agrique parte mulctati, alteras oppidum vi captum, alteras primo pedato et secundo.*" *Ut Maximus notat, hodieque nostri per Campaniam sic loquuntur.*

p. 195. 34. SECUNDO. *Cato senex*, [2]. *ut Maximus notat.*

p. 196. 14. TETRE. *Cato senex* [in fragm. p. 17.] « *Tetre aetatem exigit*" *ut Maximus.*

p. 213. 37. VITA DEUM IMMORTALIUM. *Cato senex*, [3]. *ubi Statilius Maximus, ἐκφώνησις*, inquit, *ἀρχαϊκὴ, ὡς ὦ πόποι.*

Haec sunt, quae de Statilii observationibus servavit Charisius; quae fragmenta mihi quidem satis persuadent Statilium aliquando nonnihil operae collocasse in interpretandis Catonis Originibus. Neque hoc dubitavit Fabricius, qui in Bibl. Lat. T. I. p. 36. ubi de Catonis Originibus disputat, haec ait: „ *Laudat hoc opus Cicero Bruto c. XVII. Illustraverat olim Statilius*

[1] Doct. Van Bolhuis hoc fragmentum rejecit inter *fragmenta incerti loci.* p. 210. et ita quoque Lion l. c. p. 86.

(2) Van Bolhuis ibid. p. 213. et Lion. p. 86.

(3) Van Bolhuis ibid. p. 214. et Lion p. 86.

lius Maximus, ut e Charisio colligitur." Et Fabricium satis placide sequitur H. A. Lion p. 14. Nobis vero venit in mentem peccasse in eo novissimos Catonis editores, quod fragmenta, quae Charisius p. 181. 195. et 213. memorat, dixerint esse *loci incerti*, quandoquidem hoc argumento satis probari possit, ea ad Originum libros referri oportuisse.

De Statilii aetate, in tanto Veterum silentio, nihil, quantum scio, aliquid certi constat, et haud scio an ipse re qua alia notus sit, quam quod ipsius nomine libri ferantur fuisse de Singularibus apud Ciceronem et Commentarii ad Sallustium; de quibus singulis libris infra, suo quoque loco, mentionem faciemus.

CAPUT V.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS M. ACCII PLAUTI.

Expositnri de iis, qui aliquando Plauti comoedias scriptis Commentariis illustraverint, iterum per suspicionem hariolandum erit, quod per disertam Veterum commemorationem confirmari nequit; itaque et plenisse operâ nostrâ defuncti videbimur, si sola ipsorum nomina memoraverimus, qui quovis levi indicio inter Plauti interpretes referuntur. De singulorum enim aetate vel doctrina quis, quaeso, velit audacter hariolari, in tanta argumentorum penuria? Neque enim tantummodo eorum omnium Commentarii penitus interierunt, sed rarissima sunt quoque subinde testimonia recentiorum Grammaticorum, qui ipsorum nomina memorant. Locum autem hic sibi vindicare videntur Aruntius Celsus, Flavius Caper, et L. Sisenna: quorum utpote nominibus passim scholia ad Plautum citantur a Sosipatro Charisio. De singulis igitur deinceps peculiariter exponemus.

An-

Ante tamen ad hunc locum mentio facienda erit Aelii, Sedigiti, Claudii, Aurelii, Accii et Manilii: qui, etsi proprie non scripserint Commentarios, sed confecerint *Indices* in Plauti fabulas, aliquo saltem modo istius poëtae interpretationi profuerunt. Inprimis quoque memorandus est M. Varro, qui libros scripsit de *Comoediis Plautinis*, sive ut a Diomede de Arte Gramm. L. III. p. 485. vocantur, *Quaestionum Plautinarum Libros:* Varro enim etsi non dedita opera videatur Plautum interpretatus esse, ubi tamen in his libris inquireret, quaenam fabulae revera a Plauto essent scriptae, quae ipsius nomini suppositae, sine dubio addidit suarum opinionum causas, et sic forte Plautum subinde explicavit. Omnium vero illorum commemorationem unus absolvet Gellii locus L. III. c. 3. „*Verum esse comperior*, inquit, *quod quosdam bene literatos homines dicere audivi, qui plerasque Plauti comoedias curiose atque contente lectitarunt, non Indicibus Aelii, nec Sedigiti, nec Claudii, nec Aurelii, nec Accii, nec Manilii super his fabulis, quae dicuntur ambiguae, credituros, sed ipsi Plauto moribusque ingenii atque linguae ejus. Hac enim judicii norma Varronem quoque esse usum videmus. Nam praeter illas unam et viginti, quae Varronianae vocantur; quas idcirco a ceteris segregavit, quoniam dubiosae non erant, sed consensu omnium Plauti esse censebantur; quasdam item alias probavit adductus stilo atque facetia sermonis Plauto congruentis;*

easque jam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit; sicuti istam quam nuperrime legebamus, cui est nomen, Boeotia. Nam quum in illis una et viginti non sit, et esse Aquilii dicatur; nihil tamen Varro dubitavit, quin Plauti foret, neque alius quisquam non infrequens Plauti lector dubitaverit, si vel hos solos versus ex ea fabula cognoverit; qui quoniam sunt, ut de illius more dicam, Plautinissimi, propterea et meminimus eos et adscripsimus. Parasitus ibi esuriens haec dicit:

Ut illum di perdant, primus qui horas repperit,
Quique adeo primus statuit hic solarium.
Qui mihi comminuit misero articulatim diem,
Nam me puero venter erat solarium
Multo omnium istorum optumum et verissimum,
Ubi, ubi iste monebat, esse, nisi quum nihil erat.
Nunc enim quod est, non est, nisi Soli lubet.
Itaque adeo jam oppletum est oppidum solariis.
Major pars populi aridi reptant fame.

Favorinus quoque noster, quum Nervolariam Plauti legerem, quae inter incertas est habita; et audisset ex ea comoedia versum hunc.

Scrattae, scrupedae, strictivillae, sordidae: delectatus faceta verborum antiquitate, meretricum vitia atque deformitates significantium, Vel unus hercle, inquit, hic versus Plauti esse hanc fabulam satis potest fidei fecisse. Nos quoque ipsi nuperrime quum legeremus Fretum (nomen est id comoediae, quam Plau-

ti

ti esse quidam non putant) haud quicquam dubitavimus quin Plauti foret, et omnium maxime genuina. Ex qua duos hos versus exscripsimus, ut historiam quaereremus oraculi arietini:

. . . . . . nunc illud est.
Quod arietinum responsum magnis ludis dicitur:
Peribo, si non fecero: si faxo, vapulabo.

Marcus autem Varro in libro de comoediis Plautinis primo Accii verba haec ponit: Nam nec Gemini, nec Leones, nec Condalium, nec Anus Plauti, nec Bis compressa, nec Boeotia umquam fuit, neque adeo Ἄγροικος, *neque Commorientes: sed M. Aquilii. In eodem libro Varronis id quoque scriptum est, Plautium fuisse quempiam poetam comoediarum, cujus quoniam fabulae Plauti inscriptae forent, acceptas esse quasi Plautinas, cum essent non a Plauto Plautinae, sed a Plautio Plautianae. Feruntur autem sub Plauti nomine comoediae circiter centum atque triginta: sed homo eruditissimus L. Aelius quinque et viginti esse ejus solas existimavit."* Gellii integrum locum exhibere operae pretium duximus, quo pateret quali nomine Varro et Aelius de Plauti fabulis meruerint. Et erat hoc praecipuum opus veterum Grammaticorum, *ut non modo versus censoria quadam virgula notarent, sed et libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subdititios submoverent familia,* quemadmodum ait Quintilian. Inst. Orat. L. I. c. 4. citatus a

Burmanno, qui docte de ea re disputat in Notis ad Valesium de Critica p. 146. Sed jam ad reliquos Plauti interprètes progrediamur.

§. 1.

Aruntius Celsus.

Hunc, quo probetur Scholia scripsisse in Plautum, vel saltem in fabulam Stichum, unicum est Sosipatri Charisii testimonium, qui p. 190. 29. haec habet: „*Publicitus. Plautus in eadem* (*), « *Nonne hoc publicitus*" *Ubi Celsus: Publicitus et Claritus, inquit, dicunt: nos publice clareque dicimus.*" Ex aliis ejusdem Charisii locis docemur Celsum quoque Scholia scripsisse in Terentium; nec dubium est quin scripserit quoque in Virgilium. Vidit hoc jam Fabricius, qui in Bibl. Lat. T. III. p. 377. not. t. ita scribit: „*Aruntius Celsus, Grammaticus olim clarus Virgilium et Terentium scholiis interpretatus est, sed quae non tulere aetatem.*" Haec autem suis locis data opera exponemus. Caeterum, ubi ipsius opera a Charisio in partes vocatur, modo *Aruntii*, modo *Celsi* nomine insignitur; pleno nomine *Aruntius*

(*) Significatur Stichus, quam paullo ante citaverat Charisius. Hodie autem ista verba non reperiuntur in ea fabula, sicuti notat Pareus in Lex. Plaut. in v. Sed pene vereor ne Charisius Plautum hic male citaverit pro Terentio, cujus haec sunt in Phorm. V. 7. 85. « *Non hoc publicitus scelus hinc deportarier In solas terras?*"

tius Celsus vocatur a Charisio p. 196. 16. et p. 197. 15. Fecit hoc, ut Burmannus in Praef. ad Virgilium p. 40. dubitaverit, num hic idem esset qui cognomine *Aruntii Claudii* memoratur Diomedi L. I. p. 307. Sed ante Burmannum hoc jam viderat Elias Putschius in Indice Auctor. ad Gramm. Vet.

Aruntii aetas non facile, credo, difiniri poterit, in tanta argumentorum penuria. Saxius in Praef. ad Onomast. Lit. p. XXIV. ipsum recenset inter Grammaticos, qui, ut ipse ait. *in aetatis caligine versantur*. Nisi quis contentus sit, si sciat ipsum iis auctoribus saltem, a quibus citetur, aetate anteccisse, i. e. Sosipatro Charisio, Philargyrio, Servio.

§. 2.

Flavius Caper.

Aruntio subjungatur Flavius Caper, qui, utrum ipso aetate fuerit antiquior an recentior, non omnino constat. Saxius l. c. p. XXV. et hunc refert inter eos Grammaticos, qui *in aetatis caligine versantur*. Et vero plane desunt argumenta, quibus ipsius aetas constituatur. Habet quoque Caper hoc commune cum Aruntio, ut non nisi levissimo argumento probetur, ipsum aliquando Scholia in Plautum conscripsisse. Unicum enim exstat Charisii testimonium, ad quod et Barthius provocavit in Advers. L. XLVII. c. 14. Charisius igitur p. 176. 1. haec habet: „*Ab*-

„*Abhinc. Plautus in Mostell.* [II. 2. 63]. « *Qui abhinc quadraginta annis occisus foret.*" *ubi Caper: utroque casu recte dicimus, quamvis ut sordidum et vulgare, inquit, quidam improbent.*" Hoc Charisii testimonium, quod scio, unicum est argumentum ex quo colligitur, Caprum aliquando Plauti fabulas, Mostellariam saltem, Scholiis fuisse interpretatum. Caeterum Capri nomen inter Grammaticos fuit clarissimum, scriptis in hoc genere multis libris, qui tamen plurimam partem nunc deperditi sunt; superstites edidit Putschius in Collectione Gramm. Veter. p. 2239 — 2250.

Memorantur praeterea Capri *Commentarii* ab Hieronymo in Rufin. p. 397. quo nomine, qui libri ipsius significentur non facile conjicitur; videtur enim quoque scripsisse in Terentium, Asellionem, Virgilium, Ciceronem et alios: qua de re suo loco agemus.

§. 3.

L. Cornelius Sisenna.

Si unicum unius Charisii testimonium suffecit quo probaretur, Celsum et Caprum aliquando Plauti fabulas interpretatos esse, non dubito quin L. Sisenna eodem et majori jure inter Plauti Scholiastas referendus videatur. Sisennae enim non semel mentionem facit Charisius, sed quatuor locis diversis. Sed vero in singulis iis locis tantummodo citantur Sisennae scholia ad Amphi-

tryo-

tryonem; unde quid quis conjicere velit pro lubitu est: sive, quod Sisenna in eam modo fabulam scripserit: sive, quod Commentarii reliqui perditi fuerint Charisii aetate: sive tandem, quod ita fortuna voluerit, ut, quae Charisius memoratu digna censeret, ea ad unam illam fabulam notata essent. Nos potissimum conjicimus, Sisennam non in reliquas Plauti fabulas conscripsisse Scholia, sed tantummodo in Amphitryonem. Sed colligamus ipsa Charisii loca, quae quatuor fragmenta exhibent ex Sisennae Commentariis deperditis. Charisius igitur:

p. 178. 37. EXAMUSSIM. *Plautus in Amphitryone* [II. 2. 213.] « *Examussim est optima*" *ubi Sisenna*, *Pro examinato*, *inquit: amussis enim est tabula rubricata*, *quae dimittitur examinandi operis gratia*, *an rectum opus surgat.*

p. 182. 44. LUCI. *Plautus in Amphitryone* [I. 1. 11]. « *Hoc luci*" *ubi Sisenna*, *Quaecunque nomina E litera ablativo singulari terminantur*, *I litera finita adverbia fiunt*, *ut mani.*

p. 196. 10. TUATIM. *Plautus in Amphit.* [II. 1. 4.] « *Jam tuatim facis*" *ubi Sisenna*, *ut nostratim: significat autem*, *tuo more.*

p. 196. 15. TRACTIM. *Plautus in Amphitryone* [I. 1. 157.] *ubi Sisenna pro lente*, *inquit: non ut Maro*, *pro jugiter*, *quarto Georgic.* [v. 260.] « *Tractimque susurrant*" *inquit.*

K Hoc

Hoc igitur constet, in Plauto explicando laboravisse aliquando L. Sisennam; cujus vero mentionem non eam ob causam post Aruntii et Capri demum injecimus, quod aut ipsius doctrinam fuisse minorem aut aetatem recentiorem compertum habeamus, sed ita egimus, ut si quis Plauti Scholiastas eo ordine memoratos inveniret a Barthio Adv. L. XLVII. c. 14. et Fabricio Bibl. Lat. T. I. p. 14. ipsos eodem ordine a nobis memoratos reperiret. Nam quod ad singulorum Grammatices doctrinam attinet, fragmenta, quae a Charisio exhibentur, minora sunt, quam ut exinde quidquam judicare liceat. Aruntii et Capri aetatem incertam esse, suo loco diximus: Sisennae aetas notior est propter testimonia Veterum. Significatur ipsa a Cicerone in Bruto c. 64. ubi ait. „*Inferioris autem aetatis erat proximus L. Sisenna, doctus vir, et studiis optimis deditus, bene Latine loquens, gnarus rei publicae, non sine facetiis; — interjectusque inter duas aetates Hortensii et Sulpicii, nec majorem consequi poterat et minori necesse erat cedere.*" Ad quae Ciceronis verba apte citatur Velleji Paterculi locus ex L. II. c. 9. ubi ait: „*Celebre et Lucilii nomen fuit, qui sub P. Africano, Numantino bello eques militaverat. Quo quidem tempore juvenis adhuc Jugurtha ac Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem castris didicere, quae postea in contrariis facerent. Historiarum auctor jam tum Sisenna erat juvenis: sed opus belli civilis Syllani post aliquot annos ab eo seniore editum*

tum est. Vetustior Sisenna fuit Caelius; aequalis Sisennae Rutilius, Claudiusque Quadrigarius et Valerius Antias." Quum igitur Sisennae aetas Hortensio major sed Sulpicio minor fuisse dicatur, merito ipsius natales ad a. U. 635. retulisse videtur Fr. Ellendtius in Prolegom. ad Ciceron. Brutum p. 102. qui reliqua Veterum scriptorum loca collegit, in quibus Sisennae Historiae memorantur. Vossius de Hist. Lat. L. I. c. 10. ubi de Sisennae Historiis egit, haec addit: „*Vertit Sisenna etiam fabulas Milesiacas Aristidis: ut diximus L. III. de Hist. Graec.* [p. 331]. *Meminit Ovidius L. II. Tristium* [v. 443]. « *Vertit Aristidem Sisenna; nec obfuit illi Historiae turpes inseruisse jocos." Pluscula autem ex istis Sisennae Milesiacis passim citat Charisius* [p. 175. 176. 177. 180. 185. 186. 187. 197]. *Laudat et Servius* [ad Aen. I. 101. 246. et XI. 316]. *Meminere etiam Veteres Grammatici Commentarii ejus in Plautum. Sed de eo agere non est hujus instituti. Solum dicam, nihil mirum esse, si eo in scriptore enucleando operam posuerit tantus antiqui sermonis amator: qualem eum nobis describit Cicéro in Bruto."*

§. 4.

Q. Terentius Scaurus.

Fabricius in Bibl. Lat. T. I. p. 14. ubi de veteribus Grammaticis agit, qui Plautum olim

 il-

illustraverunt, nominat quoque Q. Terentium Scaurum, sed non addit quibus testimoniis id didicerit. Nos quidem nusquam hujus rei mentionem reperimus. Harlesius quoque in Introduct. in notitiam Literat. Rom. Vol. I. p. 201. testimonia desiderasse videtur, quandoquidem Scauri nomen taceat: „*Plautum*, inquit, *olim illustraverunt Grammatici veteres Aruntius Celsus, Flavius Caper, et L. Sisenna, quorum vero labores pariter, atque aliorum veterum indices super Plautinis fabulis scripti, invidia temporis perierunt.*"



C A-

CAPUT VI.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS TERENTII.

Venio nunc ad Terentium, qui quidem antiquissimus est eorum poëtarum, in quos Vetusti Commentarii supersunt; ab hoc igitur fuisset ordiendum, si, neglectis iis qui perierunt, de superstitibus tantummodo interpretibus exponere voluissem. Neque vero tamen omnes illi interpretes supersunt, qui antiquitus Terentium illustraverunt. Supersunt tantum duo, neque ii antiquissimi, Donatus et Eugraphius. Reliquos sic recenset Fabricius B. L. T. I. p. 49. „*E veteribus Grammaticis, praeter Aelium Donatum et Eugraphium, qui exstant, Terentius illustratus olim fuit ab Helenio Acrone, Adesione (nisi nomen apud Donatum p. 163. corruptum sit), Aspro, Flavio Capro, Aruntio Celso, Annaeo Cornuto, Euanthio, Nigidio Figulo, et Valerio Probo, quos laudant Hieronymus Apologia I. in Rufinum, Sosipater Charisius, Donatus, et in libello de metris*

Terentianis, Grammaticus Antiochenus." Ante Fabricium, horum nomina, alio licet ordine, jam collegerat Lindenbrogius in Observat. ad Donati Comment. quas subjecit Terentii editioni a. 1623. p. 631. Cave vero, credas, Fabricium deperditos istos interpretes nominasse ad aetatem, qua singuli vixerunt: immo, nominavit istos ad literam, qua cujusque nomen scribi incipit. Et est quoque quod moneam, de iis omnibus, qui perierunt, non ita rem esse expeditam, ut ipsos re vera Terentium illustrasse, diserte pronuntiare liceat. De Donato quidem et Eugraphio res certa est; de reliquis, qui perierunt, est tantum suspicio: quae vel levior est, vel probabilior, pro ratione testimoniorum, quibus illa probari debet. De singulis peculiariter exponemus; eo ordine servato, ut primum ii in censum veniant, de quibus res certa est: porro, de quibus suspicio est probabilior: denique, de quibus testimonia leviora sunt, quam quae rem dubiam persuadeant.

§. 1.

AELIUS DONATUS (*).

Donati nomen, et ad hunc locum commemorandum est, et infra, ubi de Virgilii interpreti-

(*) Lindenbrogius l. c. p. 631. de Donati nomine haec notat: « *Ab antiquis Cl. Tiberius vocatur. Etiam in vetustissimo MS. Cod. quem Florentiae in Bibliotheca Ducis*

tibus exponemus: ad utrumque enim poëtam, id est, ad Terentium et ad Virgilium, Donati nomine scripti Commentarii feruntur. Dubitari vero possit an Virgilii interpres idem sit qui Terentii: Virgilianus enim *Tiberii Claudii* nomina prae se fert, Terentianus *Aelii* nomine insignitur. Hac de re non dubitasse videtur Lindenbrogius, qui l. c. p. 632. adeo dicit Aelium Donatum, Terentii interpretem, ab antiquis nominatum esse *Tib. Claudium:* sed non addit, qui sint illi antiqui. Fabricii sententia, qualis hac in re fuerit, non assequor: ubi enim de Virgiliano interprete exponit, T. I. p. 345. ita ait: „*Virgilii interpres antiquus est Ti. Claudius Donatus, diversus ab Aelio Donato, et eo junior:*" mox vero T. III. p. 407. ait: „*Exstant Scholia Donati in Virgilii Aeneida et Terentium, cum utriusque poëtae vita*". Videtur adeo Fabricius sibi non constare, quum scholia in Terentium et in Virgilium, modo ad duos diversos referat, modo ad unum eundemque auctorem. Priorem Fabricii sententiam

cis Hetruriae vidi. Donati nomen Africanum est. B. Augustin. Ep. 163. « Quamquam enim Donati nomen Afrum esse soleat, non tamen repugnaret a vero, ut vel partium illarum aliquis vocaretur nomine Afro." Inde Donatus Proconsul Africae, ad quem scribit Augustin. Epist. 127. Et Donatus iste Karthaginiensis, qui postea sectae suae nomen dedit; et Donatus Bagajensis, et alii, qui hic minime sunt recensendi."

tiam sequitur Saxius ad a. 355. Onom. Lit. T. I. p. 408. „*Aelius Donatus, Orator, hoc est ex sensu illorum temporum Rhetor, et Grammaticus Romanus, Praeceptor S. Hieronymi, diversus a Ti. Claudio Donato, recentioris sed incertae aetatis, Grammatico, vitae Virgilianae, item scholiorum in Virgilium et argumentorum in libros Metamorphoseon Ovidianarum consarcinatore.*" At vero Saxius, ubi nulla argumenta affert, fortasse sola nominis diversitate in eam opinionem adductus est, quae, si Lindenborgio credas, non admodum urgenda videtur. Exstat autem locus Hieronymi, qui satis probat Terentium et Virgilium ab uno eodemque Donato scriptis Commentariis illustratos esse: „*Puto*, inquit ille in Apolog. adv. Rufin. L. I. p. 367. *quod puer legeris Aspri in Virgilium et Salustium Commentarios; Vulcatii in Orationes Ciceronis; Victorini in Dialogos ejus; et in Terentii Comoedias Praeceptoris mei Donati, aeque in Virgilium.*" Hieronymi vero auctoritas, quippe qui Donatum habuerit praeceptorem, ipsumque fortasse exponentem audiverit et Terentii fabulas et Virgilii Aeneidem, non dubito quin hac in re quantivis pretii censenda sit. Et quale Terentiani Commentarii prae se ferunt *Aelii* nomen, idem nomen gerunt libelli Grammatici, editi a Putschio inter Gramm. Vet. p. 1735. seqq., qui, quanti olim fuerint usus, vel exinde apparet, quod iis ipsis temporibus, quibus Typographia inventa es-

esset, mox per Laur. Costerum iterata et tertia vice excusi sint (*).

De Donati vita et aetate nemo Veterum diserte monuit; in fronte Commentariorum vocatur *V. C. Orator Urbis Romae*: quae dignitas eadem fuisse videtur quam Marius Victorinus obtinuit, qui in fronte Expositionis in Ciceronem vocatur *Rhetor Urbis Romae.* Nam Orator idem significabat iis temporibus, quod olim Rhetor; ut ostendit Ruhnk. in Praefat. ad Rutil. Lupum. p. XXVI. Interim hoc certo constat, Donatum fuisse Hieronymi praeceptorem, a quo et alibi memoratur et in Comment. in Eccles. c. I. et in Chronico ad a. D. 355. „*Victorinus Rhetor et Donatus Grammaticus meus Romae insignes habentur.*" Donati vitam aliquando scripsit Flaccus Rebius in epistola ad Minutium Rutilium: sed haec ita conscripta est, ut auctor vel videatur fuisse homo indoctus, vel puerulus, cui fortasse magister mandaverit, ut novi aliquid animo fingeret de vita Donati, idque exercitii causa scriptis consignaret; edita est ex schedis Petri Danielis, qui eam ex veteri Codice Regis Galliae descripserat, in Fabricii Bibl. Lat. T. III. p. 408. ubi ipsam vocat *otiosi ingenii abortum et nulla fide dignum, insulsumque ac ridiculum.* Narrantur res potissimum obscoenae, quas, nulla fi-

(*) Literis adeo incisis in tabulas ligneas; specimina reperiuntur in Meermanni Orig. Typograph. p. 107. 218. Conf. Jacobus Koning, in Disputatione, quae a. 1816. a Societ. Harlem. praemio ornata est, *Over den oorsprong der Boekdrukkunst*, p. 114. 120 seqq.

fide dignas, et omittere praeplacet et vero repetere pudet.

Commentarii, quos in Terentii fabulas scripsit Donatus, etsi magnam partem truncati mutilatique, eximie prodesse censendi sunt Terentianarum fabularum interpretationi, quemadmodum plures passim Editores testati sunt. Et vero praeterea multum conducunt ad universam Linguae Latinae cognitionem; neque hoc mirum videatur Terentianas fabulas docto interpreti occasionem dedisse optime merendi de universa Lingua Latina, quum in hoc poëta, judice Casaubono (*), tantum sit Literarum Romanarum praesidium ut *nemo Latine locuturus sit bene, qui Terentium non contriverit.* Libens repetam Westerhovii votum, qui, in Praef. ad T. I. p. 8. ait: „*O Utinam integer superesset Donatus! ita vero multa in Comicorum principe, quae etiam nunc in interiore angulo recondita latent, dudum illustrata cerneres. Verum, ut nunc est, contenti simus hoc Catone. Accidit nimirum optimo Interpreti, quod accidisse olim pluribus non pessimae notae scriptoribus merito dolent Eruditi, ut nimirum bona sui parte, mutilati ad nos pervenirent.*" Sed et Commentarios, quales eos nunc habemus, non integros, sed mutilatos esse, in eo pleri-

(*) Casaub. in literis datis Paris. 1609. ad filium Mericum puerum, citatus a Fabricio in Bibl. Lat. T. I. p. 45. not. *d*.

rique, qui quidem aliquo judicio praestiterunt, consenserunt Viri Docti. A Westerhovio citatur Petrus Nannius Miscell. L. I. c. 6. qui Commentariorum istorum auctorem vocat *indoctissimum nebulonem, qui pro Aelio Donato se venditaverit*, et Tanaq. Faber ad Phaedr. L. I. f. 4. qui nihilo mitius judicium tulit, „*Dicam audacter*, inquit, *sed vere, non magis Servium hodie habemus, quam Donati in Terentium Commentarios. Excerpta tantum supersunt: et saepius a mala manu. Temere loqui credis? Quod demonstrare, si quis sibi postulet, tam equidem id possim facile, quam ostendere* Δὶς δύο εἶναι τέτταρα." Similiter judicavit Fabricius in Bibl. Lat. T. I. p. 49. nota *k*. „*Donati*, inquit, *in solas quinque Comoedias Commentaria habemus, neque integra fortassis, sed e Donato et aliis excerpta atque collectanea. Confer Jani Parrhasii Epist. 58 et 59. et Tan. Fabrum L. I. Epist. 62. ubi de Servio in Virgilium cum dixisset, eclogas tantum seu collectiones tanti nos operis habere et saepissime ab imperitis hominibus consarcinatas*, « *idem*, *inquit*, *sentio de Donato. Hoc certe perliquido dejeraverim, posse in utroque supra bis mille errores deprehendi.*" Operae pretium est addere quoque Lindenborgii judicium, qui in Observat. ad Donat. Comment. p. 651. sic ait: „*Commentarium hunc, qui Aelio Donato, V. C. Oratori urbis Romae adscribitur, sic quidem illius esse censeo, ut integriorem multo eum olim exstitisse, mea*

L 2 qui-

quidem opinio sit; qualem autem nunc habemus, collectanea potius sive excerpta dicenda esse, quam ipsissimum Donati opus. Id quod arguere videntur frequentes asterisci; et quod totiens eadem repetantur, nonnulla etiam parum dilucide explicentur. Quin etiam Hieronymus Comment. in Eccles. c. 1. attestatur, Donatum, praeceptorem suum, cum versiculum illum Nihil est dictum, quod non sit dictum prius, interpretaretur, « pereant, dixisse, qui ante nos nostra dixerunt.” Quae sane verba in hisce Commentariis nunc minime leguntur. Dein, quae ex Probo et aliis hic adferuntur, quis negaret ea collectoris potius studio, quam Donati judicio inserta esse. Praeter hunc enim et alios plures certum est in Terentium Commentaria edidisse. Euanthium, puta, Aruntium Celsum, Flavium Caprum, Helenium Acronem, Asprum, Probum, Nigidium, et si vera lectio, Adesionem. At quidquid sit, contenti simus hoc Catone, qui ex tantorum naufragio solus periculum qualiter qualiter evasit.”

Donatus sine dubio in omnes sex Terentii fabulas scripsit Commentarios: iique supersunt, praeterquam in Heautontimorumenon; quas enim in istam fabulam nonnulli producunt interpretationes, eae, notante Vossio de Vitiis Sermon. L. I. c. 5. vindicandae sunt Joanni Calphurnio, homini Brixiensi, qui Politiani et Laurentii Vallae aequalis fuit et Patavii decessit circa a. 1502. quemadmodum notat Nic. Commenus Papadopoli Hist.

Hist. Gymnasii Patavini T. I. p. 292. Perditos autem Donati Commentarios Calphurnius tam apte supplevit, ut Westerhovius sibi fere persuaserit Calphurnium etiam possedisse Donatum in Heautontimorumenon, ita, ut ille a suspicione plagii haud multum abesset. Sed Calphurnium defendit Quirini in Specimine Variae Literaturae Brixiensis Part. I. p. 52. (apud Goetz. in Merkwürdigkeiten der Dresdn. Biblioth. I. p. 234.) citatus ab Harlesio in Notitia Lit. Rom. Vol. I. p. 232.

Donati Commentarios se propediem editurum promisit Ludovicus Scopenus, de cujus viri excellenti studio quaevis optima sperari posse et alii labores spondent et vero Specimen illud Emendationis in Ael. Donati Commentarios Terentianos, quod nuper proposuit ad novam totius operis editionem indicendam, in libro, cui titulus est: Reinisches Museum für Jurisprudenz, Philologie etc. Bonn 1827. p. 151 — 158.

Monuit autem Schopenus, Donati Commentariis ubique immixtas esse enarrationes aliorum. Nos quidem et facile eam suspicionem amplectimur, et vero insigni exemplo probare possumus. Quae enim hodie leguntur in Donati Commentariis ad Andr. IV. 3. 11. ea ipsa verba leguntur quoque apud Acronem ad Horat. L. IV. c. 11. 7.

§. 2.

EUGRAPHIUS.

Quorum Commentaria in Terentium hodieque supersunt, alter est Eugraphius, Donato et aetate minor, et viliori pretio aestimandus. Ipsius Commentarii non nisi paulatim erudito orbi innotuerunt: primus enim omnium fragmenta hujus scriptoris e suo Codice edidit Gabriel Faërnus, sed perpauca illa, neque fere quidquam, praeterquam in Prologos Terentianos. Post Faërnum Lindenbrogius suas huic scriptori manus adjecit, usus ille, ut ipse ait in Praef. p. 2. et antiquissimo libro Ant. Loiselli JC. et Codice Franc. Olivarii: quibus praesidiis ingentes quidem ille lacunas bona parte explevit, sic tamen ut Hecyra integra, praeter utrumque Prologum, integrae item Phormionis scenae desiderarentur. Tandem Westerhovius huic interpreti suppetias conquisivit ex duplici exemplo, quod servatur in Bibliotheca Leidensi, quorum alterum quondam fuerat Is. Vossii, alterum Dionysii Petavii. Westerhovius igitur demum absconditas Eugraphii lucubrationes, quantum fieri potuit, integras luci restituit: passimque, sed parcam, lacerato interpreti medicam manum adjecit; ita quidem, ut Eruditiorum conjecturae et emendationi locum reliquerit amplissimum.

Et sic quidem facile exposuimus, qua aetate Eugraphii Commentaria in Eruditorum manus per-

pervenerint: qua aetate ex auctoris manu exierint, non ita facile dictu est.

Oratio quidem, quali Eugraphius utitur, aetatem prodit Donato recentiorem, sed quum nemo de Veteribus ullam istorum Commentariorum mentionem faciat, neque auctor ipse quidquam aetatis suae indicium injiciat, difficillimum est pronuntiare, cui seculo Eugraphius adscribendus sit. Fabricius in Bibl. Lat. T. I. p. 49. nota *l.* et Saxius in Onom. Lit. T. II. p. 163. Eugraphii aetatem referunt ad tempora Ottonis III. regis Germaniae, id est, ad Seculi Decimi finem; in quam opinionem quo argumento adducti sint, non longe quaerendum est. Lindenbrogius enim in Praef. p. 9. excitaverat hunc locum Gerberti ex Epist. VII. ad Airardum: „*Petitionibus tuis annuimus: nostra ut exequaris negotia, velut propria monemus. Plinius emendetur, Eugraphius recipiatur.*" Ad eumque locum haec notaverat: „*Gerbertus hic postea PP. factus, Sylvester dictus fuit, vixitque sub Othone III. Imp. circa A. C. DCCCCXCVIII. Vid. Fascicul. tempor. Onuphrius Panvin. in Chron. Eccles. et alii.*" Hoc itaque Gerberti testimonium cum Lindenbrogii annotatione suasisse videtur Fabricio et postea Saxio, ut Eugraphii aetatem ad Ottonis III. tempora referendam esse censeret. Pro eadem opinione aliud argumentum affert Westerhovius in Praef. p. 8. ubi ait, se in antiquo illo Codice Dionysii Petavii, in fronte, haec verba invenisse: *Abbo Floriac. Abbas in Epistolis meminit Eugraphii* addit.

ditque *Abbatem autem illum Floriacensem Seculo X. floruisse constat. Unde de Eugraphii aetate conjectura fit.* Exinde si Westerhovius probare voluit, Eugraphium, utut aetatis obscurae, non recentiorem fuisse Seculo X. non dubito eam opinionem amplecti; ita quidem, ut Fabricii tamen rationem, Eugraphii aetatem diserte ad Ottonis tempora referentis, paulo audaciorem esse pronuntiem.

Etsi vero non dubitem quin Eugraphius Donati aetate multum fuerit posterior, ipsum tamen hujus Commentarios legisse non ausim affirmare. Westerhovius, etsi de ea re non diserte pronuntiet, hoc tamen sibi persuasum habuisse videtur. Ubi enim in Eugraphii Commentariis ad Eun. Prol. 37. *Si id est peccatum, peccatum hoc est* haec verba prostant *An hoc peccatum sit verum donat*, Westerhovius legendum censet *An hoc peccatum sit v. Donat.* quod sit *vide Donatum.* Ista quidem emendatio, etsi veri aliquam speciem prae se ferre videatur, timeo ut ab omni parte probetur, quandoquidem, si Donati locum evolvis, non invenias, quae ab Eugraphio promittuntur. Sed non exinde tantum conjicio eam Westerhovio talem fuisse opinionem; verum quoque, ubi in Eugraphii Commentariis ad Hecyram I. 1. 8. haec verba prostant; „*Mutiles. Hoc est, debiles reddas. Unde ajunt, quod dandus sit Vulcanus, inde dictum esse res virilis posuit mulier. Quamquam illic intelligi potest, quod omnia mulceat, et mollia igne faciat,*" annotat Westerhovius ea verba

ba esse corrupta, legique oportere e Donato *Quod claudus sit Vulcanus dictus Poetis Mulciber*, quum in Donati Commentariis haec reperiantur: *Et inde Mulciber Vulcanus, quod sit mutilatus ac debilis, id est claudus: nam proprie Mulciber dictus est, quod omnia mulceat, id est, molliat ac vincat.* Equidem, etsi non infitias iverim Eugraphii verba e Donato posse emendari, non tamen video, utrinsque verba ad eum modum inter se convenire, ut alter ex altero hausisse censendus sit.

De pretio, quale habendum sit Eugraphii Commentariis, aliorum sententiam referre nequeo; nemo quisquam, quod scio, de ipsis aliquod judicium protulit. Mihi quidem, etsi ipsos Donati Commentariis et orationis et interpretationis bonitate, longe postponendos censeam, ad eum tamen modum probantur, ut non dignos censeam, qui a Terentii interpretibus omnino negligantur. Eugraphius enim, quaqua aetate vixerit, ubi ex boni interpretis officio Terentianas fabulas expositurus esset, ea, quae sua aetas praesidia praeberet, qualiacunque in suos usus adhibere debuit: quin et fortasse, licet ejus rei disertam mentionem non injiciat, antiquiorum interpretum operas, quae nunc perierunt, consulere potuit.

Eugraphii nomine, et hoc tandem quoque monendum est, praeter istos Commentarios, exstat in MSto. Cod. aliud Commentum in Terentium, sed indoctum illud et insulsum, de quo ita Lindenborgius in Praef. p. 3. „*Extat quidem Parisiis in bibliotheca regia Commentum in hunc*

p. 95. 30. Ambos. *Terentius in Adelphis* [V. 9. 5.] « *Usque a pueris curavi ambos sedulo* ". *Sallustius quoque Historiarum libro quarto* [in ed. Cort. p. 986.] « *Inter me atque Lucullum prope inopia rusus ambos incessit*" *Idque Helenius Acron sic oportere dici, in eadem Terentii fabula disputavit, Verriumque dicit errare, qui putat hoc ambo dici debere: indifferenter autem locutos Veteres, uberiora dabuntur exempla. Afranius in Pantaleo* « *Contemnens, inquit, liber natus est, ita mater ejus dixit in Gallia, cum ambos emerem.*" *Item idem in eadem* « *Sed eccos ambos*". *Qui autem cum Helenio faciunt, hanc afferunt causam, quia omnis accusativus numeri pluralis, exceptis neutralibus et monoptotis, S literà finiri debet, quoniam et has ambas ut doctas, pictas: hos item ambos ut doctos, pictos, par erit dicere.*

p. 101. 17. Duo. *hos duo. Accius in Epinausimache* « *Martes armis duo congressos crederes.*" *Terentius in Adelphis* [V. 5. 23.] « *Tu illos duo olim pro re tollebas tua*" *ubi Helenius Acron, Pro duas.*

p. 105. 1. Fructi. *Terentius in Adelphis* [V. 4. 16.] « *Nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab his fero,*" *ubi He-*

Helenius Acron, et hujus fructuis, ut Senatuis Veteres extulerunt.

p. 173. 38. *Viderit Helenius Acron Commentariis, quos Adelphis Terentii non indiligentes attulit, quid altioris causae reive perspexerit, nam ita dicit. « Ut falso, inquit, et consulto ita sedulo dictatum" nisi forte sine dolo putat esse sedulo.*

p. 178. 8. DURITER. *Terentius in Adelphis* [I. 1. 20.] *« Ruri agere vitam, semper parce, ac duriter Sese habere." Ubi Acron, Secundum antiquorum, inquit, consuetudinem: nam et Ennius in Phoenice* [ed. Hess. p. 277.] *« Quam tibi ex ore orationem duriter dictis dedit."*

p. 180. 15. HILARITER. *ab eo quod est hilaris: hilare autem ab hilarus, ut Helenius Acron in Terentii Adelphis, ubi Terentius* [II. 4. 23.] *« Hilarem hunc sumamus, inquit, diem"*

p. 180. 36. INTEREA LOCI. *Terentius in Eunucho* [I. 2. 46.] *« Interea loci." Ubi Acron, Quaeritur, inquit, quo accentu dici debeat, interea loci.*

p. 188. 5. PRIMA. *pro primo. Terentius in Adelphis* [Prolog. 9.] *« In prima fabula" ubi Helenius Acron, pro in primo; et Maro* [Aen. IX. 244.] *« Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem."*

p. 188. 7. PRIUS. *Pro melius, utilius, antiquius. Terentius in Eunucho* [I. 1. 5.] « *Nihil prius neque fortius* " *nisi Helenium Acronem errasse dicendum est, qui prius, non sic intellexit, neque fortius, id est gloriosius, quamquam juxta sit summum et egregium excellentemque esse laude virtutis. Itaque Plautus in Bacchidibus* [II. 2. 43.] « *Fortasse jam opus est, immo etiam prius.*"

p. 192. 20. QUOD POTERIS. *Terentius in Eunucho* [II. 1. 8.] « *Munus nostrum ornato verbis quod poteris* " *ubi Helenius Acron, pro in quantum poteris.*

p. 194. 34. SEDULO. *Helenius Acron in Adelphis Terentii, ut falso, inquit, et consulto, ita sedulo dictitatum: nisi forte hic est sine dolo*, [Adelph. V. 9. 5.] « *Usque a pueris curavi ambos sedulo.*" *Quamquam sit sine dolo, per se tamen sedulo sic utique est, ut falso.*

p. 204. 3. ATQUE. *pro et. Terentius in Adelphis* [I. 1. 15.] « *Atque ex me hic natus non est, sed ex fratre* " *ubi Acron, Argute, inquit: nam per hanc conjunctionem transitum fecit ad narrationem.*

Et haec quidem sunt fragmenta, quae de toto Acronis opere supersunt: sive id conscriptum fuerit ad omnes Terentii fabulas, sive tantummo-

modo ad Adelphos et Eunuchum; e quibus fragmentis si de totius operis pretio conjiciendum est, quale integrum fuerit, non dubium est quin in ipsius interitu insignem jacturam fecerit et Terentiarum fabularum interpretatio et omnis Romanarum literarum intelligentia.

§. 4.

Asper.

Et de Aspero quoque suspicio admodum videtur probabilis. Etsi enim Hieronymus in Apolog. adv. Rufin. L. I. p. 367. ubi ipsius Commentarios in Virgilium et Sallustium commemorat, sileat de Commentariis in Terentium, nihilominus tamen non aegre credimus ab Aspero quoque conscriptos esse Commentarios in Terentium, quandoquidem et istiusmodi silentium in re dubia parum decernere videatur, et alibi hujus rei reperiantur indicia. Afferamus igitur testimonia, quae illam suspicionem reddant probabilem. Et primum quidem in censum veniat locus Grammatici Antiocheni, quo nominatim citatur *Asper in Commentario Terentii*; haec sunt illius verba, in libello de Metris Terentianis p. 2705. 38. ed. Putschii: « *Asper in Commentario Terentii sic: hosce versus agere coepisset: Ită nē pātrĭs ăis ādvēntŭm vērĭtū hīnc ăbīssĕ dŏmŭm. Et deinceps quae sequuntur quadrati.*" Cujus loci, misere quidem turbati, prio-

priora tamen verba videntur salva. Accedat vero Donati auctoritas, qui quidem ipsius nomen aliquoties sic vocat in partes, ut merito conjicias Donatum cognovisse Asperi Commentarios in Terentium. Donati loca haec sunt:

ad Adelph. III. 2. 25. QUID FESTINAS MI GETA. *Probus assignat hoc Sostratae. Asper non vult ad omnia servum respondere: sed nutricem putat hoc loqui.*

ad Adelph. IV. 2. 20. HEM, VIDE UT DISCIDIT LABRUM. *Asper mediam longam a caedendo accipit: ego mediam brevem a scindendo.*

ad Phorm. I. 2. 24. MEMINI RELINQUI ME, DEO IRATO MEO. *Sic Virgilius* [Aen. XII. 539.] . . . « *nec Di texere Cupentum, Aenea veniente, sui.*" *Hoc Asper. Sed mihi videtur ad hoc addidisse meo, ne esset ἀμφίβολον, cui diceret, Irato deo. Naevius in Stalagmo,* « *Deo meo propitio, meus homo est.*"

Haec sunt Donati loca, quae quidem satis probare videntur Asperum aliquando Commentarios in Terentium scripsisse. Ceterum Asperi nomen citat etiam Joan. Lydus de Magistr. Reip. Rom. L. I. c. 7. qui, ubi de Insignibus Regis disputat, haec ait: „Τὸν δὲ θρόνον σόλιον ἐπιχωρίως ὠνόμαζον ἀντὶ τοῦ σελλίον κατ' ἀντίστοιχον, ὥς φησιν ὁ Ῥωμαῖος Ἄσπρος· ἢ καὶ ἄλλως σόλιον ἀντὶ τοῦ σόλιδον

ἑκά

ἐκάλουν, οἱονεὶ ὁλόκληρον." Hoc vero fragmentum an referri debeat ad Asperi Commentarios in Terentium, res videtur dubia, quandoquidem hic quoque praeterea in Sallustium et Virgilium Commentarios scripsisse dicatur; qua de re infra, suo loco dicemus.

§. 5.

Aruntius Celsus.

Aruntii Celsi nomen supra jam memoravimus, ubi de Plauti interpretibus exposuimus. Ejusdem ad hunc quoque locum mentio injicienda est, quandoquidem constet, ipsum aliquando scriptis Commentariis etiam Terentium illustrasse. Et hujus quidem rei non unicum exstat testimonium apud Charisium· cujus singula loca apponemus, in quibus Aruntii Commentaria citantur. Est vero, quod dubitem contendere Aruntium omnes Terentii fabulas scriptis Commentariis illustrasse, quandoquidem omnia ea fragmenta, quae Charisius ex istis servavit, spectent tantummodo Phormionem et Hecyram. Charisii loca haec sunt:

p. 185. 28. NIMIUM QUANTUM. *Terentius in Phormione* [IV. 3. 38.] *ubi Celsus pro nimium, uti immane quantum, incredibile quantum. Licet quidam sic legant, inquit, ut nimium, servus dicat, quantum vero, senex; sed sequentia non intelligunt.*

p. 189. 18. PLURIMUM. *Terentius in Phormione* [I. 4. 17.] « *Ibi plurimum est*"

 ubi

ubi Celsus, nunc adverbium est pro ibi saepe, ibi frequenter est. Cicero pro Sexto Roscio [c. I.] « *A me id contenderunt, qui apud me et amicitia et dignitate plurimum possunt.*"

p. 190. 14. PERDITE. *pro valde. Terentius in Phormione* [I. 2. 32.] « *Eam amare coepit perdite" nam ita Aruntius Celsus, et addit: antiqui enim dicebant ardere pro amare.*

p. 197. 14. UT. *pro utinam. Terentius in Phormione* [IV. 4. 6.] « *Ut te quidem omnes dii deaeque." Ubi Aruntius Celsus pro Utinam.*

p. 197. 34. VICINIAE. *Terentius in Hecyra* [. . .] « *Huc viciniae" ubi Celsus adverbialiter, inquit, ut domi militiaeque. Plautus in Bacchidibus* [II. 2. 27.] « *Proximae viciniae.*"

Praeter Charisium, nemo, quantum scio, istos Commentarios memorat: ubi enim Celsi nomen occurrit apud Servium et Philargyrium, videntur intelligendi esse Commentarii, quos in Virgilium scripsit. De his infra exponemus.

§. 6.

Valerius Probus.

Probi nomen jam supra memoravimus, ubi qualicunque disputatione inquisivimus an ipse merito dicatur peculiari Commentario Naevium il-

illustrasse. Ejusdem ad hunc quoque locum mentio facienda est, in Terentii interpretum numero: idque majori aliquo jure, quandoquidem certissime constat, ipsum aliquando Commentarios in Terentii fabulas conscripsisse. Est quidem nulla Veterum mentio, quae nominatim istos Commentarios commemorat, sed Donatus, quem aetate antecessit, in suis ad Terentium Commentariis, toties Probi sententiam memorat ut exinde facili negotio conjiciatur, scriptos esse ab ipso Commentarios, qui Donati aetate superstites fuerint. Isti vero Commentarii, quum omnes perierint, quales fuisse censendi sint, in tanto Veterum silentio, non facile est judicare; nisi quis ipsos tales fuisse autumet, quales Probi nomen polliceri videatur, id est, doctos: quandoquidem Probi doctrinae et Priscianus et reliqui Grammatici maximam auctoritatem habuerint. Conquiramus e Donato eos locos, in quibus e Probi Commentariis ad Terentium fragmenta qualiacunque servata sunt:

ad Andr. V. 3. 4. AIN TANDEM. *Quaerit Probus, ain' quae pars orationis sit: et an una sit; est autem ain' quasi aisne. Et mire quasi ipse dicat, quod Davus dixerit. Ergo ain' percontativum verbum est.*

ad Eunuch. I. 1. 1. NON EAM, NE NUNC QUIDEM. *Non eam, Probus distinguit. Jungunt, qui secundum Menandri exemplum legunt.*

ad Adelph. III. 2. 25. QUID FESTINAS MI GETA. *Probus assignat hoc Sostratae. Asper non vult ad omnia servum respondere: sed nutricem putat hoc loqui.*

ad Hecyr. Prol. Prior. 2. VITIUM ET CALAMITAS. *Translatio est ab augurio: et vitio creati dicuntur consules. Calamitas παρὰ τὴν καλάμην dicitur: clades quia clamatur: ut aliud sit grandinis culmum frangentis, aliud furti, aut doli mali. Sic Probus.*

ad Phorm. I. 3. 3. INCOGITANS. *Temerarius. Probus, incogitans, inquit, in usu est: at non eodem modo cogitans.*

ad Phorm. II. 3. 25. PERGIN' HERO ABSENTI MALE LOQUI. Ἀπόστροφος *per παρένθεσιν. Male loqui pro male dicere. Et quaerit Probus, quis ante Terentium dixerit.*

ad Phorm. V. 8. 16. MI HOMO. *Quaerit Probus, an matrona tam familiariter Mi homo recte dicat alieno: sed frustra, nam foeminarum oratio, etsi non blanditur, blanda est.*

Haec sunt fragmenta, quantum quidem scio, omnia, quotquot de Probi Commentariis supersunt, servata a Donato. Et praeter Donatum nemo quisquam ipsorum meminit. Credat forte aliquis ipsos, etsi non diserte nominentur, significari a Prisciano L. VI. p. 701. ubi ait: „*Satur*

tur est secundae declinationis, quia facit femininum in a desinens, id est, haec Satura. Terentius in Hecyra [V. 2. 25.] *„Sed cum tu satura atque ebria eris, puer ut satur sit facito" quod a Probo praetermissum, doctissime praeceptor noster attendit Theoctistus, omnis eloquentiae decus; cui quidquid in me sit doctrinae post Deum imputo."* Sed equidem crediderim Priscianum eo loco non significasse Probi Commentarios in Terentium: immerito enim Probum negligentiae accusavisset Priscianus, quandoquidem in Terentiani istius versus interpretatione, hujusmodi quid facile sine culpa praetermitti potuerit. Verius itaque existimem eo loco Priscianum significare Probi libros *Dubii generis*, quos et alibi citat idem Priscianus L. V. p. 659. vel quodlibet aliud eorum operum, quae a Probo conscripta esse supra memoravimus.

Praeter eos, quorum commemoratione defuncti sumus, a Lindenbrogio et Fabricio, ut supra diximus, in Terentii interpretum numero nominantur quoque Adesio, Flavius Caper, Annaeus Cornutus, Euanthius et Nigidius Figulus. Hos tamen equidem dubitaverim an merito ad istum numerum referri oporteat, quandoquidem, mea quidem sententia, testimonia leviora videantur, quam quae rem dubiam persuadeant. Est tamen operae pretium de singulis peculiariter ex-

ponere, et data opera inquirere quibusnam indiciis Lindenbrogius et Fabricius in eam opinionem adducti sint.

§. 7.

Adesio.

Et de Adesione quidem et ipse Fabricius dubitavit: hic enim, ubi Adesionis nomen memorat, in Bibl. Lat. T. I. p. 49. haec addit: „*nisi nomen apud Donatum p. 163. corruptum sit*:" quin et praeiverat Lindenbrogius, asteriscum isti nomini adjungens. Donati locus hic est:

ad Eunuch. IV. 4. 22. COLORE MUSTELLINO. *Erravit Terentius, non intelligens Menandricum illud*, οὗτος ἐστὶν γαλεώτης γέρων. *Ait autem Stellionem, animal quod lacertae non dissimile est, maculoso corio. Nempe ad id genus coloris facies exprimitur Eunuchorum corporis, quia plerique lentiginosi sunt. Hinc ergo erravit, ideo, quia* γαλῆ *Mustella dicitur*, γαλεώτης *Stellio*. Ὡς παρ' Ἀριστοφάνει ἐν Νεφέλαις [v. 174.] ἥσθην γαλεώτῃ καταχέσαντι Σωκράτους. *Ego Adesionem sequor, qui recte intellexit Terentium scientem mustellino colore Eunuchum dixisse, coloratum, velut sublivido: quia*

quia vere Eunuchi aut ex candidissimis lentiginosi fiunt, ut ex Gallis, et hujusmodi occidentalibus: aut ex fuscis, sublividi, ut ex Armeniis, et aliis Orientalibus.

Hic quidem Donati locus Lindenbrogio et Fabricio fuerit indicio, quem equidem totum putaverim confusum, nec talem, qualis iste nunc sit, a Donati manu profectum; et vel Graeca ista ὡς παρ' Ἀριστοφάνει ἐν Νεφέλαις alienam manum indicant.

§. 8.

Flavius Caper.

Et hunc quoque malim referre in eorum numerum, de quibus non satis certo constat an data opera, scriptis Commentariis, Terentium illustraverint. Et vero nusquam exstat hujus rei memoria. Lindenbrogius tamen in Observat. ad Donat. p. 631. et Fabricius in Bibl. Lat. T. I. p. 49. ipsum non dubitanter inter Terentii interpretes referunt: sed, quae sint hujus rei testimonia, non addunt. Fortasse in eam opinionem ipsos adduxerit Charisius, qui p. 175. 40. haec habet: „ *Alias. pro aliter. Terent. in And.* [III. 2. 49.] « *Quid alias malim quam hodie has fieri nuptias* " *ubi Fl. Caper: de latinitate non ausim affirmare, alias pro aliter dici: nam neque pronomen est, neque adverbium temporis est; sed proximum vero est, ut pro*

eo,

eo, quod est aliter, dictum esse fateamur." At vereor ut iste Charisi locus sit satis sanus, nec vero dubito quin interpunctione laboret, ita forte restituendus: *ubi Fl. Caper de Latinitate: non ausim affirmare alias pro aliter dici:* ut Charisius citasse videatur Capri libros de Latinitate. quos idem citat alibi, p. 186. 4. „ *Novissime. Tiro in Pandecte non recte ait dici, adjicitque quod sua coeperit aetate id adverbium; ubi Fl. Caper de Latinitate: Miror, inquit, id dixisse Tironem, cum Val. Antias libro secundo: Mater cum novissime aegrotasset, inquit, vovisse fertur.*" Eodem jure dixeris Caprum scripsisse Commentarios ad Tironis Pandectas. Suspicor igitur Caprum non data opera Terentium illustrasse, sed subinde in libris *de Latinitate* de plurium auctorum locis disputasse. Fortasse idem statuendum sit de interpretatione Plauti, Asellionis, aliorum.

§. 9.

Annaeus Cornutus.

De Annaeo Cornuto, quae dicenda habemus, infra dicemus, ubi expositori sumus de Persii Scholiastis. Interim ad hunc quoque locum ipsius mentio facienda est, quandoquidem sit quaedam fama, etsi levis illa, quae pronuntiet Cornutum scripsisse Commentarios in Terentium. Fama. inquam, levis; non diserta Veterum mentio. Vidit et hoc Doct. de Martini in Disputat.

de

de L. Annaeo Cornuto P. II. §. X. ubi de his Commentariis agit, utpote quos Cornuti esse non certo constet; ait autem sic p. 101. „ *Cornuti in Terentium Commentarios fuisse, leve est indicium. Duae etenim memorantur Terentii editiones a Westerhovio in Praef., Basileae apud Froben. fol. 1538 et Antv. 8° 1546. quarum titulus est: Terentius cum Scholiis ex Donati, Asperi et Cornuti Commentariis. Neutram mihi inspicere licuit.*" Et vero nec mihi inspicere licuit. Conjicio tamen esse in iis editionibus ipsum vulgarem Donatum. Editor fortasse illum titulum maluerit praeponere, judicans, eos Commentarios, qui Donati nomine feruntur, conflatos esse ex Donati, Asperi et Cornuti Commentariis, ideoque nec solius Donati nomini inscribendos. Suadent hoc Westerhovii verba in Praef. p. IX: „ *Quid Erasmus quidem de Donato censuerit, vel titulus editionis Frobenianae indicat, in quo haec leguntur: Habes hic, Amice Lector, P. Terentii Comoedias, una cum Scholiis ex Donati, Asperi et Cornuti Commentariis decerptis.*" Fabricius quidem in Bibl. Lat. T. I. p. 49. idque non dubitans, Cornuti nomen inter reliquos Terentii interpretes recenset; neque tamen addit, quibus testimoniis in eam opinionem adductus sit. Videtur itaque et hic famam illam secutus esse. Lindenbrogius quidem putat Euanthii esse, quae tamquam ex Aspero vel Cornuto *de Tragoedia et Comoedia* nonnullis Terentii editionibus praemittuntur.

Facili autem negotio aliquis nominatur interpres alicujus scriptoris, qui revera non est. Solebant illi, qui Codices describebant, addere interdum nonnulla de libris Grammaticorum aliorumque excerpta, quae pertinere arbitrabantur ad explicandam auctoris sui vitam, argumentum, metrum, alia. Jam Cornutus, si non scripserit Commentarios in ipsum Terentium, tamen sine dubio multa hujusmodi scripsit, quae optime ad illustrandum Terentium referri possent. Ita nomen Cornuti, semel in exemplo aliquo, vel ante unam dimidiatamve paginam positum, deinde ab aliis, hoc exemplum describentibus, in numerum interpretum referebatur, quo titulus etiam commendatione tanti nominis fieret speciosior.

§. 10.

Euanthius.

Euanthium, quem Hieronymus notat iisdem, ac Donatum, temporibus, hoc est, Olymp. 285, regnante Constantio Fil. Constantini, Constantinopoli floruisse, hunc, inquam, Fabricius in Bibl. Lat. T. I. p. 49. et Saxius in Praef. T. I. Onom. Lit. p. XXV. non dubitant vocare Interpretem Terentii. Fateor equidem ejus rei disertam mentionem exstare, quandoquidem a Grammatico Antiocheno, in libello de Metris Terentianis p. 2705. 27. ed. Putschii, nominatim citetur *Euanthius in Commentario Terentii.* Et Westerhovius, ubi editurus esset Eu-

gra-

graphii Commentaria, ex Bibl. Leid. nactus est antiquum Codicem Dionysii Petavii, in cujus quoque fronte haec verba adscripta erant: „*Rufinus in Commentario de Metris Euanthium Sacerdotem in Terentium citat.*" Sed qui in illo Codice Rufinus nominatur, idem est qui Grammatici Antiocheni nomine editus est a Putschio; quo facto sit modo unicum testimonium: quod quo verius cognoscatur, ipsum exhibeamus locum. Est igitur hujusmodi: „*Euanthius in Commentario Terentii de fabula, hoc est, de Comoedia sic dicit: Concinna argumento, consuetudini congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro. Et postea sic: Veteres etsi usi ipsi quoque metris negligentius jambici versus duntaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione hujus metri quantum potest comminuti ad imaginem prosae orationis.*" Hic itaque locus Fabricium in eam opinionem adduxisse videtur, ut crederet Euanthium aliquando Terentii fabulas illustrasse: quam quidem opinionem non ita facile sequar, nisi alia argumenta afferantur. Etsi enim nominatim quidem *Euanthius in Commentario Terentii* memoretur, licet tamen dubitare an Commentarius iste quidquam aliud fuerit, quam disputatiuncula illa de Tragoedia et Comoedia, quae plerisque Terentii editionibus praemittitur, modo Cornuti, modo Asperi nomini tributa; quandoquidem in illo libello ea ipsa Euanthii verba, quae Gram-

maticus Antiochenus citat, etiamnum legantur: quod dubito an Fabricius probe tenuerit.

De Euanthio itaque nostra sententia eo redit, ut opinemur ipsum sibi non merito locum vindicare inter Terentianarum fabularum interpretes.

§. 11.

Nigidius Figulus.

P. Nigidius Figulus, ille, quem Cicero in exstinguenda Catilinae conjuratione socium habuit et adjutorem, et quo Cicero, sicuti Plutarch. in Cic. p. 870. ait, τὰ πλεῖστα καὶ μέγιστα παρὰ τὰς πολιτικὰς ἐχρῆτο πράξεις, magnam inter Romanos consecutus est nominis famam, scriptis compluribus libris, quorum fragmenta, quae passim Grammaticis servata sunt, diligenter collegit Jan. Rutgersius Var. Lect. L. III. c. XVI. p. 246 — 289.

Hujus Nigidii nomen inter antiquos Terentii interpretes retulit Fabricius in Bibl. Lat. T. I. p. 49. (eumque sequitur Harlesius in Introd. ad Not. Lit. Rom. Vol. II. p. 178.), qui quum non addat qua potissimum auctoritate id faciat, nos conquiramus, quibus testimoniis in eam opinionem adductus esse videatur. Et Donatus quidem in suis ad Terentium Commentariis aliquoties Nigidii nomen in partes vocat, et alicubi ita, ut facile quis conjiciat Nigidium olim ad Terentium adnotasse. Donati testimonia haec sunt:

ad

ad Phorm. I. 4. 4. CELARI. *Nigidius, celari, quaerit, utrum plenum sit, an pressum.*

ad Phorm. I. 4. 13. PROTINUS IN PEDES. *Protinam fuit: et sic Nigidius legit.*

ad Phorm. II. 1. 5. NON PUDERE. *Hic Nigidius adnotavit, neminem videri pudere ante delictum.*

Ex his potissimum locis, credo, Fabricius conjecerit Nigidium Commentarios in Terentium scripsisse: et sane postremus ille locus quodammodo hoc suadere videtur. Sed dubito an Fabricius, ubi haec scriberet, probe tenuerit, Nigidium, qui, sicuti Gellius L. IV. c. 9. arbitratur, *juxta Varronem* fuerit *doctissimus*, scripsisse Commentarium Grammaticum, opus multorum librorum, cujus adeo librum XXX. citat Nonius v. *nixurire*. In eo quidem Commentario opinor Nigidium saepius poëtarum versus excitasse, comparasse et subinde interpretatum esse; nec dubito, quin, quae Donatus Nigidii nomine citat, in eo Commentario notari potuerint. Equidem non ita facile dicam Nigidium, data opera, scriptis in ipsum Commentariis, Terentium illustrasse, quum nulla usquam Veteribus hujus rei mentio fiat.

Et sic quidem Terentii interpretum commemoratione defunctus esse videar. Sero demum intellexi Angelum Majum ante aliquot annos edi-

dixse antiqua Scholia ad Terentium. Majus enim in Praefatione ad fragmenta Sex Orationum Ciceronis, edit. Halensis a. 1824. ubi de antiquo interprete Tulliano, a se reperto, disputat, p. 305. haec ait: „*Ego sane ingentem Scholiorum numerum his annis legi, quae temporibus ineruditis scriptitata sunt. Scholia ad Terentium ante decimum saeculum nata ego ipse luci mandavi, quae quidem ab hujus Tulliani interpretis nobilitate quam longe absint, dictis confirmare nil opus est.*" Utut vero fuerint ista scholia, nos quidem maxime dolemus librum istum ad nostras regiones nondum pervenisse. De Vaticano igitur Scholiasta tum demum exponemus, si quando ad incudem revocanda sumamus quae hic pro viribus de Terentii interpretibus disputavimus.

Addamus tamen quae de duobus Scholiastis nondum editis docet Fabricius.

§. 12.

Anonymus MS.

Teste igitur Fabricio in Bibl. Lat. T. I. p. 49. nota *k*. „*Scholia Anonymi veteris in Terentium sunt MSta in Bibl. Guelpherbytana quae Conringius non contemnenda judicabat. Vide Amoenitates literarias Jo. Georg. Schelhornii T. V. p. 193.*"

Tes-

§. 13.

Servius MS.

Teste eodem Fabricio in Bibl. Lat. T. I. p. 50. „*In notis elegantissimis Mureti ad Catullum, Venetiis 1554. 8. apud Paulum Manutium editis, leges p. 72. b. Collocare proprie dicuntur in lecto pronubae novam nuptam. Auctor Servius in Terentium, non ille quidem ementitus Servius, cujus vulgo ineptiae quaedam in Terentium circumferuntur; sed vetus ille Servius, cujus in Terentium Commentarios nusquam adhuc excusos, magno studiosorum bono propediem editurus est Manutius.*" Equidem non assequor quemnam Servium intellexerit Muretus *illum ementitum, cujus vulgo ineptiae quaedam in Terentium circumferuntur.* Fortasse Muretus lapsus est in Virgilii et Terentii Scholiastarum nominibus, et potius significari voluit *Donatum.* Ruhnkenius omnem illam notitiam de Servio omisit, in sua edit. Oper. Muretii T. II. p. 802.



C A-

CAPUT VII.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS P. SEMPRONII ASELLIONIS.

Qui Terentium inter et Lucretium medius intercedit, istum locum occupet Sempronius Asellio, scriptor Historicus, qui judice Dion. Halic. L. I. p. 9. unus fuit λογιωτάτων τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων· quale judicium, haud scio an justo honorificentius, magnopere differt a Ciceronis testimonio, qui de Legib. L. I. c. 2. hunc adeo, ut Gellios et Clodium, scripsisse censet *ad antiquorum languorem atque inscitiam.* Sed quidquid sit de horum discrepanti judicio, nec nostrum est istam quaestionem dirimere, nec facile admodum Sempronii laudes judicantur, quum ipsius opera omnino perierint, praeter paucissima fragmenta, quae collegit Fulvius Ursinus in Fragm. Historic. Antv. 1595. p. 14. et Cortius post Sallust. ed. p. 44. Sempronii aetatem, qua vixerit, ita constituit Gellius L. II. c. 13. „*Asellio sub P. Scipione Africano tribunus militum ad Numantiam fuit: resque eas, quibus gerendis ipse interfuit, conscripsit.*" Coepit

pit autem bellum Numantinum a. U. 614. Q. Servilio Caepione et C. Laelio Sapiente Coss. finitumque est a. U. 621. P. Mucio Scaevola et L. Calpurnio Pisone Frugi Coss. cujus quidem belli historia quum a Sempronio, teste oculato, conscripta sit, facile apparet, ipsum et his, et, quae haec proxime attigerunt, temporibus floruisse. Hic itaque Asellio, num e Veteribus quemquam Historiae suae interpretem nactus sit, equidem suspicari, quam absolute contendere malim.

Flavius Caper.

Omnis illa suspicio, qua Caprum quidem pronuntiem videri interpretatum esse Asellionis scripta, unico nititur Charisii indicio: qui, etsi non diserte istam rem commemoret, hujus tamen nomen alicubi ad Asellionis locum sic excitat, ut inde quaedam suspicio oriatur. Charisii locus hic est, p. 176. 24. „*Artificiose. Asellio Rerum Romanarum Quadragesimo:* « *Tam pulchrum opus, tamque artificiose factum, passus est dirui.*" *ubi Fl. Caper, quamvis artificiosius dici non posset, ut maliciosius.*" Noscimus autem Charisii morem, qui sic soleat usurpare voculam *u b i*, quemadmodum docuimus supra p. 60. Sed est, inquam, suspicio. Et equidem alia testimonia desiderem, quae plenius rem istam comprobent.

CAPUT VIII.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS T. LUCRETII CARI.

Sequitur Lucretius, poëta Ciceronis aequalis, qui libros illius recensuit, ipso tamen paulo antiquior, qui quin et suos e Veteribus nactus sit interpretes, non dubitandum videtur, quum Hieronymus in Apol. c. Rufin. p. 567. ubi de Plauti, Ciceronis et reliquorum Commentatoribus agit, aperte testetur, se aliquando Grammaticorum Commentarios in Lucretium legisse. Et sane Lucretii carmina digna fuerunt ad quae Grammatici ingenium suum exercerent. Merito enim ipsa existimantur non minimum facere ad latinae linguae cognitionem: quin et vere latinae linguae cupidum excitant quasi et impellunt ad inquirendum in ipsius ubertatem atque proprietatem orationis. Sed a quibus illi Commentarii conscripti sint, quos se legisse dicit Hieronymus, penitus ignoratur, quum ipsi et omnes interierint, et, quantum scio, a nemine nomina-

natim memorentur. Charisius tamen obiter citat Velium Longum. Hujus igitur mentionem ad hunc locum injiciamus.

Velius Longus.

Sosipater igitur Charisius p. 187. 44. haec habet: „*Primum. Lucretius* [III. 94.] «*Primum animum dico, mentem quam saepe vocamus*” *ubi Velius Longus, Primum, inquit, adverbialiter audiendum est.*” Ex hoc loco Fabricius in Bibl. Lat. T. I. p. 79. conjicit hunc aliquando in istum poëtam Commentarios scripsisse. Sed plura de Velio Longo non tradit Fabricius. Ipsius verba haec sunt: „*In Lucretium scripserat olim Velius Longus, cujus Commentarii, citati a Charisio, jam pridem interciderе.*” Nec vero etiam plura addere potuit Fabricius, quum eorum Commentariorum nusquam alibi mentio occurat. Dubitari autem licet an hic Velius Longus sit idem ille, cujus exstat de Orthographia libellus, editus a Putschio inter Gramm. Vet. p. 2213 — 2258. cujus quidem aetatem Saxius in Onom. Lit. T. I. p. 294. refert ad Adriani Imperatoris tempora, id est, circa a. Aerae Chr. 120. secutus hac in re Henricum Norisium; qui in Orthographia p. 135. obiter adnotavit Velium Longum scripsisse ante Adriani principatum.

CAPUT IX.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS M. TULLII CICERONIS.

M. Tullius Cicero et multos et eruditos nactus est suorum operum interpretes; quod quidem adeo non mirum videatur. Cicero enim et apud aequales et apud posteros tantam habuit nominis gloriam, quantam nemo reliquorum veterum scriptorum consecutus est: quin et ipsius admiratio adeo semper mentes omnium occupavit, ut quidquid ab eo scriptum est, id fere omni tempore sine dubio optimum judicatum sit. Et in Cicerone interpretando non tantum Grammatici laboraverunt, quorum esset locos obscuros enucleare, sensus grammaticos aperire, historiam temporum explicare, hominum vitas et munera describere, in leges praeterea inquirere, et mores et consuetudines; verum etiam Philosophi fuerunt, qui peculiarem operam posuerint in interpretandis iis, quae de Philosophia scripsit Cicero. Interpretes Grammatici explicandas sibi sumserunt Orationes; In-

Interpretes Philosophi, potissimum Somnium et Topica. In altero genere nominari meretur Asconius et Vulcatius; in altero Macrobius, Eulogius et Boëthius: praeterea in Rhetoricos libros scripsit Victorinus. Et horum quidem omnium opera plurimam partem integra supersunt, exceptis Vulcatii Commentariis, qui omnes omnino perierunt, nisi sint illi qui Anonymi Scholiastae nomine prostant in aliquot Ciceronis editionibus.

§. 1.

ASCONIUS PEDIANUS. (*)

Si verum est, quod nemo dubitat, ut Tullii monumenta ceterorum auctorum reliquias multis nominibus longissime superent, non est infitiandum Asconium tanto praestitisse ceterorum Commentatorum lucubrationes doctrina, quanto Tullius ipse antecedat cunctos scriptores Romanos. Nam quotiescunque hujus Commentarios evolveris, non dubito, quin semper continua mirae ipsi-

(*) Antiquissimi Editores Pediani nomen per diphthongum scripserunt. Utilia docuit Vossius L. I. de Hist. Lat. c. 27. *Apud Suidam scribitur Παιδιανός, quasi foret a παιδίον vel παιδιά. Sed est a Pedio: cujus prima apud Persium* [I. 85.] *est correpta. Uti prima in Pedianus apud Silium* [XII. 212.] *Ac in veteri lapide simplici vocali haec vox exaratur. Observat hoc Scaliger quoque in animadversionibus ad Eusebium.*" Conjicio significari lapidem apud Gruterum p. DCCCCLXXXVII. 15.

sius doctrinae admiratione tenearis. Licet enim in Scholiis adhiberi fere nequeat orationis ubertas, nitet tamen in iis limata quaedam et rerum et verborum mundities. Nescias prope in hisce scriptis, eruditionis an latinitatis laus major contineatur; si hanc spectes, dixeris eam argentea, immo aurea aetate dignissimam, cum pura sit ubique, pressa, simplex, nitida, elegans: si ad eruditionis laudem animum intendas, vel hebes sis necesse est, vel mira perspicuitate et brevitate movearis, quâ loci obscuri ab ipso enucleentur, sensus grammatici aperiantur, historia temporum explicetur, hominum vitae et munera describantur, tum leges praeterea, mores, consuetudines praesertim urbanae et judiciorum. Haec igitur omnia ita diligenter et accurate complexus est Asconius, ut non dubitem, quin, nisi illius praeclarae lucubrationes exstarent, multo magis mutilatam contaminatamque haberemus Romani populi historiam. — Erunt fortasse, non dubito, qui existiment hic justo majorem laudem a me tributam esse Asconii doctrinae; hi autem, si didicerint ad eundem modum omni fere tempore de praeclaris illis monumentis judicatum esse, facilè sibi persuasum habebunt, me et hac in re judices secutum esse satis idoneos. Quo igitur appareat unam omnium consentientem fuisse intelligentium vocem, de Asconii meritis, sequentia adscribo judicia, quae etsi prolata sint ab auctoribus ex recentiori aevo, tamen eo pluris facienda arbitror, quo ab hac nostra aetate fuerint remotiores. — Editor Parisiacus a. MDXX. haec praefa-

fatur: „*Ex omnibus qui Commentaria in libros Ciceronis scripserunt, nusquam non celebrantur doctissimi ac diligentissimi duo, Asconius Paedianus et Fab. Victorinus. Sed Paedianus ut aetate prior, ita doctrina superior. Scripserat quidem is elegantissimas ac doctissimas enarrationes in orationes aliquot M. Ciceronis, quibus multa Veterum instituta nostris ignota temporibus pulcherrime ac doctissime explicabantur. Adnotaverat et multa ad latinae linguae proprietatem pertinentia, e quibus nonnulla etiam in libros elegantiarum Laurentius transtulisse existimatur: utinamque non transtulisset modo, sed omnia etiam cum pulvisculo, ut dicitur, converrisset! Neque enim eruditissimum opus, cujus umbram vix adhuc tenemus, nostra haec aetas desideraret.*" Franciscus Asculanus in Praef. ed. Aldinae a. MDXXII. „*Fuit Asconius ut suorum temporum eruditissimus, ita totius antiquitatis, et Ciceronis praesertim studiosissimus. Atque utinam ad nos integer pervenire potuisset! ut quae in ipsis orationibus perlegendis aliquid lucis requirere videntur, ab homine doctissimo illustrarentur, et non a quibusdam nostris hominibus insulsa quaedam in eas et puerilia conscriberentur.*" Joannes Lodoicus in Praef. ed. Parisiacae a. MDXXXVI. „*Haec Asconii fragmenta, quamvis exigua et lacera, quae nobis reliqua tantum ex naufragio supersunt, abunde et plane, quod ajunt, leonem ex un-*

unguibus ostendunt. Quae cum legimus, reliquarum ejus accuratissimarum lucubrationum summo desiderio non teneri non possumus. Quippe qui haec ipsa qualiacunque adhuc fuerunt, adeo necessaria intelligamus, ut sine iis multa antiqui moris instituta, Ciceronis loci non pauci obscuriores intelligi nequeant: ac vehementer errare eum sit necesse, qui Paedianum non fuerit secutus. Quanto bono Ciceronianae lectionis studiosis esset, si nobis hic integer divinitus aliquando tandem daretur! quod ut in ceteris est Veterum monumentis deplorandum, sic in hoc vel maxime."

Sed ut de Asconii doctrina et meritis una omnium intelligentium et consentiens vox est, ita de Asconii aetate, qua vixerit, nullius non discrepans est judicium. Et vero ut suam quisque amplectitur sententiam, ita difficile est judicare quae ad veritatem proxime accedat: praecipue in tanta argumentorum penuriâ. Nam licet in Commentariis istis reperiantur, quae satis probent ipsorum auctorem, non nisi brevi intervallo, Cicerone fuisse posteriorem, desiderantur tamen argumenta interna, quibus auctoris aetas accurate constitui possit. Nobis eorum sequi sententiam praeplacet, qui Asconium sub Tiberii imperio vixisse arbitrantur. Nititur ea sententia potissimum testimonio Saidae, qui Asconium facit M. Apicii aequalem et Junii Blaesi Consulis familiarem, haec aiens: 'Απίκιος Μάρκος· οὗ διαῤῥεῖ μυρίων ὄνομα ἐπί τε ἀσωτίᾳ καὶ πολυτελείᾳ, καὶ ῥᾳστονεύσει βίου, καὶ κακοδαιμοσύνῃ λοιπῇ· ὑπάτω

δὲ

δὲ ἦστην Ἰούνιος Βλαῖσος καὶ Λούκιος. τούτων Βλαῖσος, ἐπὶ τὴν θοίνην κληθεὶς, οἷον ἐφολκίδα ἄκλητον ἐπάγεται Ἀπικίνιον Παιδιανόν. ἐξῆν γὰρ καὶ ἐπικλήτους οἱονεὶ σκιὰς ἑαυτοῖς παρακαλεῖν τινὰς καὶ ἔδει τὸν Ἀπίκιον καὶ φίλοις καὶ ἀγνῶσι τὴν οὐσίαν ῥίπτειν τὴν ἑαυτοῦ. κ. τ. λ. Accidisse autem hocce videtur convivium a. U. 776. qui fuit Tiberii decimus, quo quippe Junium Blaesum cum Lucio consulem suffectum fuisse constet. Vid. l'Art de Vérifier les dates T. I. p. 551. et Murator. ad Nov. Thes. Inscript. p. CCCI. 4.

Ex eodem Suidae loco Vossius vero de Hist. Lat. I. 27. conjicit Asconii aetatem fuisse sub Galbae et Vitellii temporibus, argumento quod sub his Blaesus vixisse memoretur a Tacito Hist. L. I. II et III. Sed ut a Tacito docti fatemur vixisse Blaesum quemdam Galbae et Vitellii temporibus, ita tamen hac in causa requirimus testem, qui probet eum Blaesum, qui in Taciti Historiis memoretur, umquam fuisse Consulem, quo munere functus esse debet qui a Suida memoratur. Miror igitur Vossium non respexisse ad Junium Blaesum majorem, qui teste Tacito Annal. III. 35. Proconsulatum Africae gessit, cujus amicus vel aequalis saltem esse potuit M. Apicius, quem Athenaeus L. I. p. 7. v. 5. sub Tiberio vixisse memorat. Videntur igitur Vossii sententiae haec duo obstare: primum, quod non probatum sit, Apicium vixisse sub Galba et Vitellio: tum, Blaesum istum, qui sub his in Taciti Historiis vixisse memoratur, umquam fuisse Consulem.

 Jam

Jam autem, si Asconius vixit sub Tiberii anno X. (U. C. 776.), quomodo igitur ille Virgilium audire potuit dicentem se in Ecloga sua tertia Grammaticis fixisse crucem? quod diserte narrat Philargyrius ad Eclog. III. 105. cujus, ad Virgilianum *Tris pateat coeli spatium non amplius ulnas*, haec verba sunt: „*Asconius Pedianus ait, se audisse Virgilium dicentem, in hoc loco se Grammaticis crucem fixisse, quaesituros eos, si quid studiosius occultaretur. Dicit autem poeta Caelium Mantuanum.*" Respondemus hoc nihil obstare quominus dictam sententiam tueamur. Obiit enim Virgilius a U. 735. a quo ad Tiberii decimum (U. C. 776.) intercedit spatium 41 annorum. Si igitur Asconius, juvenis 20 annorum, Virgilium anno ante mortem (734.) audivit, et a U. 776. cum Consule Blaeso apud Apicium coenavit, eo tempore ad minimum 62 annorum aetatem habuit, qualis aetas congruit cum aetate reliquorum Apicii convivarum, quum a Suida, praeter Ἰσίδωρον, *ἄνδρα παλαιὸν μὲν ἤδη καὶ πολὺν τῷ χρόνῳ, ἓν δὲ καὶ ἐννενήκοντα ἔτη γεγονότα*, etiam *γέροντες ἄλλοι* isti convivio interfuisse narrentur. Nec vero ad labitum et levi argumento altam senectutem Asconio obtigisse perhibemus, quippe cujus rei praeterea testimonium proferat D. Hieronymus in Chronico Eusebiano, ubi ad annum septimum Vespasiani (*) sic scribit: „*Q. Asconius Pedianus scrip-*

(*) Recte Hieronymum metachronismi arguit Harduinus ad Plinium in Indice Auctorum T. I. p. 54. proba-

scriptor historicus clarus habetur qui LXXIII aetatis suae anno captus luminibus, XII postea annis in summo omnium honore consenescit." — Quodsi jam concedatur Asconium potuisse audire Virgilium, nihil obstabit quominus et ipsum Galli aequalem fuisse statuamus, quod innuit Servius ad Virgil. Ecl. IV. 11. dicens: „*Asconius Pedianus a Gallo audisse se refert hanc Eclogam in honorem suum factam.*" Nisi quis temere contendere velit ad hanc rem requiri aetatem ultra 12 annos, quâ majorem Asconio ad Galli mortem tribuere non audemus, quum hic teste Dione L. LIII. p. 512. voluntariam sibi mortem consciverit a. U. 728.

Atque sic quidem igitur ex argumentis externis videmur nobis, quantum potuimus, satis accurate definivisse Asconii aetatem. Est vero etiam aliud argumentum, internum illud, quod quidem, quantum judico, a nonnullis justo nimium urgeri videtur, nec tamen nobis silentio praetereundum est.

In Commentariis enim ad Orat. pro Scauro c. 11. p. 176. (*edit. Lugd. Bat. 1644.*) ubi de Scauri domo agitur, haec prostant: „*Demonstrasse vobis memini me hanc domum in ea parte Palatii esse, quae, cum ab Sacra via descenderis, et per proximum vicum, qui est ab si-*

batus in Scaligerana Eusebii editione altera p. 200. quum Scaliger in priore editione p. 183. et cum eo Vossius, Chronici Eusebiani auctoritate commoti, perperam duos effinxerat Asconios. vid. Fabricius in Bibl. Lat. T. II. p. 65.

sinistra parte, prodieris, posita est: possidet eam nunc Longus Caecina, qui Consul fuit cum Claudio; in hujus domus atrio fuerunt quatuor columnae marmoreae insigni magnitudine, quae nunc esse in regia theatri Marcelli dicuntur." etc. Jam vero quum in Fastis Consularibus *Longi Caecinae* nomen frustra quaeratur, non defuerunt qui hoc nomen in scriptis Commentariis corruptum esse censerent, judicarentque legendum esse *Largus Caecina*, qui Consul fuerit cum Claudio Imperatore a. U. 795. Placuit haec emendatio Muratorio Annal. Ital. T. II. p. 21. et Lipsio ad Tacit. Annal. XI. 33. nec temere, quum ipsum illud nomen exhibeatur in lapide Neapolitano apud Gruterum p. CXVI. 5. et Spanhem. de Usu Numism. T. II. p. 9.

Videamus quid ex hocce interno argumento disci possit et quatenus hoc congruat cum iis, quae nos ex argumentis externis protulimus. Discimus igitur ex Asconii loco, si is salvus esse censendus sit, non modo Asconium fuisse aequalem Largi Caecinae, sed etiam Asconium, saltem eam Commentariorum partem, quae est ad Orationem pro Scauro, demum post eum annum scripsisse quo Claudius Consulatum gessit cum Caecina (U. C. 795.) Jam si annos computamus a convivio Apicii, cui Asconius senex interfuisse videtur, quod diximus incidisse in Tiberii decimum (U. C. 776.), ad Caecinae usque et Claudii Consulatum (U. C. 795.) intercedit spatium annorum undeviginti. Fuerat autem, ut diximus, Asconius in Apicii convivio senex ad minimum 62 annorum; cumque,

qua, ut Hieronymus testatur, Asconio obtigerit longa 85 annorum senectus, nihil obstat quominus ipsum, post Apicii convivium, etiam 19 annos vixisse statuamus; quo facto, fuerit Asconius, tempore quo in Scaurianam scripsit, senex 81 annorum. — Sed dicat forte aliquis, attigit quidem Asconius, teste Hieronymo, aetatem 85 annorum, sed teste eodem, duodecim posteriores annos luminibus fuit captus, si igitur aetatis anno 73 oculorum lumina amisit, quomodo ille 8 annis post Commentarios in Ciceronem potuit absolvere? Respondemus esse revera aliquid difficultatis; sed fortasse Asconius, ut senex, sensim sensimque captus est luminibus, nec statim ita ut plane impeditus fuerit quominus ipse sciberet. Scribae saltem, ut mos erat, dictare potuit. Et vero, si hoc displicet, possumus hanc ipsam 73 annorum aetatem sub Caecinae et Claudii consulatu Asconio tribuere, si ipsi, circa mortem Virgilii, non, ut nos ante fecimus, juventutem 20 annorum adscribamus, sed pueritam 12 annorum, quae aetas non minor censenda est quam ut eâ Asconius Virgilium loquentem audire potuisset. (*).

De

(*) Miror Fabricii sententiam, qui in Bibl. Lat. T. II. p. 65. ait videri sibi Quinctilianum Pediani fuisse auditorem: argumento, quod hic Instit. Orat. L. I. c. 7. dicat: „*Sibe et Quase scriptum in multorum libris est, sed an hoc voluerint auctores, nescio: T. Livium ita his usum, ex Pediano comperi, qui et ipse eum sequebatur.*" Nos autem prius, quam nobis persuaderi patiamur quemquam et Virgilium audire et a Quinctiliano audiri potuisse, ita illum

De patria Asconii item est difficillimum certi aliquid statuere. Vossius quidem de Hist. Lat. L. I. c. XXVI. p. 145. non dubitavit ipsum vocare *Patavinum.* „*Nec difficile est*, inquit, *probatu, cum Asconius* (*) *dicit* Livius noster, *respexisse, non eo quidem, quo Scaliger putabat, quia familiariter Livio usus sit, sed quia Patavinus esset. Quod colligo ex Silio Italico quando more poëtarum in eo, quem antiquis fuisse temporibus comminiscitur, celebrat familiarem atque amicum hunc suum. Verba Silii sunt ista* L. XII. [v. 212.]

Polydamanteis juvenis Pedianus in armis
Bella agitabat atrox, Trojanaque semina, et ortus,
At-

lum locum interpretari maluimus, ut Quinctilianum hoc e lecto potius quam ex audito Pediano comperisse statuamus. Cum enim Quinctilianus natus sit a. p. Ch. 42. qui est U. C. 796. in Hispaniae oppido Calagurri, et post Neronis necem adolescens admodum (27 annorum) a Galba Romam perductus sit a. p. Ch. 69. (qui est U. C. 813.) ut tradit Hieronymus in Chronico, non temere mihi videor statuere, Quinctilianum Asconii, qui, ut suspicor, mortuus est circa a. 799. lectorem potius fuisse quam auditorem, licet hic ipse locus in Asconianarum lucubrationum reliquiis nunc quidem non reperiatur.

(*) Asconii verba haec sunt, in Comment. ad Orat. pro Cornelio p. 138. „*Caeterum quidam non duos Tribunos pl. ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos tum esse, singulos ex singulis classibus. Sunt tamen, qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero, ponant: inter quos Tuditanus, et Pomponius Atticus, Liviusque noster.*"

Atque Antenoreo sese de stirpe ferebat,
Haud levior generis famâ, sacroque Timavo
Gloria, et Euganeis dilectum nomen in oris.
Huic pater Eridanus, Venetaeque ex ordine gentes,
Atque Apono gaudens populus, seu bella cieret,
Seu Musas placidas, doctaeque silentia vitae
Mallet, et Aonios plectro mulcere labores,
Non ullum dicere parem, nec notior alter.

Quae non in alius gratiam finxit, quam, ut dixi, amici sui Asconii. At Pediaon ei, quemadmodum vidimus, aperte patriam tribuit Patavium, Antenoris opus. Unde et paulo post ait, [v. 257].

. . . . *Macte o virtutis avitae,*
Macte Antenoride.

Itaque cum extrà controversiam sit, Livium esse Patavinum, et vel ex istis Silii versibus, Patavinum etiam Pedianum esse, videamus: ne illud quidem dubium erit, qui cum Asconius dicit, Livius noster, *communem, ut ajebam, patriam respexit."* Et Vossium non dubitanter sequitur Fabricius in Bibl. Lat. T. II. p. 65. qui hac in re conferendum citat Bernardinum Scardeonium *de antiquitate Urbis Patavii et claris civibus Patavinis p. 44. seq.* cujus libri copiam mihi nondum factam esse doleo. Joannes quoque Metellus, in literis ad Pighium, opinatus est Asconium fuisse Patavinum; et idem, ubi auctor libelli de Origine Gentis Romanae c. 1. mentionem fecisset Commen-

mentationis *de Origine Patavina*, conjecit hujus auctorem esse Asconium Pedianum, *quem*, sic ille Metellus inquit, *potius quam alium, suae gentis originem scripsisse verisimile est.* Sed Anna Fabri filia, in Notis ad Aurel. Victor. p. 5. ait: „ *de his judicium suum ferre nimis periculosum est. Hoc unum dicam non satis liquere Patavinum Asconium fuisse.*"

De Asconii familia haud scio an quidquam constet. Habuit ille filios, ad eosque scripsisse videtur suos Commentarios, quemadmodum faconjecit Hotomannus in Praef. p. 2. ex ipsis Asconii verbis ad Orat. pro Milone p. 196. ubi ait: „ *Quid sit dividere sententiam, ut enarrandum sit, vestra aetas, filii, facit.*" Equidem, si quod sentio dicere fas est, non sine causa conjicere mihi videor, Asconium praecipuo consilio Commentarios in Ciceronem scripsisse, ut filios ipse suos adjuvaret in legendo absolutissima Ciceronianae doctrinae monumenta. Suadet eam conjecturam ipsa enarrationis forma, quae passim ejusmodi est, ut, ubi ipsam legis, subinde fere tibi videaris Asconium dictantem audire. Sufficiat excitasse unum alterumque exemplum: ad Orat. pro C. Cornelio p. 151. ait: „ *Puto vos reminisci, has esse leges Livias, quas illis Consulibus M. Livius Drusus Tribunus pl. tulerit.*" Ad Orat. pro M. Scauro p. 176. ait: „ *Ne forte erretis, et eundem hunc Cn. Dolabellam putetis esse, in quem C. Caesaris orationes legitis, scire vos oportet, duos eodem tempore fuisse, et praenomine, et nomine,*

ne, et cognomine, Dolabellas." Et ad Orat. pro Milone p. 197. ait: „*Illud vos meminisse non dubito, per Q. Fufium factum, ne a Senatu asperius decerneretur.*" Adde locum, quem ipsi supra exhibuimus p. 123.

Commentarii, quos scripsit Asconius in Ciceronem, non omnes supersunt. Habemus modo eos, qui sunt ad Orationem in Q. Caecilium quae Divinatio dicitur, in Prooemium Actionis in Verrem, ad Orat. in Verrem de Praetura urbana, ad Orat. in Verrem de Jurisdictione Siciliensi, ad Orat. Pro C. Cornelio, ad Orat. in toga candida contra C. Antonium et L. Catilinam, ad Orat. contra L. Pisonem, ad Orat. Pro M. Scauro, ad Orat. pro A. Milone. Cave vero credas Commentarios istos, quales ab Asconio scripti sint, tales etiamnum esse; imo vero, misere passim truncati mutilatique sunt. Hinc Hotomannus in praef. p. 2. ait: „*Sed quemadmodum in vita magnum vulnus accepit Asconius, orbatus videlicet usu praestantissimae et nobilissimae partis sui corporis: eodem modo ingenti profecto calamitate post mortem affectus est, amissa hominum ac temporum vitio maxima et pulcherrima parte eorum quae literis mandaverat: eaque insuper ipsa quae nobis reliqua facta est multis mendis et quasi maculis inquinata. Quod nisi aliquot aetatis nostrae eruditi homines in iis repurgandis operam suam collocassent, jacuisset profecto Asconius nullo numero et plane ad nullam rem utilis.*" Insunt vero etiam passim quaedam in Asconii

Commentariis, quae et minus latina et Asconio indigna censentur; sed ea videntur a sequiore manu inserta esse. Ita jam opinatus est Hadrianus Cardinalis in libro de Modis Latine Loquendi p. 151. „*Asconius Pedianus*, inquit, *tametsi sub Augusto Caesare floruit, bonaque multa atque elegantia scripsit, sicuti libello sive potius fragmento, quod ante hos annos repertum est, colligi potest, multa fluit ac scatet barbarie. Quam tamen barbariem non ab illo certe, qui bono etiam tunc tempore eruditus est, provenire puto: sed potius ab aliquo insulso atque ineleganti Grammatico, qui interpretis vice functus, inepta multa conseruit, quae postea una cum bonis auctoris verbis descripta sunt.*" Et ita quidem plerique Viri Docti opinati sunt, et nuper confessus est Carol. Fr. Heinrichius in sua editione Partium ineditarum Ciceronis Orationum, Kiliae 1816. p. 103. ubi hac in re conferendum citat Scioppium Consultat. de scholarum et stud. ratione p. 59. eundemque in Infam. Fam. p. 111. et de Stilo Hist. p. 169.

Num ad omnes aliquando Ciceronis Orationes scripserit Asconius, aegre contendant alii. Ipse quidem nusquam illud diserte profitetur. Videtur tamen adeo plures Orationes interpretatus esse, quam in quas hodie Commentarii supersunt. Hujus quidem suspicionis hoc sit indicio, quod Asconius saepius provocet ad res, quas alibi se enarrasse profitetur et quae tamen in editis Commentariis frustra quaeruntur. Sic et Plinius

ali-

alicubi ab Asconio quid comperisse testatur, quod nunc in Asconio non reperitur: „*Samulam quoque*, inquit Plinius in Hist. Nat. L. VII. c. 48. *centum annis vixisse, auctor est Asconius Pedianus.*" Tum vero etiam ad Orationem pro Sex. Roscio Asconium aliquando scripsisse, facile conjicere licet e Gellio, qui istum Asconii commentarium sua aetate superstitem habuisse videtur. „*Cornelius Nepos*, inquit Gellius L. XV. c. 28. *et rerum memoriae non indiligens, et M. Ciceronis, ut qui maxime, amicus familiaris fuit: atque is tamen in primo librorum, quos de vita illius composuit, errasse videtur; quum eum scripsit tres et viginti annos natum, primam causam judicii publici egisse, Sextumque Roscium parricidii reum defendisse: dinumeratis quippe annis a Q. Caepione et Q. Serrano, quibus Consulibus ante diem III. nonas Januarias M. Cicero natus est, ad M. Tullium et Cn. Dolabellam, quibus Consulibus causam privatam pro Quintio apud Aquilium Gallum judicem dixit, sex et viginti anni reperiuntur: neque dubium est, quin post annum, quam pro Quintio dixerat, Sex. Roscium reum parricidii defenderit, annos jam septem atque viginti natus, L. Sulla Felice Q. Metello Pio Coss. in qua re etiam Fenestellam errasse Pedianus Asconius animadvertit, quod eum scripserit sexto vicesimo aetatis anno pro Sex. Roscio dixisse.*"

Anteaquam nostram disputationem de Asconii Commentariis finiamus, est quoque nobis mentio facienda Scholiorum, quae ante aliquot annos ex Ambrosianae Bibliothecae latebris in lucem protracta sunt ab Angelo Majo. Primum edita sunt illa Scholia Mediolani a. 1814. simul cum partibus ineditis orationum pro Scauro, pro Tullio et pro Flacco; et mox repetita Kiliae a. 1816. cum Emendat. et Comment. Crameri et Heinrichii. Et ea quidem Scholia Majus non dubitanter opinatur ab Asconio profecta esse. Inventi hujus historiam sic narrat Editor in Principis editionis Praefatione Prima §. V.

„In Codicibus ego, qui bobienses inscribuntur, „unum deprehendi, in quo Sedulii christiani poë„tae opera edita continentur, quem quum acu„tissima oculorum acie lustrarem, et sub poste„riore scriptura priorem rimarer; o Deus immor„talis, repente clamorem sustuli, quid demum „video! En Ciceronem, en lumen romanae fa„cundiae indignissimis tenebris circumseptum! „Agnosco deperditas Tullii orationes, sentio ejus „eloquentiam ex his latebris divina quadam vi „fluere, abundantem sonantibus verbis uberibus„que sententiis. Tituli quoque operum in mar„gine Codicis sese paulatim aperuerunt. Atque „hic ego quantis laetitiis incessi, cum partes in„gentes ineditas trium Ciceronis orationum depre„hendi, *pro Scauro* nimirum, *pro Tullio* et *pro*

„*Flac-*

„ *Flacco?* Grandibus et pulcherrimis litteris ea „ constat scriptura, et in tria unaquaeque pagella „ latercula distinguitur. Tum oratio *pro Scauro* „ elegantissimis scholiis stipatur, quorum alia litte- „ ris quadratis vetustissimis, etsi minutioribus, exa- „ rata sunt, alia rudioribus quidem, sed eadem „ tamen antiqua, atque ab eodem, ut plane vide- „ tur, auctore profecta. Scriptorem horum scho- „ liorum Asconium Pedianum fuisse suspicor: nam „ et stilus, et naturalis quidam color, et totum „ genus scribendi id indicare videntur. Porro qui „ jam pridem extat Asconii commentarius in ora- „ tionem *pro Scauro*, non plane integer esse po- „ test, quum ipsa oratio paene tota ante nostram „ editionem desideraretur."

Sic Majus; equidem non miror, ipsum detecto pretiosissimo thesauro adeo laetatum fuisse: neque id magis Ciceronis, quam Asconii causa. Sunt enim et illa Asconiana *quantivis pretii*, ut ait Heinrichius in Praef. p. XXI. *quibus sine intelligentiae detrimento carere nemo potest.* Cramerus quidem opinatur ea Scholia non ab Asconio profecta esse; sed quibus potissimum argumentis id neget, exspectari, quam addere maluit: „ *Antiquissima esse haec scholia*, inquit, p. 4. *ipse litterarum character ostendit; Asconii esse dubitare licet, cum neque ad doctrinam, neque ad stilum accedere videantur.*" Sed Cramerum opportune refutavit Majus in Commentationibus de edit. princ. Mediol. Fragmentorum Ciceronis, quae subjectae sunt editioni Halensi 1824. p. 616. seq.

Praeter illa Scholia in orationem pro Scauro, alia mox, eodem tamen anno 1814. Mediolani edidit Angelus Majus in libro, cujus integra haec est inscriptio: *M. Tullii Ciceronis trium Orationum, in Clodium et Curionem, de Aere alieno Milonis, de Rege Alexandrino, Fragmenta inedita. Item ad tres praedictas Orationes, et ad alias Tullianas quatuor editas, Commentarius antiquus ineditus, qui videtur Asconii Pediani. Scholia insuper antiqua et inedita, quae videntur Excerpta e Commentario deperdito ejusdem Asconii Pediani, ad alias rursus quatuor Ciceronis editas Orationes. Omnia ex antiquissimis MSS. cum criticis notis edidit Angelus Majus. Mediol. 1814.* In hoc praestantissimo opere acris ille ingenii Italus, pro gravitate argumenti, perquam doctissime disputat de Scholiis istis ineditis, et magno doctrinae apparatu exponit, quibus ille momentis adductus Asconium in Ambrosiano palimpsesto se invenisse arbitretur. Nos quidem libenter doctissimam Maji disputationem hic repetimus, nec vero dubitamus, quin hac in re apud nostrates aliquid gratiae habituri simus.

„ Quod si Deo visum esset, ut pro his pretiosis „ quidem sed distractis atque abruptis Ciceronis „ fragmentis ipsos integros libros effoderemus, „ tunc demum omnium eruditorum gaudium esset „ cumulatum. Nunc id desiderium sane grave at-

„ quo

„que acerbum Commentarius copiosus ineditus „non parum solatur. In quo quidem scripto antiquissimo quid vehementius admirer non dispicio: an latinitatis videlicet puritatem, an elocutionis nitorem, an doctrinae sapientiam, an Interpretis denique in suo officio prorsus perfecti „accuratissimam sedulitatem. Huc accedit, quod „valde praeclaras et novas, qui nostrum Interpretem leget, notitias hauriet. Quis ante hujus editionem audivit de opere Ciceronis quod inscriptum fuerit Edictum L. Racilii Tribuni Plebi? „Quis praeterea Quintum Marci fratrem praefuisse „praetorem causae, quam Marcus dixit pro A. Licinio Archia? Nequid dicam de perutilibus grammaticae ipsi, orthographiae, historiae, et philologiae locis, quos non incuriosi lectores passim „offendent. Nequid dicam de Afranii et Sinnii „Capitonis auctoritatibus, quae semel laudantur. „Nequid denique dicam de C. Gracchi nobili „orationis fragmento, quod in his ipsis commentariis quasi gemma lectissima elucet. Quid hoc „frusto brevius, dicet aliquis? At quantus orator! Haec equidem particula non solum latinae „linguae bonitate me delectavit, sed etiam commemoratione famosi hominis et mirae antiquitatis memoria. Osculemur igitur flagrantissimi tribuni plebis, Scipionum de stirpe geniti, oratoris „ante Tullium natum facile principis venerandas „reliquias, quae ad aspiciendam aetatis nostrae „lucem e sempiternis tenebris emerserunt.

„Nunc mihi paulo difficilior quaestio commovenda est, cui nimirum auctori ingens hic et ineditus commentarius tribuendus sit. Multi quidem

„ dem veteres eruditi orationes Ciceronis scriptis „ commentariis illustraverunt, quos inter videtur „ Tullius ipse auctor, cui rei fidem faciunt Asco- „ nius, Quintilianus atque Diomedes. Vulcatii „ commentarios in orationes Ciceronis D. Hiero- „ nymus memorat. Caprum Agroetius in commen- „ tando Cicerone praecipuum vocat: quod recte „ ne an secus dictum sit, amisso Capro, judicare „ non possumus. Et quidem Capri commentarios „ D. etiam Hieronymus nominat. Denique et prae- „ dictus Asconius alios interpretes haud raro in- „ dicat orationum Ciceronis. Sed enim ea cuncta „ scripta perierunt, praeterquam Asconii et cujus- „ dam Scholiastae anonymi, quorum labores in „ aliquot Ciceronis editionibus conjunguntur. Com- „ mentarium a me nuper repertum, quia is pari- „ ter est anonymus, statim, ut par erat, cum As- „ conio et cum editis scholiis contuli: ac facile „ sane cognovi, inventa mea stili elegantiâ erudi- „ tionisque praestantiâ ad Asconium prorsus acce- „ dere, a siccitate autem et duritia Scholiastae „ vehementer recedere. Cumque praeterea vide- „ rem, miro quodam eventu commentarium meum „ ad eas ipsas Tullii orationes pertinere, quae As- „ conianis adnotationibus injuria temporis orbatae „ essent, in eam protinus sententiam concessi, me „ Asconii Pediani labores detexisse reliquos, qui „ magno cum litterarum detrimento jam diu pe- „ rierant.

„ Jam ego quibus momentis adductus Asconium „ me in ambrosiano palimpsesto invenisse arbitrer, „ breviter exponam. Id autem priusquam adgre- „ dior;

„ dior; magnum huic sententiae pondus adferam,
„ ambrosianorum doctorum auctoritate citata. Namque his quum ego mea de Asconio nuper a me reperto argumenta perpendenda proponerem, hoc ab ipsis gratissimum responsum retuli: ea idcirco probabiliora videri, quod olim suspicio aliqua oborta esset, Asconium fortasse in ambrosianis codicibus latitare. Sed enim ante recognitam, exscriptam et ordinatam hujus, de quo agimus, palimpsesti materiam elucere nondum res poterat. Nunc vero quum tanta pars commentarii in publicam lucem emerserit, quantam ne praeteritae quidem editiones complexae fuerant, ex accurata utriusque operis collatione, de vero auctore inediti commentarii satis probabiliter conjectare jam possum. Conjecturae autem meae haec fere capita sunt.

1. Elocutionis et stili genus mihi prorsus idem „ videtur in codice inedito atque in Asconii editionibus, purum videlicet utrobique, pressum, simplex, nitidum, elegans, et argentea immo aurea aetate dignissimum.

2. Methodus ipsa et materia commentarii eadem est in codice inedito atque in Asconii libris impressis. Utrobique siquidem praeponitur argumentum historicum et satis eruditum Tullianae orationis. Utrobique mira perspicuitate et brevitate loci obscuri enucleantur, sensus grammatici aperiuntur, historia temporum tangitur, multorum hominum vitae et munera: tum leges, mores, consuetudines praesertim urbanae et judiciorum perpetuo describuntur.

3. Tam ex edito Asconio quam ex codice inedi-
„ to apparet, auctorem Commentarii posteriorem
„ quidem aliquanto esse ipso Cicerone, sed brevi
„ intervallo. Adeo multa in utroque scripto nar-
„ rantur seu minuta, seu recondita, quae non
„ nisi ab eo, qui iis rebus aetate esset proximus,
„ resciri potuissent.

4. Mos est Asconii satis frequens provocandi
„ ad paulo ante a se dicta. Idem saepe facit nos-
„ ter Interpres.

5. Ad orationem *in Vatinium IX. 5.* indicat
„ omnino Interpres, se scripsisse in orationem, quae
„ hanc praecederet, nempe in *Sextianam*, quae,
„ ob ipsam materiam, *Vatinianae* praeponitur. Jam
„ vero putatur Asconius commentatus fuisse in om-
„ nes prope Ciceronis orationes.

6. In codicis commentario ad orationem *pro*
„ *Plancio* XIV. 4. satis significat Interpres, se
„ scripsisse in Verrinas. Tum ad orationem *in*
„ *Vatinium* IX. 4. ait, saepe se fecisse mentionem
„ legum Aeliae et Fufiae. Jam vero in Verrinas
„ scripsit Asconius, ut in editionibus videre est,
„ ibidemque multos Ciceronis jocos notavit. Tum
„ legis Fufiae meminit revera *in Verr. de praet.*
„ *urb. XLII.* Fufiae et Aeliae *contra Pison.* IV.
„ Plures alias congruentias Asconii editi cum com-
„ mentario inedito suis locis infra notamus; ex.
„ gr. ad orationem I. editam *pro C. Cornelio* scri-
„ bit Asconius: « *Hic est Cotta, de quo jam*
„ *saepe diximus.*" Et revera apud Interpretem
„ etiam nostrum dicitur de hoc Cotta ad orationem
„ *in Clodium et Curionem* VII. 2. Tum ad edi-
„ tam

„ tam orationem *in Pisonem* XIV. dicitur: « *P.*
„ *Clodii App. Claudius, sicut jam saepe signi-*
„ *ficavimus, fuit frater.*" Fit autem ejus rei
„ mentio etiam in scholiis a me nuper editis ad
„ orationem pro Scauro VI. quae mihi item ad-
„ notationes Asconianae putae videbantur.

7. Ad orationem editam *pro Milone* V. scribit
„ Asconius: « *Illud vos meminisse non dubito,*
„ *per Q. Fufium illo quoque tempore, quo de*
„ *incestu P. Clodii actum est, factum, ne a*
„ *senatu asperius decerneretur.*" Quo loco vi-
„ detur Asconius provocare ad ea quae dicta
„ sunt in argumento orationis *in Clodium et Cu-*
„ *rionem.*

8. In commentario edito ad orationem *pro Mi-*
„ *lone* XXXII. ait Asconius putare se jam signifi-
„ casse legem, quam Clodius ferre proposuerat de
„ suffragio libertinorum. Jam vero ea narratio
„ nusquam occurrit in Asconio edito, legitur au-
„ tem apud nostrum Interpretem ad orationem
„ *de aere alieno Milonis* IV. 1. videri Clodium
„ eam legem fuisse laturum.

9. Item in commentario edito ad orationem *in*
„ *Pisonem* X. scribit Asconius se jam dixisse, L.
„ Lamiam a Gabinio consule edicto relegatum
„ esse. Id autem quum frustra quaesiveris in
„ Asconio edito, occurret tibi apud Interpretem
„ nostrum ad orationem *pro Plancio* XXXV. 2.

10. Incommoda ipsa quibus tum editus Asconius
„ tum Interpres noster ineditus laborant, ejusdem
„ generis sunt. Uterque enim injuria temporum et
„ scribarum incuria male habitus est. In utroque

„ sunt lacunae modo verborum, modo sententia-
„ rum. In utroque non raro commentarius est ace-
„ phalus aut mutilus. Quare in emendando aut
„ declarando Pediani textu strenuam operam po-
„ suerunt doctissimi viri Gulielmus Budaeus, Lo-
„ doicus Alvarus, Paulus Manutius, Carolus Sigo-
„ nius, Andreas Patricius, Franciscus Fabricius,
„ Petrus Nannius, Petrus Danesius, T. Popma
„ Phrysius, Jacobus Cruquius, Thomas Crenius,
„ Joannes Fridericus Gronovius, Franciscus Ho-
„ tomannus et alii: eaeque adnotationes partim
„ saltem editioni Asconii Lugduni Batavorum anni
„ MDCLXXV. subjunguntur. Denique tum in cal-
„ ce parisiacae editionis anni MDXX. tum ab An-
„ drea Patricio in editione Lugduni Batavorum
„ p. 284. monemur, Asconii verba aegre interdum
„ in codicibus a Ciceronis verbis distingui. Id mi-
„ hi quoque, dum codicem exscriberem, haud ra-
„ ro molestiam et perplexitatem creabat.

„ Asconius igitur prorsus a nobis judicatur nos-
„ ter Interpres, tum propter has omnes conjectu-
„ ras, tum praecipue ob octavam et nonam. Jam
„ si cuique scriptori natura est, suus cuique co-
„ lor ac paene vultus; nihil autem editus olim As-
„ conii textus, ab eo qui primum nunc editur,
„ differre videtur; reliquum est, ut nos deperditas
„ Asconii partes magno Dei beneficio deprehende-
„ rimus. Quumque ad IX. tantum Tullii oratio-
„ nes Commentario Asconii uteremur, nunc jam
„ XVI. ab eo illustratas legamus: quas inter ora-
„ tionem *pro Scauro* nova parte commentarii jam
„ in-

„ instructam. Immo quum Scholia, quae ad *Ca-*
„ *tilinariam quartam*, *Marcellianam*, *Ligaria-*
„ *nam*, et *pro rege Dejotaro* infra addemus, eo-
„ dem ferme jure Asconiana possint haberi; XX.
„ jam Ciceronis orationes interprete suo, quo mi-
„ rifice gaudent, Asconio exornantur."

Hisce potissimum argumentis suam opinionem firmare studuit Majus, quae meâ quidem sententiâ plurimam partem hujusmodi sunt, ut facile persuadeant. Sed Majo mox se opposuit Niebuhrius in Praef. ad Fronton. p. XXXIV. n. 4. „ *Hic Ciceronianus Interpres*, inquit ille, *magni sane pretii est et doctus, non tamen est Asconius; sed idem qui in Verrinas scripsit, quarti saeculi homo. Nam is quoque commentarius non recte Asconio tribuitur, atque mihi dubium non est, in Poggianis Asconii apographis hunc non exstitisse, sed aliunde editum esse.*" Nos quidem maxime dolemus acerrimum illum Criticum ita ex tripode enuntiare, quam suarum opinionum argumenta exponere maluisse. Majus tamen, auditâ Niebuhrii intercessione, non dubitavit in eo stare quod semel judicaverat; hinc in Commentat. l. c. p. 610. primum quidem miratus est quo pacto Niebuhrius confirmet, Interpretem Verrinarum esse quarti saeculi hominem, et qua vel auctoritate vel vi detrahat Asconio Commentarium, quem communis sententia, quem codices eidem Asconio vindicent: tum vero etiam, ut de recens invento Interprete dictam sententiam tueretur, plurimos modos seu locos ex Ambrosiano Inter-

prete notavit, qui cum Asconianis magnopere congruunt. Caeterum discrepantis hujus judicii dijudicationem exspectamus a Celeb. Heinrichio, qui in Praef. edit. Kiloniensis p. XXII. profitetur, se et haec Scholia suscepisse proxime in Germanía animadversionibus additis repetenda.

Praeter Niebuhrium alius quoque Vir Doctus dubia sua movit, qui in universali bibliotheca Genevensi m. Novemb. 1816. p. 217. sq. Maji editionem perpendendam describendamque vindicavit. Is quidem Vir Doctus Maji opinionem de Asconio invento minime improbans, eo tamen loco nonnihil offendi visus est, quo Commentarii auctor ad Orat. pro Plancio IX. 1. ait: „*Feriarum latinarum sacrificio solebat hoc observari, ut Hostia et civitates adjacentes portiunculas carnis acciperent ex Albano monte secundum veterem superstitionem.*" Viro itaque isti Docto haud quaquam dicturus fuisse videtur Asconius eas caerimonias *secundum veterem superstitionem* usurpari, quoniam eae sua aetate summa adhuc veneratione frequentabantur. Objecto argumento Majus ut occurrat, respondet: Vocabulum *superstitio* de religioso ritu sine contumelia usurpatum esse a scriptoribus ethnicis. Porro *superstitionem*, seu caerimoniam petendi carnem ex Albano monte feriis latinis, jam ipso tempore Asconii *veterem* fuisse, quandoquidem a Romae regibus fuerit instituta.

De pretio, quale habendum sit Scholiis istis recens detectis, recte judicavit Angelus Majus; miramur sane in iis et latinitatis puritatem, et elo-

elocutionis nitorem, et doctrinae sapientiam, et interpretis denique in suo officio prorsus perfecti accuratissimam sedulitatem. Notitiae vero, quas inde haurire licet, praeclarae et novae sunt. Nunc demum, quod antea numquam auditum fuerat, innotuit, scriptum esse a Cicerone libellum, *Edictum Lucii Racilii Tr. pl.* Docet hoc Scholiasta Ambrosianus ad Orat. pro Plancio c. XXXII. „ *Sed quoniam omnia per Racilium videbantur impleta, non expetisse se dicit, ut etiam ille ex superfluo laboraret, qui tantum sibi in quaestura Macedonica praestitisset. Extat autem libellus ejusdem Ciceronis, qui ita inscribitur: Edictum Lucii Racilii Tribuni Plebi, quod sub nomine ipsius Cicero inscripsit in invectionem P. Clodi.*" — Aliam porro notitiam eidem Scholiastae debemus de Praetore causae nobilissimae, quam Cicero dixit pro A. Licinio Archia. Huic enim causae quis Praetor praefuisset, antea omnino dubium fuit, quemadmodum ostendit Wyttenbachius in disputatiuncula de eo ipso argumento, quam exhibet J. T. Netscher in Disput. de Ciceronis Orat. pro Archia p. 24 — 28. Atqui Scholiasta Ambrosianus docet causae isti Praetorem adfuisse Quintum Ciceronem, Marci fratrem; audi ipsum ad Orat. pro Arch. c. II. „ *Non vacat quod mentionem facit Praetoris ipsius, id est fratris sui Q. Ciceronis, qui judicio praeërat. Opportunissimum quippe ait de laudibus poëtae boni aput eum dicere qui studiis hujusmodi delectetur. Fuit enim Q. Tullius non solum epici, verum etiam*

etiam tragici carminis scriptor." — Minoris fortasse momenti videri poterit notitia de Afranio tragoedo et de Capitone grammatico; est illa tamen de utroque nova. Ad Orat. in Clodium et Curionem c. V. haec ait: „*Calautica. Ornamenti genus, quo feminae capita velabant, hoc nomine ferebatur. Et Afranius meminit in Consobrinis ita dicens: « Cum mithris Calauticis.*" Tum in Argument. Orat. de Aere alieno Milonis haec habet; „*Tertia haec est interrogandi species, ut Sinnio Capitoni videtur, pertinens ad officium et consuetudinem senatoriam. Quando enim aliquis sententiam loco suo jam dixerat, et alius postea interrogatus quaedam videbatur ita locutus, ut refutari posse justissime viderentur, postulabat ille qui jam sententiam dixerat, ut sibi liceret interrogare, hoc est illum redarguere, cujus sententia in multis quasi mendax et calumniosa redargui posset.*" — Sed elucet in hisce Commentariis, si quidquam aliud, quasi gemma lectissima, nobile fragmentum Orationis C. Gracchi *De Legibus Promulgatis*. Ubi enim Cicero in Orat. pro Sylla c. IX. ita locutus fuerat: *Ego tantis a me beneficiis in rep. positis, si nullum aliud mihi praemium ab Senatu populoque R. nisi honestum otium postularem, quis concederet?* hoc praestantissimum scholion exhibet Schol. Ambrosianus: „*Gloriose in hunc locum decurrit orator laudibus suis plurimis demeritis erga rem publicam tribuens, quod tantis jam perfunctus periculis hones-*

nieste posset ab omni labore requiescere, nisi animus nullo posset otio consenescere. Et hic, quantum mea opinio est, imitatus est C. Gracchum. Sic enim et ille De Legibus Promulgatis, ut ipsius etiam verborum faciam mentionem: Si vellem, inquit, aput vos verba facere, et a vobis postulare, cum genere summo ortus essem, et cum fratrem propter vos amisissem, nec quisquam de P. Africani et Tiberi Gracchi familia, nisi ego et puer restaremus, ut pateremini hoc tempore me quiescere, ne a stirpe genus nostrum interiret, et uti aliqua propago generis nostri reliqua esset; haud scio an lubentibus a vobis impetrassem." — Et vero praeter insignes illas notitias, alia plurima in hisce scholiis reperies, quae et Grammaticae et Orthographiae et Historiae utilissima sunt. Equidem libenter Majo adsentior, qui in iis nihil esse dicit, quod ab Asconii vel doctrina vel stilo abhorret.

Est tamen aliquid, quod videri possit Maji sententiae repugnare, adeoque prohibere, quominus Ambrosianos Commentarios ab Asconio conscriptos esse enuntiemus. Supra quidem suspicari nos diximus, Asconium praecipuo consilio Commentarios in Ciceronem scripsisse, ut filios ipse suos doceret; quidquid de ista suspicione sit, loca, quae tunc excitavimus, satis probant, As-

conium in Commentariis editis ad plures subinde personas locutum esse. In Commentariis vero Ambrosianis auctor ubique lectorem singulari persona alloquitur. Sic ad Orat. in Clodium et Curion. II. 4. „ *Ne quaesieris ejus personam, de quo videtur hoc dicere.*" Ad Orat. pro Plancio. VIII. „ *Ne hanc laudem nude imperti-ri Atinatibus arbitreris.*" Ad Orat. eandem XXVII. 2. „ *Nota gratificationem molestam.*" Ad Orat. eandem XXXI. 1. „ *Animadverte quo modestiae temperamento haec exsequatur.*" Ad Orat. pro Marcello VI. 2. „ *Vide qua modera-tione temperaverit culpam.*" Hae jam locutiones si cum iis comparentur, quas supra, p. 128. ex Asconio edito citavimus, non immerito ali-quam formae diversitatem animadvertere licet. Alibi vero saepius quoque enarrationis forma ejusmodi est, quae aptissime in dictantis perso-nam cadere videatur. Ad Orat. in Clod. et Cur. VI. 2. „ *Notemus verborum medietates elegantissime ab oratore suspendi.*" Ad Orat. de Rege Alexandrino III. 3. „ *Notemus gra-datim fieri argumenta.*" Ad Orat. pro Sylla VII. 5. „ *Animadvertamus quantis aculeis as-peritatis tallionem M. Tullius referat hic Tor-quato.*" Ad Orat. pro Plancio XXVI. 2. „ *Quae omnia jactantius ab illo dicta, quam eleganter elevet et abjiciat M. Tullius, consideremus.*" Ad Orat. eandem XXVIII. 1. „ *Verbum hoc quoque non incuriose adnotemus, quod debi-tionem pecuniae dixit.*"

§. 2.

§. 2.

SCHOLIASTA ANONYMUS

QUI A VOSSIO DICITUR

VULCATIUS GALLICANUS.

Vulcatii nomen, non dubium est quin inter Ciceronis interpretes jure suo commemorationem mereatur. Hieronymus enim ipsum Commentarios in Orationes Ciceronis scripsisse satis manifeste declarat, loco illo notabili in Apol. adv. Rufin. L. I. p. 567. „*Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Salustium Commentarios; Vulcatii in Orationes Ciceronis.*" De Vulcatii Commentariis, quandoquidem et vel nomina ignoremus Orationum, ad quas scripsit, nihil omnino superesse, vulgaris Virorum Doctorum opinio existimavit: Isaäcus Vossius vero, ubi in ditissima sua MStorum penu reperisset fragmentum aliquod Commentariorum ad Ciceronis orationes, mox sibi visus est detexisse Vulcatium, illum qui ab Hieronymo dictus esset Commentarios in Ciceronis Orationes scripsisse. Novum igitur illud qualecunque inventum ut Vossius cum Gronovio et Graevio communicavit, uterque quidem, ut videtur, dubitavit illud fragmentum Vulcatio tribuere, sed dignum tamen

 cen-

censuit quod erudito orbi notesceret. Fabricius in Bibl. Lat. T. I. p. 156. *a.* ita hanc rem narrat: „*Scholiasten istum anonymum pridem laudavit Petrus Pithoeus in notis ad Mosaicarum et Romanarum legum collationem titulo VIII. Editus est primum in editione Ciceronis Gronoviana atque mox in Graeviana, verbisque Ciceronis per singulas paginas substratus, e Codice MS. Is. Vossii, cujus Catalogum MSS. vide sis inter latinos num. 153.* [leg. 152.] *An auctor sit Volcatius Sejus Gallicanus, non plane certum esse existimo, quamquam Volcatium in Orationes Ciceronis scripsisse testatur S. Hieronymus I in Rufinum: placet id autem Is. Vossio, qui ad Catull. p. 315.* (*) *fragmentum in Verr. e Volcatii Comment.*

(*) Lege potius p. 318. ubi haec sunt Vossii verba: « *Clarum quid sibi velit Catullus, cum Mamurram ollae comparet, quae solo sacra faciat olere. Porro ut et hoc quoque moneam, non ita pridem vir doctus, mihique perquam amicus, significavit mihi locum hunc sibi intelligendum videri de authepsa, vase nempe seu olla, ut putabat, quâ sponte sua olera coquerentur, cujus mentio apud Ciceronem in Verrinis. Verum non facile quis vel sensum vel acumen epigrammatis hac ratione expediat. Ut sciamus quid apud Ciceronem sit authepsa, operae pretium fuerit verba antiqui interpretis, Vulcatii, ut puto, Gallicani adscribere. Sic itaque ille ad hunc locum: « Authepsa vas est aquarium, « quod interjecta lamina fa- « bricatis arte fornacibus « compendium portat: insi- « mul ignis contrarii elemen- « ti defensa vicinitas.*" *Hinc ut opinor non difficulter conficias, authepsam non fuisse ollam quâ olera coquerentur, sed ἰπνολέβητα seu vas miliarium.*"

ment. adfert. Ceterum Commentarium anonymi hujus Scholiastae in priorem partem Orationis pro Sex. Roscio, in Gronoviana editione quaeres in Clariss. editoris praefatione."

Recte Fabricius ubi non plane certum esse existimat an Commentarii istius auctor sit Vulcatius. Quin et hoc non ita facile credidisse videtur Graevius, quemadmodum patet ex inscriptione, quam hujusmodi fecit *Anonymi Vetusti Interpretis Notae in Orationem*, etc. tum vero etiam exinde quod in Praefatione, ubi de isto fragmento disserit, omnino Vulcatii nomen reticeat. „ *Interpretes*, inquit, *accipies integros. Asconium cum MS. a me collatum, et scholiasten anonymum, quem olim mecum communicavit ὁ πάνυ Isaäcus Vossius, et quem ex eodem libro descriptum divulgavit in editione novissima Leidensi Vir Celeberrimus Jacobus Gronovius."*

Vossii opinionem, nemo, quantum scio, secutus est; equidem vellem addidisset Vossius quibusnam indiciis in tam altae antiquitatis suspicionem adductus esset; quandoquidem Vulcatii Gallicani aetas, teste Saxio in Onom. Lit. T. I. p. 378. referenda sit ad a. 290. id est, ad ea tempo-

rium." Haec Vossius; fallitur autem ille ubi Verrinas citat; citandum esset cap. 46. Orat. pro Roscio Amerino. Scholiastae locum sic corrigendum judicat Graevius p. 219. *Authepsa vas aquarium, quod interjecta lamina fabricatis arte fornacibus calidam portat: portati simul ignis contrarii elementi defensa vicinitas.*

pora, quibus Diocletianus et Maximianus Herculeus, alter in Oriente, alter in Occidente, imperium teneret.

Nos quidem, ubi quaereremus quibusnam indiciis Vossius in tam altae antiquitatis suspicionem adduci potuerit, operae pretium duximus ipsum illum Codicem oculis nostris lustrare. Atqui ut Codicem aperimus, in fronte ad marginem videmus ab antiqua, recentiore tamen quam quae Codicem exaravit, manu adscriptum esse illum Hieronymi locum, quem supra exhibuimus: et mox haec verba: „*An Vulcatii Gallicani cujus exstant aliquot Impp. vitae.*" De Vossiana opinione quid statuendum sit, ab aliis doceri cupio.

In Commentariis ipsis nullam suae aetatis disertam mentionem facit auctor; meminit ille quidem alicubi consuetudinis Ecclesiae Romanae, quae suo tempore obtinuerit: „*Delubra*, inquit ad Divinat. in Q. Caecilium c. I. *dicuntur templa. nihilominus tamen et simulacra. ab eo quod dolantur. Hic vero templa significat. Alii dicunt loca illa interna templorum esse delubra, ubi aqua hominum deluuntur peccata: aut illa quae ante templa sunt sine tecto et quae pluvia deluuntur. aut ubi aqua posita est, ut ingredientes in templo spargendo se deluant, purgationis causa hoc scilicet facientes.*" Ex hujus vero consuetudinis commemoratione nihil quidquam certi de auctoris aetate conjici posse opinamur. Antiquissimi enim Christiani, Judaeorum instituta secuti, prius quam ae-

aedes sacras ingrederentur, manus abluere soliti fuerant, et omnino distinguendus est hic mos ab aquae benedictae sive lustralis usu, qui non ante saeculum IV invaluit. (*)

De pretio istarum annotationum quid sentiam, non reticebo. Est in iis aliquid sane boni, plurimae tamen subinde reperiuntur nugae, et quisquis dicatur istius Commentarii auctor fuisse, mihi quidem ille, et doctrinâ, et oratione, post Asconium longe inferior censendus videtur. Res, quae explicantur, plurimam partem aliunde, idque melius, cognoscuntur; et hoc quoque valet de hominum, munerum et consuetudinum notitiis; quin et dubitare licet, an Grammaticae studium exinde multum proficiat. Cognovit ille tamen et Graecos aliquot optimos scriptores, Herodotum, Demosthenem; tum de Latinis, Sallustium, Virgilium, Lucanum, e quibus hic illic pro interpretis munere historias et locutiones excitat. Praeterea quoque alia veteris aevi monumenta cognovisse videtur, quae hodie non supersunt: loquitur alicubi de Ennii fabula, quae Achilles inscribitur; quem scholiastae locum non cognoverunt ii, qui Ennii fragmenta ediderunt. Exhibeamus illum, qualis in Codice prostat, *folio* 46. id est ad Orat. pro Rosc. Amer. c. 52. *Ferro Frugio. In Ennio haec fabula inducitur Achillis. quo tempore propter Briseidam cum*

(*) Vid. Binghami Orig. Eccles. T. III. p. 179. sq. J. M. Schröckh Christl. Kirchengesch. Vol. IX. p. 325. Y. van Hamelsveld Algem. Kerkel. Gesch. der Christ. Vol. VI. p. 230.

cum Graecis pugnare noluit. quo etiam tempore Hector classem eorum incendit. in hac pugna Ulixes vulneratus inducitur. et fugiens Achillem venit. cum interrogaretur ab Ajace cur fugisset, ille ut celaret dedecus vitium." Ejusdem fabulae alibi meminit, *folio* 14. id est ad L. I. in Verrem c. 18. *Ita magni fluctus ejiciebantur. Enniano emistichio usus est, ex tragoedia quae Achilles inscribitur.*" Et vero etiam hujus Scholiastae aetate superstites fuisse videntur Messalae Orationes. Ad Orat. pro Rosc. Amer. c. 2. in Cod. *folio* 39. haec ille notat: *Non ego qui maximo ingenio. Messalam maxime significat, cujus maxime exstant orationes.*"

Quot Ciceronis orationes Scholiastes commentariis illustraverit, certo quidem definiri nequit; sed si Vossiano Codici fides habenda est, videtur ille ad satis plurimas scripsisse. Librarius enim quum in margine passim paginarum numeros notaverit de Codice antiquo, quem describebat, facile deteguntur lacunae maxime insignes. Servati sunt Commentarii ad Divinationem in Q. Caecilium, ad Actionem primam in Verrem, ad Catilinariam secundam, ad Catilinariam tertiam, ad Catilinariam quartam, ad Orat. pro Ligario, ad Orat. pro M. Marcello, ad Orat. pro Dejotaro, ad Orat. pro Roscio Amerino, ad Orat. pro Lege Manilia, ad Orat. pro Milone: sed vero ita servati sunt, ut ad alias orationes initium, ad alias finis Commentariorum desideretur; tum vero etiam passim ita confusi mutilatique sunt, ut quid sibi velit interpres, plane non intelligatur.

§. 3.

§. 3.

MARIUS FABIUS VICTORINUS. (*)

Victorini nomen apud eos, qui de illustribus Ecclesiae scriptoribus exposuerunt, frequentissime memoratum reperitur. Neque tamen non Victorini mentio inter Ciceronis Commentatores jure suo locum sibi vindicare videtur. Exstat enim hoc nomine Commentarius in M. T. Ciceronis libros Rhetoricos, de quo hujusmodi judicium tulit Barthius Adv. L. XXXVI. c. 1. „*Veteris Criticae apud Latinos, nam Graecorum hac in re non*

(*) De nomine haec habet Barthius Adv. L. XXXVI. c. 1. „*Titulus est* MARII. FABII. VICTORINI. *Quem pro eo aevo, quo Victorinus fuit, turbato jam Romanorum nominum ordine, cur repudiemus non video. Est alia apud nos editio,* AFRI *praescriptum habens, et cum Afer ab Hieronymo* [de Ill. Eccl Script. c. 101.] *et Honorio* [de Ill. Eccl. Script. ad a 270.] *hic scriptor dicatur, fortassis inde* FABII *nomen, ob Quintilianum, Rhetoricorum exscriptoribus notius, natum est.*" Miror Barthium nullam mentionem fecisse loci Hieronymi in Prooem. Comment. in Ep. Pauli ad Galatas p. 222. ubi Victorino tribuitur praenomen CAJI. — Praeterea Victorini nominibus LAURENTII nomen interpositum esse a Sirmondo ad L. I. Epist. Ennodii, notat Fabricius in Bibl. Med. et Inf. Lat. Vol. VI. p. 819. qui opinatur ipsum fecisse hoc ex Codicibus antiquis, quos tamen non indicaverit. Notante eodem Fabricio l. c. p. 820. Putschius in Grammat. Veter. [p. 1939] ipsum perperam vocavit *Maximum* Victorinum.

non paullo potior fortuna fuit, parvae admodum tenuesque ad nos pervenerunt reliquiae. Genuinae quidem; nam futilium glossematum immanis ubique copia est. Earum cum primis censeas Victorini Rhetoris Commentaria in libros Rhetoricos M. Tullii: librum bonarum rerum plenum et judicio conscriptum probo." Editus est ille Commentarius in collectione Rhetorum antiquorum Fr. Pithoei p. 79—239. ubi hanc habet inscriptionem: *Marii Victorini Rhethoris Urbis Romae Expositio in libros Rhetoriców Ciceronis;* et seorsim quoque ipsum typis exaraverunt Anton. Zarotus Mediol. 1474. Ascensius Paris. 1508. et Rob. Stephanus Paris. 1537.

De aetate, qua vixerit hujus Expositionis auctor, non facile est quidquam certi pronuntiare, quum ejusdem nominis complures fuerint; adeo quidem, ut perquam difficile sit rite discernere ea, quae de illis singulis apud varios auctores exstant, testimonia. Non inutilem itaque operam fecisse videtur Launojus, qui, teste Fabricio in Bibl. Lat. T. III. p. 461. singularem conscripsit Dissertationem de Victorinis, quae exstat in ipsius Oper. T. II. P. 1. p. 654.

Nos, ubi quaerimus, quis de quatuor Victorinis, qui passim memorantur, auctor fuerit hujus Expositionis, videmur nobis certissimam rationem sequi, si probe teneamus quae ex libri titulo docemur. Hîc enim auctor vocatur *Marius Victorinus* et fuisse dicitur *Rhetor Urbis Romae.* Jam vero, si haec duo tenemus, quis dubitet, quin

quin hic idem Victorinus sit, cujus mentionem facit Hieronym. in Prooem. Comment. in Epist. Pauli ad Galatas T. IV. p. 222. ubi ait se non ignorare „ *Gajum Marium Victorinum, qui Romae pueros Rhetoricam docuit, edidisse Commentarios in Apostolum.*" Atqui, si hoc testimonium pertinet ad Victorinum hujus Expositionis auctorem, ad eundem pertinere necesse sit ejusdem Hieronymi testimonium in libro de Illustr. Eccl. Script. c. 101. ubi ad a. 360. haec habet: „ *Victorinus, natione Afer, Romae sub Constantino principe Rhetoricam docuit: et in extrema senectute, Christi se tradens fidei, scripsit adversus Arium libros, more Dialectico valde obscuros, qui ab eruditis modo intelliguntur: et Commentarios in Apostolum.*" Sequitur porro quod idem sit ille Victorinus, qui apud Augustin. Confess. L. VIII. c. 2. dicitur: „ *quondam Rhetor urbis Romae — quosdam libros Platonicorum in latinam linguam transtulisse — defunctus esse Christianus — senex doctissimus — usque ad illam aetatem venerator idolorum — qui non erubuerit esse puer Christi.*" Neque igitur quemquam alium Victorinum, praeterquam illum, spectare potest illa laudatio Augustini, quae in eod. Confess. c. 2. reperitur, ubi Victorinus vocatur: „ *doctissimus senex, et omnium liberalium doctrinarum peritissimus, quique philosophorum tam multa legerat et dijudicaverat, doctor tot nobilium Senatorum, qui*

etiam ob insigne praeclari magisterii, quod cives hujus mundi eximium putant, statuam in Romano foro meruerat et acceperat." Et de statua consentit Hieronym. in Chronico ad a. 355. ubi ait: „*Victorinus Rhetor et Donatus Grammaticus meus, Romae insignes habentur, e quibus Victorinus etiam statuam in foro Trajani meruit.*"

Quodsi itaque haec Hieronymi et Augustini testimonia in Victorinum, Rhetoricae Expositionis auctorem, cadant, non dubia res erit de ipsius patria et religione. Patria quidem certe fuit Africa, sed non dubium est, quin postea Romam migraverit, ibique juvenes, vel potissimum nobilissimos, Rhetoricam docuerit. Praeter argumenta, quae hac in re jam excitata sunt, valet etiam testimonium Simpliciani, qui apud Augustin. Confess. L. VIII. c. 2. testatur, se, *Romae cum esset, familiarissime Victorinum novisse.*

Quod ad religionem attinet, ex Augustino satis aperte docemur, ipsum fuisse paganum, gentilisque superstitionis sectatorem, et, in senectute demum ad veram fidem conversum, Christianae religioni dedisse nomen. Faceta ipsius confessio et familiaris hac de re confabulatio exponitur apud Augustin. Confess. L. VIII. c. 2. „*Legebat Victorinus, sicut ait Simplicianus, sanctam scripturam, omnesque Christianas literas investigabat studiosissime et perscrutabatur; et dicebat Simpliciano non palam, sed secretius et familiarius « Noveris me jam esse Christianum" et respondebat ille « Non credam*

dam, nec deputabo te inter Christianos, nisi in Ecclesia Christi te videro." Ille autem irridebat, dicens: « Ergo parietes faciunt Christianos?" Et hoc saepe dicebat, jam se esse Christianum, et Simplicianus illud saepe respondebat, et saepe ab illo parietum irrisio repetebatur."

Huc itaque redit nostra de hujus Rhetoricae Expositionis auctore sententia: Commentarii in duos Ciceronis libros de Inventione Rhetorica scripti sunt a Mario Victorino, artis Rhetoricae peritissimo doctore, homine Pagano, natione Afro, qui alta demum senectute Christianam religionem professus est; ita ut ab hoc probe discerni debeant Victorinus, Pitabionensis Episcopus, memoratus Hieronymo de Illustr. Eccl. Script. c. 74. et Victorinus, rhetor Massiliensis, memoratus Gennadio de Ill. Eccl. Scr. c. 60. et Victorinus, natione Aquitanicus, memoratus eidem Gennadio de Ill. Eccl. Scr. c. 88.

Expositio Victorini, quae duobus libris absolvitur, conscripta est, quod ad formam attinet, eadem ratione, qua Asconii Commentarii: i. e. quemadmodum Asconii Commentarii explicationem continent singularum fere sententiarum quae in Orationibus occurrunt, ita Victorini Expositio interpretatur singulas sententias ex libris de Inventione Rhetorica; non est igitur oratio integra, sed auctor quasi ad marginem notavit Ciceronis verba quae explicaturus esset et his suam deinceps explicationem subjunxit. Sed ut Asconii et Victorini opèra non multum differant for-

mâ, qua utriusque conscripta sunt, perquam insigniter differunt et dictione et doctrinâ. In Asconii scriptis oratio ubique aurea est vel aureae proxima; dictio Victorini est profunda ubique et dura, et saepe, pro aevi ingenio, obscura. Si doctrinam spectas, Victorinus prodit quidem diligentem Ciceronis lectionem, sed saepius vagatur extra orbitam, admiscetque res, quae ad locum ubi notantur, minus essent necessariae; judicio valet admodum, pro aetate scilicet qua vixit. Caeterum non dubito, quin, qui ipsius Expositionem evolvit diligenterque legit, doctior interdum ab ipsius lectione recedat. Videturque eam saltem sibi laudem vindicare, quod satis diligenter studuerit ut inter doctos Ciceronis interpretes referretur.

Superest quaestio ut inquiramus, an Victorinus, praeter superstitem Expositionem in libros de Inventione, scripserit quoque in alios Ciceronis libros Expositiones, quae perierint. Desideramus quidem ipsius Victorini testimonium, quum nusquam in libris superstitibus ullam hujus rei faciat mentionem; sed sunt externa argumenta, i. e. aliorum scriptorum testimonia, quae hanc rem certo certius probant. Ut appareat igitur Victorinum quoque interpretatum esse Topicorum libellum, exhibeamus ad hunc locum Boëthii testimonium ex L. I. Comment. in Topic. Ciceron. p. 1. ubi ait: „*In M. Tullii Topica Victorinus, rhetor plurimae in disserendi arte notitiae, commenta conscripsit. — Quatuor voluminibus Victorinus in Topica* con-

conscriptis, eorum primo in declarandis tantum libri principiis occupatur: addit etiam, si qua in eodem volumine praedicenda fuisse perpendit: ut ab exordio voluminis Topicorum, quod est, Majores nos res scribere ingressos, Trebati, *usque ad eum locum, qui est* [in fine c. 1.] Sed jam tempus est ad id quod instituimus, accedere, *primi voluminis Victorini expositio terminetur. Secundo volumine de judicandi atque inveniendi Dialecticae partibus et de locorum atque argumenti definitione pertractat: ut ab eo loco Topicorum, qui est* [c. 2.] Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, unam inveniendi, alteram judicandi, *usque ad eum locum, qui est* [in medio c. 2.] Itaque licet definire locum, esse argumenti sedem. Argumentum autem rationem, quae rei dubiae faciat fidem, *secundi libri Commentariorum explanatio subsistat. Tertius vero atque quartus, discretionem locorum inter se, eorumque exempla multiformiter persequuntur: ita ut tertius quidem Tulliana sibi de jure proponat exempla: quartus vero eosdem locos per alias rursus similitudines monstret, ex Virgilio vel Terentio poëtis: oratoribus, Cicerone et Catone: ut quod praeceptis ostenditur, exemplis collucescat, neque ab eo loco qui est in Topicis* [in medio c. 2.] Sed ex his locis, in quibus argumenta inclusa sunt, *expositio progressa, eum transcendit locum, qui est* [ad finem c. 4.] Valeat aequitas, quae paribus in causis paria jura desiderat. *Quanta vero pars re-*

reliqua Topicorum sit, ipsius voluminis magnitudo demonstrat, quam Victorinus neque attingit, neque attingere potuisset, ita rebus minimis immoratus, nisi opus multa librorum pluralitate distenderet." Haec autem quatuor Commentariorum volumina, in quibus nedum Topicorum libellus ad dimidiam partem absolutus fuit, Boëthii aetate superfuisse videntur, sed nunc plane temporum injuria perierunt.

Boëthii testimonium, etsi aliorum hac in re desint, satis aperte probare videtur, Victorinum quoque aliquando Commentarios scripsisse in Topica Ciceronis; eique propterea eo potius fidem habemus, quod Boëthius eos non obiter tantum citaverit, sed plenissime explicuerit quid singulis libris expositum esset. Non igitur hoc famâ accepit, sed procul dubio hosce Commentarios ipse legit Boëthius, eundem Topicorum libellum explicaturus.

Sunt autem qui putent, Victorinum quoque praeterea Commentarios scripsisse in Ciceronem de Republica. Hoc vero non ita facile probatur. Unicum exstat hac in re testimonium apud Hieronym. contra Rufin. L. I. p. 567. ubi memorantur *Victorini Commentarii ad Dialogos Ciceronis.* Hoc autem nomine quinam Ciceronis libri intelligendi sint, dubia fere res est. Andreas Schottus Nod. Cicer. L. III. c. 5. opinatur significari libros de Republica, qui potissimum κατ' ἐξοχὴν Dialogus nominentur, *quod nulla disputatio majori sit contentione ac tempore habita aut inter plures.*

Ad-

Addit, similiter quoque hos libros vocatos esse *Dialogum* a Rufino de Metris, Diomede et a plerisque omnibus. Schotto adsentitur Patricius in Praef. ad Cic. fragm. de Rep. et A. Majus in Scholio ante L. IV. de Rep. — Nos, ut non aegre concedimus, libros de Republica, ob eorum praecipuam dignitatem, mereri qui κατ' ἐξοχὴν Dialogus appellentur, praeter Hieronymum, alia testimonia requirimus quae plenius probent Victorinum scripsisse Commentarios in Ciceronis de Republica libros.

§. 4.

AURELIUS MACROBIUS AMBROSIUS THEODOSIUS. (*)

Aurelii Macrobii Commentarii, quos scripsit in Ciceronis Somnium Scipionis, etsi potissimam partem versentur in quaestionibus Astronomicis et

(*) In scribendis hisce nominibus non constans usus est. Gothofredus ad Codic. Theodos. L. VI. T. 8. scribendum esse censet, AURELIUS AMBROSIUS. THEODOSIUS. MACROBIUS. « *Proprium scilicet cujusque nomen per haec tempora id erat, quod postremum collocabatur, quo uno videlicet, cum pluribus abstinere placeret, unusquisque designabatur. Quale est Macrobii nomen. Nam quod Avianus in Epistola, quam Fabulis suis praefixit, et Boëtius Theodosium vocant, pro arbitrio suo id fecere.*" Caeterum in Codice aliquo MSto a Barthio Adv. p. 1697. repertum est Macrobii nomini additum nomen *Oriniocensis*; qua voce aut patriam aut

et Physicis, suo tamen jure hic sibi locum vindicant. Sunt quidem illi plane diversi a Commentariis Astonii, sed hoc fecit argumenti propositi diversitas. Interpres Somnii, nemo, nisi Philosophus, esse possit: quippe quo libello universae Philosophiae integritas contineatur; *nullum*, ut Macrobius ipse ait L. II. c. 17. *de tribus Philosophiae partibus Tullius in hoc somnio praetermisit: nam illa ad virtutes amoremque patriae et ad contemptum gloriae adhortatio, quid aliud continet nisi Ethicae Philosophiae instituta moralia? cum vero vel de Sphaerarum modo vel de novitate sive magnitudine siderum, deque principatu Solis et circis coelestibus cingulisque terrestribus et Oceani situ loquitur, et harmoniae superûm pandit arcanum, Physicae secreta commemorat; at cum de motu et immortalitate animae disputat, cui nihil constat inesse corporeum, cujusque essentiam nullius sensus sed sola ratio deprehendit, illic ad altitudinemPhilosophiae rationalis ascendit.*" Omnem autem illam Philosophiam tam egregie in iis Commentariis interpretatus est Macrobius, ut, etiamsi praeterea nihil scripsisset, procul dubio, si gloria est vita post mor-

potius Onirocriticam respicere exscriptorem Barthius existimat. In alio Codice vocatur *Onocrisius*, et ad nomen illud interpres ad marginem Codicis haec notavit „*Onocrisius dictus est q. Somniorum judex: ideo quia ostendit et dijudicat, quae Somnia sint vera et quae aliquid designent, et quae non.*"

mortem, vere nomine suo apud posteritatem frui potuisset.

In Macrobii doctrinae laudem consentiunt aequalium et posterorum testimonia; Flavius Avianus in Praef. ad Fabulas ita ad ipsum scribit: „*Quis tecum de oratione, quis de poëmate loqueretur? quum in utroque literarum genere et Atticos Graeca eruditione superes, et Latinitate Romanos.*" Sed testimonium Aviani, qui fere fuit ipsius aequalis, quemque juvenem Macrobius inducit loquentem in Saturnal. L. I. c. 4. L. VI. c. 7. et L. VII. c. 3. videri possit blanditiis benivolentiam colligere voluisse. Audiatur igitur testimonium Johannis Sarisberiensis, qui est scriptor e seculo XII. philosophus et grammaticus. Sarisberiensis L. VIII. Policrat. c. 10. tale judicium profert: „*Macrobius conspicuus est in sententiis, in verbis floridus, et tanta rerum venustate redundans, ut in institutione convivii et dispensatione Socraticam videatur dulcedinem propinare.*" A Laurentio Valla in L. I. Elegant. c. 13. Macrobius vocatur *curiosissimus in loquendo et reconditissimae scientiae.*

Vixit autem Macrobius iis temporibus, quibus lingua Latina jamjam senescere coeperat; aetas quidem ipsa non certe definiri potest; incidit vero fortasse in finem saeculi IV. non valde extremum. Nam, quemadmodum e Codice Theodosiano L. VI. t. 8. apparet, Macrobius fuit Sacri Cubiculi praepositus sub Honorio et Theodosio Juniore. Regnavit quidem Theodosius in Oriente us-

usque ad a. 450. sed quum Macrobius hoc munere functus dicatur sub Honorio et Theodosio, intelligendum videtur illud tempus, quo ambo, hic in Oriente, ille in Occidente regnaverunt. Honorii autem regnum cessavit a. 423. Sed et antea, i. e. sub Arcadio et Honorio, Macrobius jam fuerat Praefectus Praetorio Hispaniarum, quemadmodum apparet ex inscriptione legis cujusdam in Cod. Justin. L. I. t. 11. quae lex data est Raven. a. 399. Quodsi igitur hoc anno dignitatem obtinuit Praefecti Praetorio, ipsius natalis incidere debuit in finem saeculi IV non valde extremum. Et hanc ob rem quoque Macrobii aetas a Saxio relata est ad a. 410.

De religione et patria Macrobii dubia res est. Fuit peregrinus: sed quo loco natus sit, non constat. Romanum enim se ipse diserte negat in Praef. ad Saturnal. ubi aequi bonique consuli cupit, *si sub alio ortum coelo latinae linguae vena non adjuvet*, vel, *si in suo sermone Romani oris elegantia desideretur.* Christianis ipsum annumerat Barthius in Adv. p. 2258. ita tamen ut ipse alibi in Adv. p. 1598. fateatur, in Macrobii libris vix unum et alterum ejus rei vestigium reperiri. Spanhemius contra in Dub. Evangel. T. I. p. 533. ipsum Ethnicum fuisse opinatur; cui opinioni assentitur Fabricius in Bibl. Lat. T. III. p. 180. qui et hac de re legendos citat Grotium ad Matth. II. 16. et Huetium p. 789. et Jo. Massonum in Epistola, subjuncta Eduardi Chandleri, Episcopi, libro Anglice edito Lond. 1728.

Sed

Sed Macrobius etsi peregrinus, sive Christianus, sive Ethnicus fuerit, in libris suis res tractat, quae egregie Veterum philologiam et philosophiam illustrant. Conviviorum Saturnaliorum Libri VII complectuntur, haud minus ac Gellii Noctes, res diversissimas, quae tamen omnes suum singulae conferunt ad Veterum scriptorum intelligentiam. Sunt qui putent, Macrobianos Commentarios in Somnium Scipionis esse partem Saturnaliorum, perperam ab illis divulsam. Opinatur sic Barthius ad Claudian. p. 918. et 791. ubi narrat se in membranis manu exaratis antiquissimis hanc invenisse inscriptionem: *Macrobii Theodosii Viri Consularis et Illustris Commentariorum tertiae diei Saturnaliorum liber primus incipit.* Exinde conjicit Barthius, Macrobium non in libros opus illud suum sed in dies distribuisse: singulorum autem dierum operas aliquot libris distinxisse, quorum tertium occuparint hi de Somnio Scipionis Commentarii. Sed, aut ego fallor, aut Barthius nimium auctoritatis tribuit unius Codicis scriptioni et non attendit ad Dialogorum formam, quâ Saturnaliorum libri concepti sunt; in his enim inter se colloquentes inducuntur amici, qui ad convivium convenerant, Vectius Praetextatus, rex mensae, Flavianus, Q. Aurelii Symmachi frater, Symmachus ipse, Caecinna Decius Albinus, Furius Albinus, Eustathius, Nicomachus Avienus, admodum adhuc adolescens, Evangelus, Eusebius Rhetor, Disarius Medicus, Horus et Servius Grammaticus. Fieri potest, ut de tertio et quarto libro, quales ho-

hodie sunt, quaedam perierint; sed quominus Commentarii inter alterutrum Saturnaliorum librum intrudendi videantur, satis contradicit diversitas formae, quâ utrumque opus conscriptum est.

Commentarii autem in Somnium Scipionis, qui sine dubio peculiare Macrobii opus sunt, integra oratione conscripti, duobus libris absolvuntur, qui singuli magnitudine superant totum, ut nunc est, Ciceronianum de Rep. volumen.

In Libro Primo ad stelliferae sphaerae cursum et subjectarum septem, sermo procedit; finitur ille liber in Somnii verba *Nam ea quae est media et nona tellus, neque movetur, et infima est, et in eam feruntur omnia nutu suo pondera*, quae sunt in fine c. XVII. ed. Maji.

In Libro Secundo de Musica earum modulatione disputatur; absolvit ille liber reliquam Somnii partem, incipiens, quo prior desierat, a principio c. XVIII. *Quae cum intuerer stupens, ut me recepi, quid? hic, inquam, quis est qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus?*

Uterque liber distinctus est capitibus; prior habet XXII. posterior XVII. Singula capita suum habent titulum, unde fit ut facile videas, quale sit cujusque argumentum quod tractetur. Verba Somnii passim inserta sunt; quae res fecit, ut, quum omnes de Republica libri periissent, Somnium ipsum in Macrobii Commentariis servatum sit.

Quod

Quod ad dedicationem attinet: alloquitur Macrobius filium suum Eustathium, quem L. I. c. 1. esse sibi dicit *vitae pariter dulcedinem et gloriam;* et L. II. c. 1. ipsum esse sibi dicit *luce dilectiorem.* Sed et eundem alloquitur in principio L. I. Saturnaliorum.

De Macrobii artis Astronomicae peritia non judicare possum: hoc scio, quod ipsius opera a recentioribus Astronomis non neglecta sint. Gronovius, in limine editionis suae, prolixa quaedam loca ex Geometria Anonymi Veteris et ex alio MSto Anglicano incerti auctoris, in quibus Macrobius in testimonium citatur et quorum uterque se prodit Commentarios in Somnium Scipionis legisse. Porro frequenter Macrobii mentionem injicit Honorius Augustodunensis, qui floruit sub Henrico Quinto imperatore, ad annum 1120. et in opere de Philosophia mundi L. I. c. 21. L. I. c. 25. L. IV. c. 15. et in opere de Solis affectibus c. 5. in quibus locis praecipue ex Macrobii Commentariis in partes vocantur Libri primi capita 6. 16. et 21. E recentissimis scriptoribus Astronomis, qui de Macrobii doctrina suum judicium protulerunt, excitasse sufficiat Montuclam et Delambre. Montucla igitur Histoire des Mathématiques T. I. p. 492: „*Macrobe étale quelques connaissances astronomiques dans son Commentaire sur le songe de Scipion; mais souvent avec peu de discernement et d'exactitude.*" Delambre Histoire de l'Astronomie Ancienne T. I. p. 299. „*Aurelius Théodose Macrobe était un des chambellans*

lans de l'empereur Théodose. Son nom annonce un Grec, et lui même nous dit que le latin n'est pas sa langue maternelle. Son Commentaire sur le songe de Scipion, renferme quelques notions d'Astronomie. Il écrit en philologue, et nous devons nous attendre à ne trouver dans son Commentaire rien de neuf, rien qui lui appartienne. Mais il peut avoir recueilli quelques idées, prises dans des Traités perdus. Il peut nous apprendre quelques étaient les connaissances qu'on avait à la cour de Rome."

Sed licet Macrobii doctrina parum honorifice laudata sit a recentissimis harum rerum peritis scriptoribus, Macrobiani tamen Commentarii aliquando digni visi sunt, qui una cum Somnio in Graecum sermonem verterentur a Maximo Planude; non a Theodoro Gaza (*), ut quidam opinantur; quam versionem hactenus ineditam in sua bibliotheca habuit Jacobus Cujacius, et cujus saepius meminit Gulielmus Morellius in Thesauro vocum Graecarum, qui in Praef. haec ait: „ *Quod somnium Scipionis Graece translatum, perperam Gazae tribuatur, Veteres Codices Manuscripti testantur: in quibus non modo id Somnium, verum etiam tota Macrobii ejus Som-*

(*) Theodorus Gaza non Commentarios Macrobii sed tantummodo Somnium Graece vertit; eaque versio exstat in editione Ciceronis Aldina et in Sturmiana Argentoratensi in 8. vid. Fabricius Bibl. Lat. T. I. p. 200.

Somnii explicatio Graeca continetur, Maximoque Planudi adscribitur." Et haec versio, quemadmodum Fabricius narrat, reperitur in Bibliotheca regis Franciae, Codice 683. teste Labbeo Bibl. nov. MSS. p. 280. et eadem memoratur in Catalogo MSS. Graecorum Seguierii p. 12. in Celeber. Montefalconii Biblioth. Coisliniana p. 520.

Quae vero in Macrobii operibus leguntur, ea non omnia sunt Macrobiana; sed ipsum plurima e Seneca, Gellio praecipue, tum ex Valerio Maximo, Plutarcho et aliis scriptoribus, etiam quando non nominet, mutuatum esse, viderunt Jacob. Thomasius de Plagio §. 503. p. 244. seqq. Hieron. Mercurial. Var. Lect. L. III. c. 5. et Gulielm. Saldenus de libris p. 167. et 176. seq. quos auctores citat Fabricius p. 182. Neque aliter Muretus ad Senecam de Benefic. L. III. c. 18. „*Totam hanc*, inquit, *disputationem de Servis, num dominis beneficia tribuere possint, partim ex hoc Senecae loco, partim ex Epist. 47. partim ex Valerio consarcinatam Macrobius L. I. Saturn. c. 2. pro suâ venditavit. Sed et ex Agellio et Plutarchi Symposiacis tam multa nullo pudore in septimum librum Saturnaliorum suorum transtulit, ut appareat, eum factitasse eandem artem, quam plerique hoc saeculo factitant, qui ita humani nihil a se alienum putant, ut alienis aeque utantur ut suis.*" Jocose igitur hanc ob rem a Petro Crinit. de Honesta Discipl. p. 534. Macrobius vocatur *homo satis quidem eruditus, sed ingeni-*

Y

nio maxime ingrato, ac prope impudenti, ut qui tanto aeris alieni cumulo nusquam creditoris nomen profiteatur.

§. 5.

FAVONIUS EULOGIUS. (*)

Praeter Macrobium quoque Somnium Scipionis explicandum sibi sumsit Favonius Eulogius; cujus mentio utrum ante Macrobium, an vero post illum, inserenda sit, non plane liquet. Quum enim nec ille hujus, nec hic illius mentionem ullam injiciat, desunt omnino argumenta, quibus probetur, num Eulogius Macrobio aetate superior an inferior fuisse censendus sit. Saxius in Onom. Lit. P. I. p. 459. facit Eulogium antiquiorem, tribuens Macrobio annum 410. Eulogio annum 396. Ego potius Eulogium putaverim Macrobio fuisse juniorem, etsi fortasse Eulogius non ultra annum 396. rejiciendus sit: sed fortasse minus recte a Saxio Macrobii aetas relata est ad a. 410. quum sal-

(*) Andreas Schottus in Praef. ad Eulog. p. 7. de hujus nomine sic disputat: «*Venio ad Eulogium, de cujus hic praenomine Favonii (quod alibi legere non memini) venit in mentem dubitare an e Fabii vel Flaviani sit corruptum; vel denique Flavii: ut Flavius Vegetius ejus prope aequalis Militarium scriptor dictus est. Mutare tamen religio sit, quod et in Africa, et sequiore illo aevo Romana praenomina, gentiumque ac familiarum nomina, non ad amussim servarentur, quin identidem in alia verterent.*» Caeterum dubitari possit de nomine ipso, Eulogiusne an Elogius scribendum sit. In Augustini editionibus scribitur Elogius; quod sequitur Barthius in Adv. L. II. c. 19. et alibi.

saltem viginti annis prius memoranda fuisset; quo facto, Eulogius habeatur Macrobii aequalis, ipso tamen aliquantum junior.

Eulogius natione fuit Carthaginiensis, quod probatur et ex inscriptione ipsius libri et e testimonio S. Augustini, cujus in arte Rhetorica discipulus fuit: quemadmodum hic narrat in libro de Cura pro mortuis c. XI. „ *Carthaginis Rhetor Elogius, qui meus in eadem arte discipulus fuit, sicut mihi ipse, posteaquam in Africam remeavimus, retulit, cum Rhetoricos Ciceronis libros discipulis suis traderet, recensens lectionem quam postridie fuerat traditurus, quemdam locum offendit obscurum: quo non intellecto, vix potuit dormire, sollicitus; quâ nocte somnianti ego illi quod non intelligebat, exposui, imo non ego, sed imago mea nesciente me.*" Titulus libelli est: *Favonii Eulogii, Oratoris almae Kartaginis, Disputatio de Somnio Scipionis, scripta Superio, V. C. Cos. Provinciae Bizacenae.*"

Ex aequalibus, quantum scio, Eulogii mentionem nemo injecit; et vel inter recentiorum seculorum viros doctos pauci sunt qui ipsum legerunt. Hujus rei causa haec est, quod ad seculum usque XVII in MSto latuerit; quo demum tempore e vetusto Codice Gemblacensi primum erutus est ab Andrea Schotto, subjunctusque libro quinto Quaestion. Tullianar. edit. Antw. 1613. Postea repetitus est a Graevio, subjunctusque Ciceronis Officiorum editioni a. 1688. Barthius tamen, qui fere nullum ex antiquis scriptoribus intactum re-

reliquit, etiam ad Eulogii libellum diligentem manum admovit: non dubitat ille in Adv. L. VII. c. 16. Favonii disputationem vocare *aureolum libellum. Qui*, ita pergit, *eo carior nobis esse debet, quo pauciores hujus generis superstites ex immensâ clade barbarorum seculorum retinere potuimus. Nam si Macrobium, Capellam, Boëthium, Cassiodorum demas, unde Latinorum literis haec materia illustrari possit, vix unae alteraeque plagellae supererunt.*" Vereor tamen, ne a Barthio nimium laudis tributum sit huicce scriptiunculae: quum auctor ipse manifeste declaret, quam parum operae in ipsam a se consumtum sit. In Epilogo partis prioris ait: *Habes de numeris quod sine libris in agello potui reminisci*, et in Epilogo partis alterius ait: *Scio, me, Vir doctissime, reprehendi posse in hâc temeritatis audaciâ, qui haec jam diu solis* (leg. sciolis) *abolita, non meditatâ sed tumultuariâ lucubratione digesserim. Sed habeant alii scientiae gloriam, mihi pro defensione sit studio tuo paruisse.*" (*)

E titulo, quem Schottus in Codice invenit, videmus ipsam disputationem scriptam esse Superio, V. Cl. Cos. Provinciae Bizacenae. Hic vero quis fuerit, apud neminem, quantum scio, memoriae proditum est. In disputationis praefatione vocatur *Vir Clarissimus* et *sublimis* tum in Epi-

(*) Sine dubio *solis* corruptum est. Andr. Schottus conjicit *scholis abdita* vel *obolita*. Rectius Barthius l. c. *sciolis*; cujus et recepimus verborum transpositionem. In editis enim est *non tumultuariâ sed meditatâ*.

Epilogo *vir doctissimus.* Caeterum de provincia Bizacena, quae intelligenda sit, exponunt auctores, quos citat Barthius in Adv. L. V. c. 7. Si quid vero de origine et consilio hujus disputatiunculae hariolari licet, conjecerim ipsam conscriptam esse in gratiam Superii, qui fortasse, quum Somnium non intelligeret, rogaverit Eulogium, ut sibi qualemcunque interpretationem mitteret. Hanc conjecturam suadere videtur et externa opusculi brevissimi forma, et tempus, quo ipsum conscriptum narratur. Nisi enim ex alius rogatu haec scriptio suscepta esse dicatur, quare, quaeso, confici illa debuit ab Eulogio, quum in agro degeret et privatus esset libris (*), qui profecto ad hujus generis scriptionem perquam fuissent necessarii? Et vero etiam, ni fallor, hanc conjecturam confirmant verba, quibus Eulogius in fine disputationis Superium alloquitur, *habeant alii scientiae gloriam, mihi pro defensione sit tuo studio paruisse.*

Eulogii Disputatio duas habet partes: altera exponit doctrinam numerorum ad Philosophiam translatorum, altera agit de coelestium orbium cantu.

Ope-

(*) Eulogius scripsit hanc disputationem quum in agro degeret et sine libris esset. Hoc tamen non prohibuisse videtur quominus memoriter aliorum scriptorum, inprimis Virgilii, loca excitaret. Latet etiam in hoc opusculo fragmentum Varronis, quod, notante Barthio Adv. L. VI. c. 6. non relatum est ab iis qui Varronis fragmenta collegerunt.

Operae pretium duco ad hunc locum inserere ea, quae me pro sua humanitate docere voluit Vir Doct. J. J. de Gelder, qui de Eulogianae disputationis argumento a me consultus, haec rescribere voluit. „ Quid de Eulogio sentiam, rogas? — Quoniam sine doctrina numerorum ad Philosophiam translatorum, cujus disciplinae originem recte a Pythagora repetit, Somnium Scipionis vix possit intelligi, eam pro suo captu explanare curat Eulogius. Primum igitur quid sit numerus explicat. — (Hoc tamen utrum recte fecerit nec ne, vid. Theon de Arithm. cap. III. et IV. p. 25. seq.) — Tum indicat, quid differant Monas et numerus p. 439. Porro, usque ad p. 442. duadis, ternarii, quaternarii, quinarii, senarii et septenarii, explicat naturam, i. e. rationem illustrat, qua illos numeros in philosophiam conferre solebant philosophi, Pythagorae et Platonis sectatores. Deinceps p. 142 — 144. de octonario numero pauca dicens, quaedam adjungit de novenario. Sed quae ab Eulogio huc usque dicta sunt, parum differunt ab iis, quae in eandem rem disputavit Theon Smyrnaeus de Mus. cap. 40 — 50. p. 155. et Auctor Theolog. Arithm.

„ Sequitur altera pars Commentarii Eulogiani p. 444 — 447. de coelestium orbium cantu. In hac parte dictiones Musicae explicantur, ita ut, quae dicta sunt, mox ad Harmoniam orbium coelestium traducantur, quae cantum δἰς διὰ πασῶν efficit, vel, (ut nostri Musici loquuntur)

„ tur) quae tonos usurpat, qui duabus instru-
„ menti Musici *octavis* comprehenduntur.

„ Qui recte de Eulogio judicare velit, sedulo „ conferat ejus Commentarium cum Macrobio, cum „ Plutarcho de animae procreatione e Timaeo, „ Theone de Musica, et auctore in Theologume- „ nis Arithmeticae. Nimio sive brevitatis studio, „ sive librorum defectu impeditus, narrat qui- „ dem Eulogius, quid illi numeri significent, sed „ parcius rationes aperiuntur, quibus efficiantur „ et alii originem ex aliis trahant, tum etiam cur „ illam in philosophia vim acceperint, quod re- „ liqui hi interpretes egregie confecerunt." Hucusque Doct. de Gelder, cui pro accurata haece notitia justas gratias habemus.

Caeterum praeter Commentarium, sive Disputationem de Somnio Scipionis, an plures libros scripserit Eulogius, dubitari licet. Barthius quidem in Adv. L. II. c. 19. non dubitat, aiens: „ *Favonius Elogius, perquam exactus scriptor, cujus utinam ad nos plura venissent monumenta quam brevis illa Somnii Scipionis enarratio, cum colligamus ex illo opusculo plura alia ipsi composita.*" Sed haec Barthii sententia haud scio an ex Eulogii verbis probari possit, quum Eulogius modo dicat se alios libros compositurum; sic enim ait: „ *Has igitur rationes, quibus supra positi viri* (sc. Scipionis) *vita perficitur, Arithmeticis approbationibus explanantes, prudentiae tuae, Superi, Vir Clarissime atque sublimis, non ut novas ignotasque narramus, sed in recordationem qua pos-*

possumus commemoratione reducimus. Quae si doctis auribus tuis placere pervidero, ad alia quoque audacius, quae jubere dignaris, operam stylumque convertam."

§. 6.

ANICIUS MANLIUS SEVERINUS BOETHIUS.

Non est praetereunda hoc loco Boëthiani Commentarii commemoratio, qui licet a paucis legatur, egregiam tamen doctrinae, quae in ipso conspicitur, commendationem mereri videtur. Cum enim Ciceroni id praecipue in Topicis fuerit propositum, ut Topica Aristotelis, obscuriora illa et difficilia, ita latine illustraret, ut magis facilia et jucunda fierent intellectu, nemini profecto, praeterquam Boëthio, aptius ista provincia demandari potuisset, interpretandi ea ipsa Topica, qualia a Cicerone relicta essent. Omnes enim illos Graecos scriptores, quorum accurata lectio perquam necessaria et utilissima ducitur interpreti Ciceronianorum Topicorum, quales sunt Aristoteles Philosophus, ut et Pythagoras Musicus et Ptolemaeus Astronomus, et Nicomachus Arithmeticus et Euclides Geometra et Plato Theologus et Archimedes Mathematicus, eos omnes Boëthius, teste Cassiodoro, Latine loquentes ita Latio stitit, ut Athenarum exuviis patriam docte opulentam reddiderit. Judice Vossio de Poët. Lat. c. V. p. 63. „*Boëthius vir fuit*

fuit Latine et Graece doctissimus, in omni disciplinarum genere excellens, quoque Roma a Varronis temporibus non habuerit undecunque doctiorem. Quantum idem carmine valuerit, ostendunt libri quinque de Consolatione Philosophiae, quos exsul Ticini scripsit. Omnino nihil in poësi venustius habuit, vel illud aevum, vel etiam quod proxime antecessit" Vossio adsentitur Barthius Adversar. L. XVII. c. 13. et L. XXIV. c. 15. „*Severini Boëthii ingenium neque ante se multos, neque post se aliquem toto Romani Imperii tempore habuit similem; adeo ei viro cum summa disciplinarum atque gravissimarum cognitione, etiam elegantiores Musae omnem suum favorem tradidere. — Videas ejus συγχρόνους, omnes a nativo flore Latinitatis in adfectatae elegantiae numeros abeunt; Flumen Romani sermonis apud hunc fere solum remansit."* Non sine causa vero cum Boëthio vetus Romanorum eloquentia desiisse perhibetur, quamobrem scite intervallum illud temporis a Boëthio usque ad Petrarcham in Rolandi Maresii Epistolis L. II. p. 532. vocatur *interregnum ac velu literarum deliquium.*

De Boëthii aetate non est quod multum quaeramus: sufficiat excitasse testimonium Procopii L. I. de Bello Gothorum c. 11. „*Symmachus et hujus gener Boëthius, nobilissima stirpe majorum, Senatus Romani facile principes erant, consulari uterque dignitate justitiae et Philosophiae opinione atque studiis, primi aeta-*

Z ta-

tatis, multorum egentiae atque oppressioni, tam civium quam exterorum, succurrerant; Hi virtute ad summum honoris culmen provecti, teterrimo cuique exosi erant: quorum consiliis astuque et delatione Theodoricus captus, ut rerum novarum molitores, utrumque peremit, bonis hastae subjectis." Regnavit autem Theodoricus usque ad annum 526. quo tempore Ostrogothorum imperium pervenit ad Athalaricum. Biennio ante mortem Boëthius Ticinum in exilium missus fuerat; cujus exilii duobus fere saeculis postea, id est, circa tempora Caroli Magni, in carminibus suis meminit Theodulphus Aurelianensis L. IV. carm. 9.

,, *Ipse Severinus magna est dejectus ab urbe,*
Consul Romana clarus ab arce procul."

Antea autem, quam per malas aulicorum hominum artes de summa dignitate dejectus esset, illam, quâ apud Theodoricum valebat, gratiam, tum et consularem dignitatem fortiter tuitus esse videtur, quippe qui Romanam Jurisprudentiam egregie callebat. Hujus rei specimina adsunt in eo ipso Commentario, de quo loquimur, quae hic illic diligenter notavit doctus interpres Jurisprudentiae Tullianae in Topicis expositae Franc. God. van Lynden p. 112. 125. 129. 132. et alibi.

Boëthii Commentarius hoc habet sibi proprium, ut in ipso non adeo verba auctoris explicentur, quam quidem sententiae; quales enim in Asconio, in Servio, Donato et aliis reperiuntur

tur quaestiones, sive de lingua et loquendi genere, sive de constructionis forma, sive de universa antiquitate agitatae, hujusmodi quaestiones in Boëthiano Commentario non reperiuntur. Quumque Boëthius in hocce Commentario, se Philosophum praestiterit, non Grammaticum, frustra quoque in ipso quaeres aliorum scriptorum excitationem, quemadmodum in aliis Commentatoribus saepe frequens et abundans est, quibus exinde laus nata est, quâ caret Boëthius, servatorum fragmentorum ex iis scriptoribus, quorum opera, vel et nomina, absque eorum commemoratione plane interiissent. Universa ratio hujus Commentarii et consilium aperitur in eleganti praefatione ad Patricium, cui libellum misit: ubi Boëthius ita loquitur: „ *Exhortatione tua, Patrici rhetorum peritissime, quae et praesentis honestate propositi, et futurae aetatis utilitate conjuncta est, nihil antiquius existimavi. Cui muneri libentius aequievi: non quod ad instruendum te, Commentarios in M. Tullii Topica laborare me crediderim: ridiculus quippe forem si Minervam docere vellem, ut ajunt, literas: sed ut ex disciplinarum liberalium sumptum penu, nostrae apud te semper pignus amicitiae permaneret. Quod enim munus ex animo diligentibus, jucundius inveniri potest, quam quod ipsius animi partes format et instruit? Nam cetera fere caduca, imbecilla, labantia, et, si ad fortunae vicem spectes, pene semper aliena sunt. At vero opulentiam literarum nec praesens imminuit ae-*

aetas: earumque authoritatem ipsa etiam cuncta conficiens auget potius et confirmat vetustas. Accipe igitur opus non efficientiae securitate, sed amicitiae praesumtione susceptum: apud quam nescio quonam inter suos pacto etiam garrire non dedecet: simul quia praelato a nobis munere, cum tuorum aliquid postulavero, injurius fueris, si negabis. Sed cum in M. Tullii Topica Victorinus, rhetor plurimae in disserendi arte notitiae, commenta scripserit: non me oportuisset melioribus forsitan attentata contingere, ni esset aliquid, quo se noster quoque labor exercere atque parare potuisset. Quatuor enim voluminibus Victorinus in Topica conscriptis, eorum primo in declarandis tantum libri principiis occupatur: addit etiam, si qua in eodem volumine praedicenda fuisse perpendit: ut ab exordio voluminis Topicorum, quod est, Majores nos res scribere ingressos, Trebati, *usque ad eum locum qui est* [in fine c. 1.] Sed jam tempus est ad id, quod instituimus, accedere, *primi voluminis Victorini expositio terminetur. Secundo volumine de judicandi atque inveniendi Dialecticae partibus et de locorum atque argumenti definitione pertractat: ut ab eo loco Topicorum, qui est* [c. 2.] Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, unam inveniendi, alteram judicandi, *usque ad eum locum, qui est* [in medio c. 2.] Itaque licet definire locum, esse argumenti sedem. Argumentum autem rationem, quae rei dubiae faciat fi-

fidem, *secundi libri Commentariorum explanatio subsistat. Tertius vero atque quartus, discretionem locorum inter se, eorumque exempla multiformiter persequuntur: ita ut tertius quidem Tulliana sibi de jure proponat exempla: quartus vero eosdem locos per alias rursus similitudines monstret, ex Virgilio vel Terentio poëtis: oratoribus, Cicerone et Catone: ut quod praeceptis ostenditur, exemplis collucescat, neque ab eo loco qui est in Topicis* [in medio c. 2.] Sed ex his locis, in quibus argumenta inclusa sunt, *expositio progressa, eum transcendit locum, qui est* [ad finem c. 4.] Valeat aequitas, quae paribus in causis paria jura desiderat. *Quanta vero pars reliqua Topicorum sit, ipsius voluminis magnitudo demonstrat, quam Victorinus neque attingit, neque attingere potuisset ita rebus minimis immoratus, nisi opus multa librorum pluralitate distenderet. Nos vero et hanc ipsam particulam, quam Victorinus attigit, diligenter, ut possumus, aggrediamur: et longius expositione progressi, cum Topicorum habemus fine consistere.*"

Boëthianus Commentarius sex libros habet, qui singuli Ciceronianorum Topicorum volumen facile magnitudine aequant.

In libro primo Boëthius de Topicae facultatis ratione pertractat, postquam prooëmium, quo ad Trebatium Tullius utitur, paucis absolvit; procurrit hic liber usque ad locum, qui est

(c. 2. in f.) *Locuples enim assiduus, ut ait Aelius, appellatus ab asse dando.*

Liber secundus continet proprios locos, eorumque exempla; incipit a c. 3. pr. *Ducuntur etiam argumenta ex his rebus, quae quodammodo affectae sunt ad id, de quo quaeritur.* et finitur in verbis (c. 5. pr.) *Sed quoniam avidum hominem ad has discendi epulas recepi, sic accipiam, ut reliquiarum sit potius aliquid, quam te hinc patiar non satiatum discedere.*

In libro tertio agitur de locorum vi atque ordine, deinde explicatur Ciceronis disputatio de definitionibus, quae incipit a c. 5. *Quando ergo unusquisque eorum locorum* etc. et finitur ad c. 7. in f. *Quod ad definitiones attinet, hactenus: reliqua videamus.*

In libro quarto fit transitus ad partitiones, et explicatur Ciceronis doctrina de partium enumeratione et quomodo hac in argumentationibus utendum sit. Incipit hic liber a c. 8. *Partitione autem sic utendum est*, et procurrit usque ad finem c. 12. *et quidquid repugnat, id ejusmodi est ut cohaerere numquam possit.*

In libro quinto Boëthius agit de septem conditionalibus Syllogismis et inquirit quae eorum natura sit et propositionum contextio. Incipit a c. 15. pr. *Cum tripertito igitur distribuatur locus hic* etc. et procurrit usque ad ea verba, quae sunt in medio c. 17. *ut ea quae voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe ignorata videantur.*

In

In libro sexto Boëthius disputat de tota locorum ratione, deque argumentatione, ac de quaestionibus et propositionibus, earumque terminis. Incipit a c. 17. m. *Toto igitur loco causarum explicato* etc. et procurrit ad eum usque locum ubi Cicero de concursione agit, id est usque ad medium c. 20.

Postrema Topicorum pars, inde a medio capite 20. *Hujus etiam generis est fama vulgi quoddam multitudinis testimonium*, caret Commentario; sed mihi persuadere non possum hanc partem a Boëthio intactam relictam esse. Videtur igitur periisse liber septimus, in quo explicita fuerit pars illa postrema libelli Ciceroniani. Et hoc ita fuisse, ne quis dubitet, excitemus ipsius Boëthii locum ex opere de Differentiis Topicis L. I. ubi dicit: „*Sed de tota divisione communiter disseremus, locorum tantum, ex quibus argumenta nascuntur, definitiones, exempla, differentiasque colligentes: singula vero pro qualitate operis diligentius in his octo voluminibus expedita sunt, quibus Aristotelis Topica in latinam vertimus orationem, vel his Septem, quibus Marci Tullii Topicis lucem plenae expositionis infudimus.*"

Boëthiani aevi ingenium quale fuerit et quale de suo libro judicium exspectaverit, significatur in Praef. ad L. II. „*In tam difficillimi operis cursu non sum nescius, mi Patrici, quin labor hic noster, quem te adhortante suscepimus, dum judicio multitudinis imperitae aut elevatur,*

tur, aut premitur, facile variis reprehensionibus mordeatur. Nam et quibus hoc totum disserendi displicet genus, velut supervacaneum studium familiari pravis mentibus cavillatione despiciunt. Et qui maximum hujus scientiae fructum putant, sua ceteros segnitie metientes, tanto nos operi pares esse non aestimant. Quorum quidem priores, si non invidia laboris alieni aestimationem premunt, sed reprehensioni judicioque consentiunt: nullo modo ferendos esse puto. Multoque in me libentius detorserim pravae opinionis invidiam, ac nostris eos diffidere viribus facillime patiar potius, quam tantae disciplinae calcare rationem. Sed proh divinam atque humanam fidem, quae est haec hominum pravitas? quae tantae est imprudentiae caecitas? ut pene sua sese ipsi confessione condemnent. Nullus est enim qui se videri nolit peritissimum disserendi: quin etiam objectare ipsi aliquid, et resolvere objecta conantur: et si facile id factu est, cuncti ad scientiam logicae disciplinae, velut ad communia quaedam sapientiae lucra concurrerent. Jam vero quid absurdius fingi potest, quam quod probabilibus, ut ipsi existimant, argumentis, inutile studium dialecticae nituntur astruere? Quid enim convenit disserendi artem disserendo pervertere, ut cujus affectes opinionem, ejusdem despicias veritatem?" Et ad eundem modum de imperita multidine quaeritur in Praef. ad L. VI. „*Fore quosdam,*

dam, Patrici Rhetorum peritissime, non dubitaverim, qui hunc in Topicis altiorem ex philosophia tractatum, varia obtrectatione reprehendant: quia inter logicam disputationem, physicam interposuerit. Ii vero sunt, vel quibus hoc totum philosophari displiceat: vel qui in argumentorum locis naturales admisceri causas oportuisse non existimant, cet. Sed quam modeste Boëthius de se ipse sentiat et quantopere difficili hujus scriptionis muneri se fere imparem judicet et simul imperitae multitudinis judicium refellat, operae pretium est cognoscere ex Praef. ad L. IV. „*Explicare non possum, mi Patrici, quantas saepe in difficillimi operis cursu vires afferat amicitiae contemplatio: cum et iis studiosius componamus, quos reposito penitus amore diligimus, et placere cupientibus multa sese rerum copia subministret. Huc accedit, quod ut quaeque in mentem venerint, injudicata, atque etiam incastigata promuntur; quandoquidem apud cari pectoris secretum nihil est periculi proferre quod sentias. Est igitur mihi, cum tuam benevolentiam specto, pronum omne, atque ut ita dicam, voluptarium quod in tuae praescriptum jucunditatis impenditur. Sed cum memet ipse perpendo, vereor ne imparato muneri par esse non possim, et deficientis culpa in adhortantis cedat injuriam. Quo fit, ut tibi etiam atque etiam providendum sit, ne tuis ipse moribus emendatus, nostri alicujus erroris sarcinam feras. Nosti oblatrantis*

 mor-

morsus invidiae: nosti quam facillime in difficillimis causis livor judicium ferat. Quaeso igitur extremam nostro operi manum, communis negotii studiosus, imponas: abundantia reseces, hiantia suppleas, errata reprehendas; sis postremo nostri laboris, tuaeque adhortationis assertor: cum praesertim securum me peractum reddat officium: te amici pudor dignus possit convenire, si displicet."

Quod ad Patricium attinet, cujus nomini Boëthius hosce libros inscripsit, fuit ille rhetoricae artis peritissimus, Boëthii aequalis et familiaris, atque a Paulo Diacono habetur simul cum Symmacho et Boëthio trucidatus esse, quemadmodum patet e Cassiodoro qui ad a. 521. haec scribit: „*Quomodo illi duo a Theoderico sint occisi, superius* (i. e. ad a. 508.) *ex Procopio narravimus. Sed id postea factum. Paulus Diaconus vero ita inquit:* « *Theodericus rabie suae iniquitatis stimulatus, Symmachum exconsulem et patricium et Boëthium senatorem et exconsulem, catholicos viros, gladio trucidavit.*"

Caeterum, praeter Commentarium huncce in Topica Ciceronis, Boëthius quoque scripsit Libros Quatuor de Differentiis Topicis, qui editi sunt Parisiis a. MDXXXVII. et hos quidem scripsisse videtur post absolutum Commentarium in Ciceronem, quippe cujus mentio in ipsis fiat, tum loco quem modo excitavimus, tum in fine L. IV. „*Marcus Tullius Topica non eo modo, quo de ipsis disputari possit, disseruit: sed quem-*

quemadmodum rhetoricae facultatis argumenta ducerentur, quod in iis Commentariis diligentius expedivimus, qui a nobis in ejusdem Ciceronis Topica conscripti sunt."

Absolvimus commemorationem de antiquis Ciceronis interpretibus, quorum quidem opera hodie supersunt. Restat inquirendum, num praeter hos alii quondam fuisse memorentur, qui in interpretando Cicerone peculiarem operam posuerint; quorum lucubrationes injuriâ temporis vel perierint vel in Bibliothecarum pulvere latere dicantur. Angelus Majus quidem nequaquam dubitat quin plures aliquando fuerint: sed testimonia, quae hanc in rem excitat, meâ quidem sententiâ, non satis diligenter excussisse videtur. „*Multi*, inquit ille, *veteres eruditi Orationes Ciceronis scriptis Commentariis illustraverunt, quos inter videtur Tullius ipse auctor, cui rei fidem faciunt Asconius [ad Orat. in toga candida] Quintilianus [Instit. X. 7.] atque Diomedes [in Putschio p. 365. 45.] — Vulcatii Commentarios in orationes Ciceronis D. Hieronymus memorat [L. I. contra Rufin. edit. Veron. T. II. p. 472.] — Caprum Agroetius [in Putschio p. 2266. 14.] in commentando Cicerone praecipuum vocat: quod recte ne an secus dictum sit, amisso Capro, judicare non possumus. Et quidem Capri Commentarios D. etiam Hieronymus* no-

nominat [*L. II. contra Rufinum p. 497.*] — *Denique et praedictus Asconius alios interpretes haud raro indicat orationum Ciceronis*, [*ad Divin. in Verr. IV. VII. X. XI. Act. I. c. VI. VIII. Lib. II. in argum.*]. *Sed enim ea cuncta scripta perierunt.*" Hucusque Majus: quem testimonia, quae pro sua opinione affert, non ubique satis diligenter excussisse putamus. De singulis peculiariter, pro argumenti gravitate, operae pretium est disputare. Dicemus itaque primum de Tullio ipso, tum de Capro, (de Vulcatio enim supra jam vidimus) denique de Interpretibus ante Asconium.

§. 7.

Tullius ipse Interpres Orationum suarum.

M. Tullius Cicero ubi a Majo perhibetur suas ipse Orationes scriptis Commentariis illustrasse, vereor ne sagax novarum rerum repertor erraverit, vel adeo videtur non satis cogitasse quales libri intelligendi sint illi Commentarii, quorum mentionem faciunt Asconius, Quintilianus et Diomedes, quos ille testes huic rei fidem facere contendit. In Asconii enim, et Quintiliani testimoniis, meâ quidem sententiâ, non alii libri significantur, quam quales a Cicerone confici solebant, antequam orationem haberet, ad causae dispositionem et memoriam, qui rerum summas et praecipua accusationis vel defen-

fensionis capita complectebantur. Cicero enim, ut notum est, orationes suas non de scripto pronunciare solebat, sed Graecorum potissimum Oratorum consuetudinem secutus est, qui quidem praecipua capita ἐν τύποις, uti illi loquuntur, vel ἐν ὑπομνήμασι notare, tum et orationum Exordia scriptis consignare solebant, reliquam vero orationem ex tempore pronuntiabant. Hinc, quod non raro accidit, si quae orationes, ad quas habendas oratores praecipua jam capita notaverant, sive propter reipublicae motum sive propter comitia, in longius tempus differrentur, vel plane non haberentur, hae dicebantur ἐν τύποις vel ἐν ὑπομνήμασι καταλελεῖφθαι, quemadmodum docte explicuit Taylorus ad Demosthenem in Apparatu Reisk. Vol. I. p. 531 et 561. citatus ab Heinrichio l. l. p. 14. In hujusmodi autem Commentariis, facile, ut opinor, fatebitur Majus, orationes ipsas non fuisse illustratas, quandoquidem hae nondum scriptae, nedum editae essent.

Et tales libros significari ab Asconio, quisque sibi facile persuaderi patietur, qui Asconii locum paulo diligentius intueri velit. Memoratur enim in isto Asconii scholio ad Orat. in toga candida p. 145. Fenestellae opinio, qui existimabat Catilinam a M. Cicerone defensum fuisse, quum hic Torquato et Cotta Coss. ex Africa reversus a P. Clodio adolescente repetundarum accusatus esset: quod addubitat Asconius, argumentis ex hac ipsa contra Antonium et Catilinam habita oratione ductis; postremo haec addit: „*Praeter-*

terea movet me, quod, cum sint Commentarii Ciceronis suarum etiam defensionum, Commentarium tamen hujus defensionis aut principium nullum inveniam. Itaque puto non defendisse, sed tantum de defendendo cogitasse." Significat igitur Asconius non hujusmodi Commentarios, quibus Cicero suas ipse Orationes illustravit, sed vero libros, in quibus ille, ubi orationem habiturus esset, maxime necessaria et utique orationis Exordium scripto consignare solebat.

Et vero nihil plane aliud docet locus ille Quintiliani ex L. X. Inst. c. VI. Hic enim, ubi fuse disputatum est de facultate dicendi ex tempore, expositumque quam sit utilis illa facultas et necessaria, tum quomodo comparari, conservarique possit, haec tandem addit Quintilianus: „*Plerumque autem multa agentibus accidit, ut maxime necessaria, et utique initia scribant: cetera quae domo afferunt, cogitatione complectantur, subitis ex tempore occurrant. Quod fecisse M. Tullium Commentariis ipsius apparet."* Dicit igitur Quintilianus Ciceronem non semper integras orationes ex tempore pronuntiasse, sed interdum, ubi multa ageret, praecipua capita et utique Exordia scripsisse; illudque potissimum ex ipsius Commentariis apparere, id est, ex iis ipsis libellis, quos ad praesens orationis habendae tempus aptaverat.

Restat locus Diomedis p. 365. 45. ex quo Maji opinio nihil quidquam magis proficere videtur, quam ex Asconii et Quintiliani locis. Diomedes enim, ubi dixerat verbum *vendo* in passiva for-

ma

ma facere veneo, haec addit: „ *Est tamen apud Veteres* veneor *et* venditus sum, *ut apud Plautum* [fragm. incerto Tom. III. p. 589. edit. Bothii.] « *Ego ne illi veneat.*" *Titianus etiam de agricultura primo:* « *Patrem familias vendacem magis quam emacem expedit esse; nam id melius emitur quam venditur.*" *Cicero Causarum XIII:* « *Re vendita iterum emta.*" *unde manifestum fit* venita *non dici, sed aut* venundata *aut* vendita." Exinde si Majus vult probari, Ciceronem suas ipsum Orationes interpretatum esse, manifeste prodit se Diomedis verba non recte intellexisse. Facile autem apparet quomodo in istum errorem induci potuerit: putavit ille fortasse ita Ciceronis locum in Diomede legendum esse: *Revendita iterum emta:* ita quidem, ut alterum alterius interpretamentum videretur. Sed Majum non latebat, nusquam a Cicerone usurpari verbum *revendere*; et tum quoque *revendere* non significare *iterum emere*, sed *iterum vendere*, qua significatione hoc verbum a Juliano et Ulpiano passim usurpari Lexica docent.

§. 8.

Flavius Caper.

Flavium Caprum non dubitanter Majus refert inter antiquorum Ciceronis interpretum numerum; equidem, quin hic insignem aliquando operam posuerit in interpretandis Veterum scriptis, nullus dubito, et satis indicavi, ubi de Plauti, Terentii et Asellionis interpretibus ex-

expositum est; num vero idem ille merito sibi locum vindicet inter Ciceronis interpretes, rem potius esse dicam admodum dubiam. Non enim tanti aestimo indicium Agroetii, quod a Majo provocatum est. Agroetius in Epistola, praemissa libello de Orthographia et Prop. et Differ. Sermonis, ed. a Putschio p. 2265. ita scribit ad Dominum Eucherium Episcopum: „*Libellum Capri de Orthographia misisti mihi: haec quoque res proposito tuo et moribus tuis congrua est, ut quia scilicet nos in hujus vitae actibus corrigere vis, etiam in scribendi studiis emendares. Nihil ergo quod in nobis est, alienum a castigatione tua credis; omnia nostra etiam quae dictu parva sunt, sollicita indage rimaris, a vivendo ad scribendum, ab animo ad manum, a corde ad articulum pervenis. Hoc est vere summum sacerdotem Dei esse, commissos sibi homines, ut ipsi dicitis, et secundum spiritum imbuere, et secundum literam perdocere. Huic ergo Capri libello, de Orthographia et proprietate ac differentia sermonum, quaedam adjicienda subjeci; non quod vir tantae peritiae aliquid praetermiserit, tam multis praesertim literarum operibus celebratus, qui in commentando etiam Cicerone praecipuus: sed quia nos difficilia putamus, quae ille ut facilia neglexit: Ego autem credidi haec ambigua aliquantis videri, quia mihi obscura frequenter fuissent. Ad te hoc igitur opus mittitur, in quo laborabis plurimum, cui necesse est emendare ipsum, qui aliquid emen-*

emendare praesumsit. Donabit divina pietas, ut qui scriptum abs te observare volumus, etiam scriptum servare tuum possimus. Vale memor nostri, decus et praesidium meum!"

Viderit Agroetius ipse, quo nomine Caprum vocaverit *in commentando Cicerone praecipuum*; nos aliorum testimonia requirimus, quae illam rem plenius affirment. Et Hieronymi quoque testimonium, mihi quidem non sufficit: memorantur ab illo *Capri Commentarii*, hoc fateor; sed, ut supra diximus, p. 72. est hoc maxime dubium, quodnam Capri opus hoc nomine significetur.

Hieronymi locus est hujusmodi in L. II. contra Rufinum p. 597. „*Si quaestiones de animae statu in urbe commotae sunt, quae est ista querimonia vel querela, quae utrum recipi debeat, Episcoporum judicio relinquitur? nisi forte quaestionem et quaerimoniam idipsum significare putat: quia in Capri Commentariis hujusmodi figuram reperit.*" Equidem, quod supra, p. 104. dixi de Capri commentariis in Terentium, idem valere opinor de Ciceronis interpretatione; suspicor itaque Caprum non data opera Ciceronem commentariis illustrasse, sed subinde in libris *de Latinitate* de plurium auctorum locis disputasse.

§. 9.

Interpretes ante Asconium.

Aliquanto veriorem existimo Maji opinionem de Interpretibus ante Asconium. Majus enim, quod, quantum scio, nemo ante illum animadvertit, ubi Asconium editum legeret, vidit hic illic fieri mentionem aliorum interpretum. Hi autem, quandoquidem non nominatim memorentur, nec Majus hariolari voluit, quinam fuerint, nec quisquam, ut opinor, in tanto Veterum silentio, temere hariolari audebit. Asconii testimonia, quae Majus hac in re citavit, pleraque sunt ex Commentariis ad Divinationem in Verrem, tum duo ex Commentariis ad Actionem primam, et unum ex argumento L. II. Operae pretium duco ea ipsa loca integra exhibere:

ad Divin. in Verr. c. IV. DUO CRIMINA VEL MAXIMA. *Syracusanorum autem crimina alii etiam de Heraclii bonis, quae cum palaestritis partitus Verres est: et de Cleomenis Navarchi flagitio, et de aliis multis rebus interpretantur.*

paulo infra. UT OCULIS JUDICARE POSSITIS. *Hoc quidam leviter a Cicerone dictum et neoterice putant: sed aptum est asseverationi.*

ibid. c. VII. CUJUS EGO CAUSA LABORO. *Inepti sunt homines, qui hanc clausulam no-*

notant, ut malam: cum sit ex spondeo et bachio de industria durior ad exprimendam sententiam posita, more Ciceronis.

paulo infra. A QUADRUPLATORIBUS. *Quadruplatores delatores erant criminum publicorum: in qua re quartam partem de proscriptorum bonis, quos detulerant, assequebantur. Alii dicunt, Quadruplatores esse eorum reorum accusatores, qui convicti quadrupli damnari soleant, ut aleae, aut pecuniae gravioribus usuris foeneratae, quam pro consuetudine: aut ejusmodi aliorum criminum.*

ibid. c. X. QUAERITUR SICILIA TOTA. *Inepte quidam mirantur, cur haec Tullius in accusando Verre non objecerit Caecilio, et multa alia: et non intelligunt haec ad tempus commode adjungi, quae victo Caecilio non sunt necessaria.*

ibid. c. XI. SUNT ALIA MAGIS OCCULTA FURTA. *Inepte a quibusdam quaeritur, quae sint: nulla sunt enim: sed oratorum est, neque minuere laudes, vel crimina, neque ostendere.*

ad Act. I. c. VI. REDEMPTIO EST HUJUS JUDICII FACTA. *Sic quidam accipiunt, quasi hoc dicat Cicero, corrupti sunt isti judices.* cet.

ibid. c. VIII. A QUODAM SENATORE AD EQUITEM ROMANUM. *Horum nomina quidam*

dam inepte quaerunt: quasi certum sit, quod dicitur. Itaque suspicantur senatorem alii Crassum, alii Hortensium.

paulo infra. EQUITEM ROM. *Alii neminem proferunt; Alii Publicium quemdam, temporibus illis in dividenda pecunia populo famosissimum.*

ad Argum. L. II. *Incipit autem a laude Siciliae, et egreditur ad crimen Dionis, deinde Sosippi et Epicratis: sed de jure Siculorum everso frustra quidam Ciceronem reprehendunt, quod non inde coeperit.*

Haec quidem loca sunt, quae Majum suspicari fecerunt, fuisse jam ante Asconium aliquos, qui Ciceronem interpretati esse videantur. Et revera manifestum est, Asconium in iis locis aliorum hominum interpretationes retulisse; hi vero, num data opera Commentarios scripserint ad illustrandum Ciceronem, an vero in aliis scriptis, aliud dum agerent, subinde istas animadversiones immiscuerint, non immerito dubitare posse videmur. Sunt vero praeterea et alia loca in Asconii Commentariis, ubi aliorum opiniones et interpretationes vel memorantur vel refutantur. Excitabimus ea ad paginas edit. Lugd. Bat. 1644. qua potissimum uti placet:

p. 23. SESTERTIUM MILLIES EX LEGE REPETO. *Frustra calumniantur Ciceronem homines, et modo eum sestertium millies dicunt repetere, modo quadringenties.*

P.

p. 34. HABET ALLIENUM. *Caecilius scilicet Allienum autem volunt intelligi proprium nomen esse quasi ab Allia, ut Virgilius* [Aen. VII. 717.] *« Quosque secans infaustum intervenit Allia nomen.” Alii Allienum non nomen proprium putant esse, sed alienum, et alterius judicii, et non ex auditorio Praetoris, majorumque causarum, sed a subselliis, hoc est, non a tribunalibus.*

p. 44. INVENIT ISTE, QUI SIBI IN ACHAJAM. *Alii hunc Rupilium, alii Oppium putant. Sunt, qui Rupilium dicunt accusatorem, Oppium reum. Alii Q. Metellum Nepotem accusatorem, Curionem reum.*

p. 75. ADIMO ENIM COMPERENDINATUM. *Comperendinatum pro Comperendinatione posuit. Comperendinatio vero utriusque partis recitatio est. Alii sic adnotant: Comperendinatio est secunda actio.* cet. *Alii sic: inter Comperendinationem et ampliationem hoc interest.* cet.

p. 79. AUT EX ISTO, QUEM SUI SIMILLIMUM PRODUXIT. *Reprehendunt homines stultissimi Tullium, quod in filio Verris innoxiam laedat aetatem.*

p. 89. GRAECO MORE BIBERETUR. *Grandibus, inquiunt, poculis, et meracis potionibus, qui non intelligunt dicta Ciceronis: et hoc putant Graeco more potare.*

paulo infra. POSCUNT MAJORIBUS. *Sunt, qui producta scilicet O litera Poscunt legunt, quasi, Saepe putant. Sed Poscunt Provocant intelligendum est.*

p. 98. NEQUE CENSUS ESSET. *Neque centum millia sestertium possideret. Alii sic intelligunt: Neque census esset, hoc est, neque census ejus in quinquennium illud esset factus.* cet.

p. 102. O MODESTUM ORDINEM. *Quia ordinem dixit, equitum Romanorum ordinem dici quidam putant: sed libertinos significat.*

p. 120. SI QUID PERPERAM JUDICARIT SENATUS. *Multi subdistinguunt, et sepatim addunt, senatus, ut quasi per interrogationem ostendat, ne senatui quidem cujusquam civitatis in potestate fuisse judicare quod senserat.*

Ex his omnibus igitur locis appareat, fuisse jam ante Asconium aliquos qui Ciceronis Orationes interpretati sint. Mihi tamen, si quod equidem sentio dicere fas est, non admodum videtur absurdum, contendere Asconium istas interpretationes aeque ex aliorum confabulationibus quam scriptis libris cognoscere potuisse.

§. 10.

Interpretes inediti.

Praeter Scholia, quae edita sunt, teste eodem Majo, plurima adhuc latent in Bibliotheca Ambro-

brosiana: „*Alii vero*, inquit Majus, *Tullii interpretes, qui plurimi in Ambrosianis Codicibus latent, neque multa neque bona eruditione pollent: etymologias vocabulorum, figurarum notationes, aliasque nugas pueriliter consectantur. Quid referam elocutionis illuviem? quid verba de barbarie fluentia? quid scabiem et porriginem? quid scholasticam levitatem? Asconianus contra Commentarius earum omnium lucubrationum objurgat insaniam. Adde quod in Codicum recentiorum paene omnibus scholiis Christiani sparsim ritûs semina apparent: at in Asconianis secus fit.*" Alibi ad Orat. pro Marcello c. I. 2. ut ostenderet quantum inter antiquorum et sequiorum temporum scripta interresset, ex inediti cujusdam Scholiastae annotationibus hoc specimen exhibuit: „*Curriculo. Est diminutivum de Curia. Vel dicitur a Cicerone, quod Consulares, qui conveniebant, in eo loco habebant tractare ardua. Et ideo quia illuc ibant, tanta frequentia incedebant, ut currere viderentur.*" Si reliquae ineditorum interpretum annotationes meliora non docent, quam hoc specimine docemur, ista scabies et porrigo non digna est quae luce fruatur.

Aliquanto meliorem spem fovere licet de Annotationibus ineditis, quae latent in Bibliotheca Vaticana, quas se aliquando editurum dudum promisit Majus ad Ciceronem de Rep. L. I. c. 20. his verbis: „*Id argumentum noblissime tractat Cicero in oratione pro Sextio, cujus lu-*

luculentum et plenum varia eruditione Commentarium ineditum e Vaticano palimpsesto daturus sum."

§. 11.

Sacer.

Ad calcem hujus capitis commemorandi restant Sacer et Statilius Maximus; quorum hic saepius, ille semel a Charisio citatur. Et Statilii quidem mentionem supra jam fecimus, ubi de Catonis interpretibus agebamus; sed alterius nomen est fere inauditum, equidem saltem alibi me legere non memini. Scripsit ille commentarios in Ciceronis Orationem pro Rabirio; quemadmodum conjicere licet ex hoc Charisii testimonio p. 188. 40. „ *Per, pro perquam valde, ut perduellio, perquam duellio, et plus quam hostis, ut Rabirius:* « *Qui perduellionem fecisse dicebatur.*" *id est, contra Remp. sensisse. quod judicii genus Sacer in eadem Oratione M. Tullii, ab Horatio sumtum ait, dictumque quod per tempus belli sit factum, cum is in sororem suam gladio usus esset.*"

§. 12.

Statilius Maximus.

Statilius Maximus, num inter Ciceronis interpretes merito sibi commemorationem vindicet, du-

dubitare, quam audacius contendere malim. Interpretes scilicet Ciceronis non eos intelligo scriptores, quorum cujuslibet generis scripta prosint aliqua parte Ciceronis interpretationi; sed eos per excellentiam intelligo, qui peculiari studio Commentarios in hoc vel illud Ciceronianae doctrinae monumentum composuerunt. De Statilio, quandoquidem et ipsius scripta perierint, et nulla Veterum mentio declaret, qualia fuerint, difficile dictu est, quânam ratione judicari oporteat. Charisius, praeter quem nemo, quantum scio, Statilii mentionem injecit, pauca quaedam ipsius fragmenta servavit; quae fragmenta utrum omnia ex eodem opere desumta sint, hoc illud est, de quo quaeremus. Charisius scilicet non ubique addit nomen libri, ex quo hausit, sed duobus tantum locis Statilii librum *De Singularibus apud Ciceronem positis* memorat:

p. 175. 9. *Et tamen passim* magni te facit *ascimus et* multi, *et quia saepenumero contendere a nobis non desinitis, licet Statilius Maximus de Singularibus apud Ciceronem quoque positis saepenumero notet, ut in caeteris an ratio teneat examen, per easdem vias pedetentim subire conabimur*, cet.

p. 193. 48. Stomachose. *Cicero* [Att. X. 5.], *ut Statilius Maximus de Singularibus apud eum positis notat.*

Reliqua fragmenta, ubi Charisius non addit ex quo libro desumserit, haec sunt:

p. 187. 1. OSTIATIM. *vicatim.* Cicero [Verr. IV. 22. et 24.] *Quod Statilius Maximus notat nesciens, quia ut continuo ostiatim est, continuatim frequentativum.*

p. 189. 34. PLACATE. *Cicero* [Famil. IV. 1.] *ut Maximus quoque notat* „*Placate et moderate feramus.*"

p. 190. 11. PUDENTER. *Cicero* [Quint. 11.] *ut etiam Maximus notat.*

p. 191. 3. PARITER. *pro pariliter. Cicero* [Lael. 16.] *ut Maximus notat.*

p. 193. 7. REPENTINO. *pro repente. Cicero* [Quint. 4.] *ut Statilius Maximus notat.*

p. 193. 12. RARE. *Cicero pro raro* [. . .] *ubi idem Maximus notat Catonem quoque ita locutum. Sed et Plautus in Rudente* [IV. 3. 56.] „*Verum rare capitur.*"

p. 193. 21. RARENTER. *Cicero* [. . .] *ut idem Maximus notat, pro raro.*

p. 194. 30. SALUTARITER. *Cicero* [Brut. 2. et Fam. X. 21.] *ut idem Maximus notat, quasi salubriter.*

p. 194. 32. SALUTARIUS. *Cicero* [. . .] *ut idem notat, quasi salubrius.*

p. 195. 10. SINGULARIE. *pro singulariter, quasi unice. Cicero* [. . .] *ut Maximus notat.*

p. 195. 12. STIRPITUS. *Cicero* [Tusc. IV. 38.] *quod apud eundem Maximus semel positum notat.*

Haec

Haec autem fragmenta ad quale Statilii opus referenda sint, audax sit quidquam certi velle statuere, quandoquidem Charisius nomen operis non addiderit. Potuerunt ista desumta esse e variis Commentariorum libris, quibus Statilius explicuerit plura Ciceronis scripta. Sed ita alii somnient de Statilii doctrina, ut ipsum levi hocce argumento in omnes istos Ciceronis libros explicationem scripsisse contendant. Nobis potissimum ea praeplacet opinio, qua omnia ista fragmenta desumta esse dicantur ex uno illo opere *de Singularibus apud Ciceronem*. Quis enim unius hominis esse dicat Commentarios conscribere in omnes istos Ciceronis libros, ad quos fragmenta illa pertinent? Accedit etiam quod Charisius post citatum Ciceronis nomen non dicat *ubi Statilius notat* (de significatione voculae *ubi* supra disputavimus), sed dicat *ut Statilius notat*. Gravissimum vero nostrae opinionis praesidium ex indole istorum fragmentorum petimus. Si enim ex inscriptione Statiliani operis, de argumento, quale continuerit, hariolari licet, continuisse illud dicemus notitiam eorum, quae in Cicerone *ἅπαξ* vel *σπανίως λεγομένα* reperiantur. Jam vero quid dubitamus ad istum librum ea fragmenta referre, quae omnino cum illius libri indole conveniant?

Nostrâ igitur sententiâ Statilius non merito sibi locum vindicat inter Ciceronis interpretes, etsi non negemus ipsum scriptis suis libris quidquam contulisse ad Ciceronis interpretationem.

§. 13.

Rufinus et C. Julius Victor.

Non majori jure vel Rufinus vel Julius Victor Scholiastarum numero habetur, quamquam nuper utriusque laborem inter Ciceronis Scholiastas ediderit Orellius P. I. p. 183—194. et p. 195—267. (Vol. V. Part. I.)

Rufini libellus, quem Orellius ex Cappertonerii editione repetiit, hunc habet titulum: *Versus Rufini V. C. Litteratoris de Compositione et de Metris Oratorum.* Sed hac scriptione si Rufino locum inter Ciceronis Scholiastas vindicare velis, eidem inter Terentii et Plauti Scholiastas locus detur necesse est, cujus utpote in eodem genere exstent *Versus Rufini Grammatici de Metris Terentii et Plauti et aliorum*, editi a Putschio in Grammaticae Latinae Auct. Antiq. p. 2709—2713.

C. Julium Victorem (cujus opus sic inscriptum est: *C. Julii Victoris Ars Rhetorica Hermagorae, Ciceronis, Quintiliani, Aquilii, Marcomanni, Tatiani*) Orellius duas propter causas adjunxit Ciceronis Scholiastis, *et quia*, sic ipse scribit in Praef. p. 195. *per se facit ad totam κρίσιν et Tullianam et Quintilianeam et quia semel adhuc ab*

ab Angelo Majo V. C. Romae M. DCCC. XXIII. ex uno Ottobiano Vaticanae bibliothecae membranaceo codice 1968. seculi XII. Fortunatiani quoque rhetoricam exhibente editus, vix sine his suis comitibus repeti potuisset in Germania, quum tamen optabile sit, ut cuivis philologo Germano aditus ad eum pateat. Quam utramque caussam ut facile probo, quin imo laetor quod auctore Orellio, in multorum manus venerit libellus, *quo omnes*, hoc Orellii judicium est, *quibus vel cum Cicerone vel cum Quintiliano res est, carere neutiquam possumus, etsi per se spectatus futilis est scriptor et ineptus; nam quodcunque boni habet, aliis debet, ut index libri ingenue fatetur:* contra opinor nullo omnino jure Scholiastae nomen tribui posse huic Julio Victori, quippe quod talis sit operis ab eo conscripti forma, quae ipsi inter Rhetores, nequaquam vero inter Scholiastas, locum vindicet.

§. 14.

Asinius Gallus et Licinius Largius.

Eadem de causa Asinius Gallus et Licinius Largius veterum Scholiastarum numero excludendi sunt: ut qui nec Ciceronis scripta interpretati sint nec quidquam contulerint quod horum intelligentiae prodesse possit, sed, perverso studii genere abducti in eo laborarint ut summum oratorem reprehenderent.

rent. Adeoque hos potius inter Ciceronis Obtrectatores referendos esse opinor.

De Galli labore, qui dudum periit, loquitur Plinius in VII. Epist. 4. unde discimus Gallum id studuisse ut *parenti suo* Asinio Pollioni *de Cicerone palma decusque daretur.* Adversus hunc autem Claudius Caesar, teste Sueton. in vita c. 41. scripsit *Ciceronis defensionem satis eruditam.*

Largii liber, cui sors non melior obtigit, infandum titulum habuit *Ciceromastix*, quemadmodum docet Gellius N. A. XVII. c. 1. cujus notitiam, quae loci classici instar sit, operae pretium est cognoscere. *Ut quidam fuerunt monstra hominum*, sic scribit Gellius, *qui de diis immortalibus impias falsasque opiniones prodiderunt: ita nonnulli tam prodigiosi tamque vecordes exstiterunt (in quibus sunt Gallus Asinius et Largius Licinius, cujus liber etiam fertur infando titulo* Ciceromastix) *ut scribere ausi sint M. Ciceronem parum integre atque improprie atque inconsiderate locutum: atque alia quidem, quae reprehenderunt, neque dictu neque auditu digna sunt: sed enim in hoc, in quo sibimet ipsi praeter cetera esse visi sunt verborum pensitatores subtilissimi, cedo, quale id sit consideremus. M. Cicero pro M. Coelio* [c. 3.] *ita scripsit:* » Nam quod ob-
» jec-

» jectum est de pudicitia: quodque omnium accu-
» satorum non criminibus, sed vocibus maledictis-
» que celebratum est; id numquam tam acerbe fe-
» ret M. Coelius, ut eum paeniteat non deformem
» esse natum." *Non existimant verbo proprio esse usum, quod ait,* paeniteat; *atque id prope ineptum etiam esse dicunt: nam* paenitere, *inquiunt, tum dicere solemus, quum, quae ipsi fecimus, aut quae de nostra voluntate, nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere; sententiamque in iis nostram demutamus. Neminem autem recte ita loqui » poenitere sese quod natus sit" aut » poenitere quod mortalis sit" aut » quod ex offenso forte vulneratoque corpore dolorem sentiat": quando istiusmodi rerum, nec consilium sit nostrum, nec arbitrium; sed ea ingratiis nostris vi ac necessitate naturae nobis accidant: sic hercle, inquiunt, non voluntarium fuit M. Coelio, quali forma nasceretur; cujus eum dixit non paenitere: tamquam in ea causa res esset, ut rationem caperet paenitendi. Est haec quidem*, cet.

§. 15.

Didymus Chalcenterus.

Inter Ciceronis interpretes nullo jure refertur, qui item inter Obtrectatores referatur, Didymus, Chalcenteri cognomine adustus, quasi aenea intestina habens, propter legendi scribendique assiduitatem, ut qui tria millia et quingenta volumina conscrip-
sis-

sisse dicatur auctore Suida in voce: Δίδυμος, Διδύμου ταριχοπώλου, γραμματικὸς Ἀριστάρχειος, Ἀλεξανδρεὺς, γεγονὼς ἐπὶ Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος, καὶ ἕως Αὐγούστου. Χαλκέντερος κληθεὶς, διὰ τὴν περὶ τὰ βιβλία ἐπιμονήν· Φασὶ γὰρ αὐτὸν συγγεγραφέναι ὑπὲρ τὰ τρισχίλια καὶ πεντακόσια βιβλία. In hoc librorum numero sex fuerunt, quos scimus data opera adversus Ciceronem scriptos esse; de quibus sic loquitur Ammian. Marcellinus L. XXII. c. 16. *Alexandria — amisit regionis maximam partem, quae Bruchion appellabatur, diuturnum praestantium hominum domicilium. Unde Aristarchus — aliique plurimi scriptores multorum in litteris nobilium studiorum: inter quos Chalcenterus eminuit Didymus, multiplicis scientiae scriptis memorabilis: qui in illis sex libris, ubi nonnumquam imperfecte Tullium reprehendit, sillographos imitatus scriptores maledicos, judicio doctarum aurium incusatur, ut immania frementem leonem putredulis vocibus canis catulus longius circumlatrans.*

Contra hos Didymi libros pro Cicerone scripsisse Suetonium Tranquillum narrat Suidas in voce: Τράγκυλλος, ὁ Σευτώνιος χρηματίσας, γραμματικὸς Ῥωμαῖος· ἔγραψε περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν βιβλίον α. — Περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας α· ἀντιλέγει δὲ τῷ Διδύμῳ. — Συγγενικὸν Καισάρων· περιέχει δὲ καὶ βίους καὶ διαδοχὰς αὐτῶν ἀπὸ Ἰουλίου ἕως Δομετιανοῦ, βιβλία η. Ex quo loco docemur, id quod ex Ammian. Marcell. incertum erat, Didymum libros de Republica reprehendisse.

§. 16.

Melissus.

De Melisso res admodum dubia est; et in aliorum testium desiderio equidem non audeo contendere hunc Commentarios in Ciceronem scripsisse. Qui secus opinantur, omne suae opinionis praesidium petunt ex lacunosa quadam glossa, quam Barthius ex prisco Maronis Codice edidit in Advers. L. XXXVII. c. 5. quae hujusmodi est:

Anser, *Poeta erat Anthonii, de quo Mel in Philippica Ciceronis dixit * quem sibi agrum donaverat Antonius **

ad q. l. Barthius notavit: *Arbitror Melissum Grammaticum Criticum hic nominari, cujus nomen non ignobile. Vide Josephum Scaligerum Auson. Lect. L. I. c. XIV.*

Non nescio, fuisse olim hoc nomine Grammaticum, Cajum Melissum Spoletinum; quem, delegante Augusto, curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviae porticu suscepisse narrat Sueton. de Illustr. Gramm. c. 21. Sed, praeterquam quod in ista glossa auctoris nomen sit abruptum, magnopere haesito truncatae ignoti glossatoris notitiae plenissimam continuo fidem habere.

§. 17.

M. Cornelius Fronto.

Certior omnino res est de Frontone. Hic enim quin annotationes in Ciceronem scripserit, quamquam eas in vulgus exire noluit, nunc plane non dubitamus, postquam luculentissima Frontonis monumenta per Maji sagacitatem innotuerunt. Sic enim ipse Fronto Epist. ad Amicos L. II. 2. scribit Volumnio Quadrato: *Ciceronianos emendatos et distinctos habebis adnotatos a me. Leges ipse: in volgus enim eos exire quare nolim, scribam ad te diligentius.*

Quid causae fuerit quod Fronto annotationes suas cum erudito orbe communicari noluerit, ignoratur: quandoquidem ea epistola, in qua causam redditurus erat, aut numquam a Frontone scripta sit, aut saltem in Fragmentis, quotquot nunc quidem habemus, non reperiatur. Nec magis notum est, ad quosnam Ciceronis libros Fronto annotationes scripserit.

Vix autem necesse est dicere, quantum lucri facturum esset Latinarum Literarum studium, quantumque lucis esset accessurum summi oratoris scriptis, si quando ex tenebris erutae prodirent istae, quas nunc periisse dolemus, Frontonis lucubrationes, illius, qui merito *Romanae eloquentiae non secundum sed alterum decus* vocatur.

§.

§. 18.

Interpretes inediti
in
Bibliotheca Leidensi.

Praeter istos, quorum Commentarii editi sunt, plures alii antiquo aevo fuerunt Ciceronis interpretes, quorum labores adhuc latent in ditioribus Bibliothecis. In Ambrosiana v. c. Bibliotheca, ut supra diximus §. 10. Ang. Majus jam plurimos Tullii detexit interpretes ineditos, in iisque luculentum et varia eruditione plenum Commentatorem in Orationem pro Sextio. In aliis alii detegentur.

Bibliotheca Leidensis tres possidet Codices MStos, in quibus Scholia ad Ciceronem reperiuntur. De his, priusquam huic Capiti finem imponamus, verbo monebimus.

Primus (in Catalogo p. 374. B. notatus n°. 91.) in charta, recenti admodum aevo, scriptus, continet Orationes pro Lege Manilia, pro Marcello, aliasque, cum Glossis interlinearibus et Scholiis marginalibus, parcis tamen: sed ab Asconii labore diversis.

Secundus (in Catalogo p. 379. B. notatus n°. 33.) in membrana scriptus, aliquanto antiquioris aevi in-

indicia referens, continet Ciceronis Rhetoricorum libros II. cum Scholiis ad marginem et inter lineas positis, diversis a Victorini labore: quamquam hic aliquoties citatur, ut et Boëthii nomen: passim satis uberibus, versus finem vero admodum parcis.

De utrisque parum interest ulterius exponere. Dubito enim quam maxime an quidquam boni complectantur, quod adhuc ignorabamus.

Tertius (in Catalogo p. 333. A. notatus n°. 189.) continet quatuor folia, quibus exhibetur initium Commentarii admodum ampli in Rhetorica Ciceronis. Cujus auctor Anonymus, quamquam post Victorinum et vel post Boëthium vixit, tam docte Ciceronem interpretatus est, nec multum seculi sui maculis inquinatus, ut magnopere dolendum sit, quod longe major Commentarii pars desideretur. Fieri potest, ut plenius apographum inter nondum excussos peregrinarum Bibliothecarum thesauros lateat. Quod si quando, idque ita fore speramus, a justis harum rerum aestimatoribus reperiatur, non dubitamus quin insigne Literis accessurum sit incrementum. Concedente Geelio V. Cl. (cujus humanitatem et Literas adjuvandi studium laudare vix valeo, qui mihi cum ad editos tum ad ineditos Bibliothecae thesauros aditum praebuerit) equidem, quo aliorum industria excitetur, publicabo hoc, quantum in Codice Leidensi reperitur:

FRA-

FRAGMENTUM SCHOLIASTAE INEDITI

AD CICERONEM

DE INVENT. RHET.

[1 Praefatio.]

Ut [2] Petronius ait, nos magistri in scholis soli relinquimur nisi multos palpemus et insidias auribus fe-

1 Quis hujus Commentarii auctor sit, incertum est: idque, opinor, incertum manebit, quoad in aliis Bibliothecis plenius apographum repertum fuerit, quod auctoris nomen in fronte gerat. In Codice Leidensi nulla prostat epigraphe, praeterquam haec: *Annotationes in Rhetorica Ciceronis*, sed scripta manu recenti, fortasse Petri Danielis, qui, ut in calce legitur, hunc Codicem possedit a. 1564. De aetate Scholiastae res videtur aliquanto certior. Videtur, inquam; quibus enim certissime definiatur, in hoc quidem fragmento non reperio argumenta. Boëthii commemoratio jubet cogitare de temporibus seculo sexto non prioribus. Hoc utique ineunte Boëthius, teste Procopio et Cassiodoro ad a. 508. trucidatus est. Si auctor nomen Boëthii cum aliqua amicitiae vel laudis testificatione commemorasset, non dubitarem fere, quin hic Commentarius habendus esset Patricii labor, illius, quem Boëthius vocat *Rhetorum peritissimum* et cujus nomini hic Commentarios su-

fecerimus. Ego vero non ita. Nam melius et fidius paucorum gratia multis mea prostitui. Sic tamen con-

suos in Topica inscripsit, ut supra diximus p. 146. Jam vero quum hoc in his saltem reliquiis non factum sit, ignorantiam fateri malo quam temerariae hariolationis in me trahere notam; qua carebo, si auctorem incertum esse dixero. Quod autem in Praefatione mentio fit Theodorichi ab imperitis reprehensi, id suadet omnino ut ea cogitemus tempora, quibus memoria hujus imperantis nondum senuerat; adeoque auctoris aetatem paulo post annum 526. collocandam esse suspicemur, quo utpote Theodorichi regnum ad Athalarichum pervenit. Non sine causa suspicari posse mihi videor, auctorem fuisse Ludimagistrum, qui, publica auctoritate constitutus, non solum in palatio docuerit juventutem sapientiae studiosam: sed quem, insigni nominis fama florentem, etiam alii, iique non admodum literarum doctrinaeque amantes, audiverint, sola magistri gloria ducti. Nec fere dubito quin talis omnino vir fuerit, quem optimi quique probarent et diligerent, id est qui ingenuum animi candorem cum doctrina conjungeret. Talem enim, aut ego fallor, aut facile illum agnosces, si Praefationem legas, ubi sic fere de disciplina sua scribit: *Quod de magistris dicit Petronius, hoc mihi non accidit. Nam disciplinam meam magno discipulorum numero impendi, neque tamen favorem eorum malis artibus captavi. In qua re fecisse mihi videor melius et fidius, quam si in gratia paucorum acquievissem, mihique, ut ait Petronius, in scholis solus essem relictus. Neque tamen hoc meum consilium ad omnes omnino pertinuit. Nam et multos exclusi, imperitos et petulantes. Est praeterea aliud genus: hi, ut simulent se magno esse ingenio, studia execrantur, dicentes non esse necessaria: alii dicant se domestico studio artem rhetoricam discere et facile magistro carere: imitantur tamen morem scholasticae nostrae disputationis, sed perversa ac ridicula ratione, adeo ut inani verborum strepitu suppleant, quod a veritate et argumentis de-*

silium meum contraxi ut vulgus profanum et farraginem scholae petulcam excluderem. Nam simulato-

desit. Utrumque genus, et qui, ut aiunt, facile magistro carent et solum ingenium sufficere putant, et qui domi sui ipsorum sunt magistri, tamen me petunt et meam disciplinam sequuntur, sed privatam, non publicam in palatio. Hi ut ad me veniant, hoc fama tantum mei nominis et disciplinae efficit: non veniunt capti amore verae doctrinae, sed ut eum audiant tamen et cognoscant, de quo tam multa a multis narrantur. Nam ipsam doctrinam et literas contemnunt. Stant enim a partibus Gothorum contra Amalasuntham, et ut alios bonos fallant et in suam factionem trahant, calumniantur quoque, Theodorichum fuisse literarum rudem, et tamen fortissimum hominem et optimum regem: non itaque esse caussam, cur Amalasuntha tantopere literis faveat, et filium Athalarichum nimio disciplinarum amore incendat et corrumpat, quem potius, antiquo Gothorum more, venatione studiisque rege dignioribus esse durandum. Esto. Concedam illis multos, minus doctos, fuisse fortissimos, sed et mihi concedant, se non plus sapere quam anum decrepitam. Sed finem facio praefandi: ne is, qui aliquando hunc librum meum sit descripturus, hanc praefationem propter longitudinem tollat. Itaque Commentarii nostri jam nunc incipiant. [Elegantem hanc paulo obscurioris Praefationis Paraphrasin debeo Peerlkampio V. Cl.; cujus egregii viri consilium cum hic, tum alibi praesto mihi fuisse, non possum quin gratissima mente profitear]

2 Petronii locus est Sat. c. 3. « *Minimum in his exercitationibus doctores peccant, qui necesse habent cum insanientibus furere. Nam nisi dixerint, quae adolescentuli probent, ut ait Cicero* [pro Coelio XVII], *soli in scholis relinquentur; sicut ficti adulatores, quum coenas divitum captant, nihil prius meditantur, quam id quod putant gratissimum auditoribus fore: (nec enim aliter impetra-*

tores ingenii exsecrando studium et professores domestici studii dissimulando magistrum tamen et scholasticae disputationis histriones inanium verborum pugnis armati tales quidem mea castra sequuntur sed extra palatium quos sola nominis detulit aura cum in partibus suis studio fallaciae Theodorichum [3] mentiantur. Sed ut ait [4] Persius: Esto; dum nec deterius sapiat pannucea Baucis. Atque haec hactenus; ne, cui praefatio incumbit, is eam prolixitatis arguens, forte rescindat. Atque hinc initium Commentarii [5] sumat. Explicit.

[Introductio.]

Circa artem rhetoricam X consideranda sunt: Quid sit genus ipsius artis. Quid ipsa ars sit. Quae ejus

trahunt, quod petunt, n i s i q u a s d a m i n s i d i a s a u r i b u s f e c e r i n t:) sic eloquentiae magister, nisi, tanquam piscator, eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisciculos, sine spe praedae moratur in scopulo."

3 Hanc loquendi formulam refero ad maculas quas Scholiastes a seculi sui barbarie contraxit. *Mentiri τινά* est quod Auctor Epist. ad Hebr. VI. 18. dicit ψεύσασθαι θεόν. Similiter Commentator Cruq. ad Horat. Epod. XVII. 3. *Dianae numina non mentienda.*

4 Persius Sat. IV. 20.

5 Legendum videtur *sumant*, ut sit: nunc jam Commentarii nostri incipiant. Si *sumat* servandum, significat: ut is hic, ubi nunc Praefatio legitur, incipiat scribere Commentarios.

ejus materia. Quid officium. Quis finis. Quae partes. Quae species. Quid instrumentum. Quis artifex. Cur vocetur rhetorica.

Artem definiendi hoc est dividendi et rationibus comprobandi, antiqui rhetores *artem extrinsecus* vocant, eo quod extra, et antequam ad doctrinam agendi perveniatur, oportet ista praescire. *Intrinsecus* vero *artem* appellant, ipsam artem eloquendi, quia ad eam prior scientia introductoria est. Non tamen idcirco haec distinguimus, quod duae artes sint, sed quoniam his duobus modis una eademque ars docetur.

Deinde circa librum Tullii, quem expositūri sumus, consideranda sunt duo: Quae sit ipsius auctoris intentio et quae libri utilitas. Horum unumquodque eo ordine, quo proposuimus, ostendendum est.

Genus igitur artis rhetoricae est qualitas ipsius artificii secundum ejus effectum: hoc autem est, quod ipsum artificium est, pars civilis scientiae major. Nam civilis ratio dicitur, quidquid civitas aut rationabiliter dicit aut agit; dicimus enim: ratio est hoc vel illud facere vel dicere. Item civilis ratio dicitur, scientia dicendi aliquid rationabiliter et faciendi. Et haec quidem ratio, scientia civilis dicitur, cujus quidem pars integra, vel etiam major, rhetorica est. Nam sapientia i. e. rerum conceptio secundum earum naturam, et rhetorica civilem scientiam componunt. Et enim nisi quis sapiens et eloquens fuerit, civilem scientiam habere non dicitur. Major vero pars civilis scientiae dicitur rhetorica, quoniam magis operatur in civilibus causis quam sa-

Ee pi-

pientia, etsi sine sapientia nihil prosit. Maximam enim virtutem habet eloquentia in civitate, si sapientiae juncta sit. Quam rem Tullius in sequentibus ostendit. Item secundum [1] Boëthium, genus artis rhetoricae est quod ipsa est facultas i. e. facundum efficiens, quod est (sic) esse majorem partem civilis scientiae. Dicitur autem una eademque scientia et *ars* in magistro, quoniam regulis [2] arctat disciplinam, et *facultas* in oratore, quoniam eum efficit [3] facundum. Non est autem dicendum, rhetoricam aut logicam esse aut ejus partem, idcirco quod logica circa thesin solam i. e. circa genera agendi, tantummodo versatur.

Definitio artis rhetoricae apud antiquos rhetores varia et multiplex est. Nam quidam hoc modo definiunt: Rhetorica est scientia utendi in privatis et pu-

1 Boëthius de Different. Topic. L. IV. p. 160. (ed. Wegelini 1604.) *Rhetoricae igitur genus est facultas; species vero tres: judiciale, demonstrativum, deliberativum. — Materia vero hujus facultatis est omnis quidem res proposita ad dictionem. Fere autem est civilis quaestio.* Et p. 170. *Quare genus est Rhetoricae, facultas. Rhetoricae vero species tres: judiciale, demonstrativum, deliberativum. Materia autem civilis quaestio, quae dicitur caussa.* Ceterum eundem hunc Boëthium, quamquam semel modo nominavit, saepius hujus Introductionis auctor secutus est. — 2 Eadem etymologia legitur apud Festum in v. *Artifices* et Diomedem L. II. p. 414. Meliorem dedit Donatus ad Terent. Andr. I. 1. 4. *Ars ἀπὸ τῆς ἀρετῆς dicta est per syncopam.* — 3 Infra ad Cap. V. (§ 6.) paulo aliter scribit: *facultatem appellat ab effectu suo, eo quod facilem in eloquendo reddit oratorem.*

publicis causis plena et perfecta eloquentia. Sunt alii, qui hoc modo eam definiunt: Rhetorica est scientia apposita dicendi ad persuadendum de causa proposita. Definiunt etiam Philosophi rhetoricam aliis modis: quos si quis scire desiderat, legat Quintilianum de Institutionibus Oratoriis.

Nunc de Materia artis. Materia artis cujuslibet est id quod artifex debet secundum artem tractare. Materia igitur artis rhetoricae est Hypothesis, quae a Latinis causa dicitur, quoniam orator illam secundum artem rhetoricam tractare debet. Hypothesis vero, sive causa, est res quae habet in se controversiam in dicendo positam de certo dicto vel facto alicujus certae personae. Ut haec controversia: An Orestes jure occiderit matrem, an non. Non autem dico homicidium aut furtum aut adulterium aut aliquid hujusmodi esse materiam artis rhetoricae, sed rem in controversia positam, quae probabilibus argumentis aut vera aut falsa esse ostendi potest; ut argumentis probabilibus ostenditur: an Orestes jure occiderit matrem, an non. Quae res *causa* dicitur, eo quod *causari* dicitur aliquem de re aliqua [1] impetere et in litem adducere. Vel ideo *causa* dicitur quod antiqui dicebant *causari*, de aliqua re querelare: nam causa dicitur quasi de aliqua re querela. Hypothesis vero

h

1 *Impetere* pro *adoriri* satis frequenter a bonis scriptoribus usurpatur. Varro de R. R. III. 16. *impetentes a se ejiciunt fucos.* Lucanus VI. 222. *se rotat in vulnus: telumque irata receptum Impetit.*

i. e. suppositum, dicitur quoniam sub thesi continetur. Dicitur eadem quaestio implicita circumstantiis i. e. certis determinationibus personarum, factorum, causarum, locorum, temporum, modorum, facultatum. Quae circumstantiae hoc versu designantur: [1] *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Sed quid sit circumstantia, in sequentibus melius dicetur. Civiles autem controversiae aut de justo ante judices esse solent et tunc illae controversiae *causae judiciales* dicuntur: aut de utili apud r. p. aut [2] privati procuratores et tunc *causae deliberativae* dicuntur: aut de honesto apud populum in concionibus et tunc *causae demonstrativae* dicuntur. Sunt igitur hae tres res i. e. justum, utile, honestum, fines omnium causarum ex quibus omnes causae nascuntur i. e. civiles controversiae. Haec igitur causa triplex, artis rhetoricae materia est.

Or-

1 Eumdem versum cogitasse videtur Boëthius, ubi haec scripsit de Different. Topic. L. IV. p. 158 *Thesis vero est sine circumstantiis quaestio. Rhetorica vero de hypothesibus, id est, de quaestionibus circumstantiarum multitudine inclusis tractat et disserit. Circumstantiae vero sunt: quis, quid, ubi, quando, cur, quomodo, quibus adminiculis.* Tum iterum p. 173. *Circumstantiae sunt, quae convenientes substantiam quaestionis efficiunt. Nisi enim sit qui fecerit et quid fecerit, causaque cur fecerit, locus tempusque quo fecerit, modus etiam, facultatesque si desint, causa non stabit. — Reliquas vero circumstantias, quae sunt, quid, cur, quomodo, ubi, quando, quibus auxiliis* cet. — 2 Procurator privatarum rerum a Commentatore vocatur Procurator τοῦ *privati*; quam substantivam formam alibi me legere non memini.

Officium autem cujuslibet artis est id, quod artifex debet facere secundum artem rhetoricam. Id autem est apposite dicere ad persuadendum i. e. dicere ea quae conveniunt i. e. sufficiunt ad persuadendum; etsi orator non persuadeat. Unde [1] Aristoteles in primo Topicorum: Orator non semper suadebit, sed si ex contingentibus nihil omiserit, sufficienter eum habere propositum dicemus.

Finis artis cujuslibet est id, ad quod artifex tendit secundum officium. Finis igitur artis rhetoricae est id, ad quod tendit orator secundum suum officium. Id autem est [2] persuadere dictione, quod est persuadere quantum in se dicentem est etsi in auditoribus remaneat. Et hunc finem semper ars consequitur. Est autem alius finis artis, quem non semper consequitur, i. e. auditoribus persuadere, ut supra monstratum est. Non est autem idem finis artis, quod ejus utilitas varia et multiplex. Finis vero id solum quod praediximus. Similiter intentio artis est sive oratoris, movere auditores ut sibi credant. Officium vero id solum quod praediximus.

Partes autem oratoris sunt, quae convenienter oratorem efficiunt et quarum si una defuerit, non est orator. Dictae partes ad similitudinem partium

1 Aristoteles Topic. L. I. c. 2. Οὔτε γὰρ ὁ ῥητορικὸς ἐκ παντὸς τρόπου πείσει, οὔθ' ὁ ἰατρικὸς ὑγιάσει· ἀλλ' ἐὰν τῶν ἐνδεχομένων μηδὲν παραλείπῃ, ἱκανῶς αὐτὸν ἔχειν τὴν ἐπιστήμην φήσομεν. — 2 Cf. Boëthius. l. c. p. 170.

tium integralium, quae si conveniunt, totum existat. Si autem una defuerit, totum non est. Hae autem partes V sunt: [1] Inventio, Dispositio, Pronunciatio, Memoria, Elocutio. Si hae quinque res in aliquo convenerint, orator est. Si autem una defuerit, orator non est. Et hac similitudine dicuntur partes, cum sint officia oratoris.

Species autem artis rhetoricae sunt genera causarum. Genera vero causarum sunt i. e. qualitates causarum generales secundum ipsarum fines. Nam fines causarum sunt, ut superius dictum est, aut justum, aut honestum, aut utile. Non igitur omnes causae qualitatem hanc recipiunt, quod aut judiciales aut demonstrativae aut deliberativae dicuntur. Generales vero ideo dicuntur hujusmodi qualitates causarum, quoniam unumquodque istorum generum omnes constitutiones continet. Bene dicuntur genera causarum, quoniam ex qualitatibus praedictorum finium omnes causae gignuntur. Species vero artis rhetoricae in singulis dicuntur genera causarum, non quod rhetorica de ipsis praedicetur, sed hac similitudine, quod omnes partes rhetoricae in singulis causarum generibus [2] exerceantur, sicut genus totum singulis speciebus inest.

Instrumentum autem rhetoricae artis est oratio rhetorica, quae constat ex VI partibus: [3] Exordio, Narratione, Partitione et ceteris, quia orator per eam agit

1 Cf. Boëthius l. c. p. 162. — 2 Cf. Boëthius l. c. p. 170. — 3 Cf. Boëthius l. c. p. 163. et 170.

agit, sicut aliquis artifex per instrumentum agit in materiam.

Artifex vero hujus artis est [1] orator. Orator vero est vir bonus, dicendi peritus, qui in privatis et publicis causis plena et perfecta utitur eloquentia. Rhetor vero et orator in hoc differunt, quod rhetor quidem doctor est artis: orator vero qui secundum artem causas civiles tractare novit. Et saepe contingit quod neque rhetores sint oratores, neque oratores rhetores.

Ars autem ista rhetorica dicitur a copia loquendi. [2] Rhetorice Graece, Copia loquendi Latine dicitur quod eloquentem faciat.

Ostensis illis quae circa artem rhetoricam consideranda sunt, nunc quae circa hunc librum Tullii inquirenda sunt, dicendum est.

Intentio Tullii in hoc opere est, unam solam partem artis rhetoricae, scilicet Inventionem, docere.

Utilitas vero libri est scientia inveniendi rhetoricam.

Hinc accedamus ad Prooemium.

[Commentarius.]

Cap. I. §. 1. *Saepe et multum hoc mecum cogi-*

1 Cf. Boëthius l. c. p. 170. — 2 Codex habet: *Rethoros.*

gitavi. Studendum esse arti rhetoricae Tullius intendit persuadere, tum artem rhetoricam commendando in qua reddit attentos lectores, tum eandem defendendo contra Platonem et Aristotelem. Quorum Plato affirmaverat rhetoricam non esse artem, sed hominibus naturaliter insitam: Aristoteles autem artem quidem esse affirmabat, sed malam, eo quod per eam veritas multoties inpugnaretur quia et falsitas pro vero in opinionem hominum induceretur. Ideoque necessarium putat Tullius in hoc Prooëmio et artem probare contra Platonem, et bonam esse contra Aristotelem. In qua re auditores reddit benivolos erga artem rhetoricam, qui ab ea alienati erant auctoritate illorum philosophorum. Igitur Tullius, contra tantos philosophos locuturus, utitur quodam genere Prooëmii, quod dicitur insinuatio, quasi non audens aperte tantae auctoritati contradicere. Quid autem insinuatio sit, in sequentibus dicetur. Utitur etiam genere causae deliberativo juxta illam qualitatem, quiae dicitur causae admirabile genus causarum. Est enim admirabile genus causae, cum id defenditur, in quo auditores alienati sunt. Tullius igitur juxta ordinem deliberationis inprimis ponit ipsas causas deliberationis: deinde exsecutiones partium: postea sententiam suam quid sibi potius de alterutra parte videatur: ad ultimum probationem suae sententiae. Et in his IIII totum Prooëmium consumitur. Partes ergo deliberationis sic ponit: *Saepe cogitavi mecum an rhetorica plus boni attulerit hominibus an mali.* Non enim Tullius in hoc loco qualitatem artis, quam exercet, habet, sed quam accepit ex eis, qui ea utuntur. Artem

tem enim rhetoricam ex se bonam esse, apud omnes constat. Mala vero multa confert hominibus, si ea mali abutantur. Cum igitur constet, artem ex se bonam esse, in malis vero hominibus nocivam, in bonis artem utilem, Cum, inquam, hoc sit, Tullius inquirit simpliciter an bona an mala sit; hoc enim ambiguitatem faceret, utrum de natura artis, an de effectu deliberaretur: immo vero circa effectum deliberat, an plus boni scilicet, an plus mali hominibus efficiat. Si enim plus mali confert, malam esse hominibus constat, qualiscunque in se fuerit, nec ei studendum est. Quod Aristoteles putavit. Si autem plus boni, bonam esse putandum est. Bonum vero sive malum [1] aequivoce dicitur, vel quod retinet in se qualitatem alterius eorum, vel quod bonam rem vel malam efficit. Dicit autem Tullius se *saepe* cogitasse. Notat frequentiam cogitationis. *Multum* vero notat assiduitatem studii. *Secum* autem, ut genus deliberationis ostenderet; deliberat enim quis aliquando secum, aliquando cum aliis. Bono autem ordine quaesivit, bonine an mali plus attulerit: quoniam eloquentia prius profuit, postea vero nocuit, *hominibus* id est rebus privatis, et *civitatibus* id est rebus publicis. Nam in his duobus constat [2] respublica.

Copia dicendi ac summum eloquentiae studium. Alterum istorum effectus est artis rhetoricae, i. e.

co-

1 Adv. *aequivoce* (Gr. ὁμωνύμως) in Lexicis nondum reperitur. — 2 Idem dixit Victorinus, non ad h. l sed paulo inferius (p. 14. 14. Orell.) *Hominibus et civitatibus : his duobus enim respublica conflata est.*

copia dicendi quae est eloquentia, quoniam rhetorica eloquentes facit. Alterum autem cura est artis rhetoricae, quoniam si quis perfecte in eloquentia studuerit, per illud *studium summum* i. e. perfectum, artem rhetoricam assequi potest. Bene ergo Tullius artem rhetoricam per ejus curam atque effectum designavit.

Nam et cum nostrae reip. detrimentum considero. Hic incipit partium deliberationis executio. Exsequi autem partes praedictae deliberationis nihil est aliud quam ostendere, partim commoda, partim incommoda, ex rhetorica consecuta esse: ut inquiratur quae eorum magis ex ea consecuta sint. Quum igitur Tullius insinuatione utitur ut defensione insinuet, prius partem incommodorum ostendit dicens: Nam cum *considero detrimenta* i. e. deminutiones nostrae r. p. quas praesens oculis vidi, et cum *colligam in animo* i. e. fama et memoria recolo, maximarum civitatum veteres *calamitates* i. e. debilitationes sive destructiones, Cum, inquam, haec considero quasi praesens, illudque colligo quasi absens, *video* i. e. intelligo, non minimam partem incommodorum invectam esse *per disertissimos homines* i. e. per eos qui habent satis eloquentiae, parum vero vel nihil sapientiae. Dicendo autem *detrimentum*, quod leve damnum dici solet, et *veteres calamitates*, non novas, et *non minimam partem incommodorum*, haec, inquam, dicendo, satis attenuat partem illam, quae ad vituperium artis rhetoricae pertinere videtur. Non autem dicit inventum esse malum per artem rhetoricam sed per di-

disertissimos, ut non arti, sed arte abutenti culpa adscribatur.

Cum autem res a nostra memoria propter vetustatem remotas cet. Partem commodorum hic ponit; et sicut studio defendendi artem, partem incommodorum attenuavit, ita eodem studio partem studiorum amplificat dicens: *cum instituo* [1] *repetere* i. e. cum propono ad memoriam reducere, *ex litterarum monumentis* i. e. per annales aut per historias, *res a nostra memoria propter vetustatem remotas* i. e. res ante nostram aetatem gestas et quae propter antiquitatem a communi memoria ceciderunt, Cum, inquam, haec considero, intelligo *ex eloquentia* i. e. ex rhetorica, *rationi animi* i. e. juncta sapientiae, haec bona provenire: urbium scilicet constitutiones et cetera quae sequuntur, quae definire superfluum judicavi. Suasi (sic) enim omnia rhetorice frequenter praedicta provenire solent. Quod autem dixit ea fieri *facilius per eloquentiam*, sic est intelligendum: quod haec duo, sapientia scilicet et eloquentia, in rectis persuasionibus se coadunant et neutrum sine altero va-

1 *Repetere* est verbum Ciceronis, pro quo Codex perperam habet *repente*. Ex hujusmodi autem vitio suspicari posse mihi videor, hunc Commentarium ex antiquiori Codice esse descriptum, nec eum habere auctorem, eujus manu exaratus sit. Eamdem suspicionem confirmant lacunae, quae passim in hoc Commentario prostant: quin et, quae Praefationi subscripta est, vox *Explicit*, quam fere dubito an ipsi auctores exemplaribus a se scriptis subjicere consueverint.

valet. Sed tamen ejus rei instrumentum majus eloquentia est.

Ac me quidem diu cogitantem cet. Positis [1] partibus deliberationis et eisdem [2] executis, ponit in hoc loco suam sententiam quatuor propositionibus comprehensam, quarum tres praemittit et easdem probat. Et quibus probatis quartam in fine Prooëmii infert, scilicet: [3] studendum esse eloquentiae. Illarum vero propositionum, quas praemittit et probat, prima est: *quod sapientia sine eloquentia parum prosit civitatibus* i. e. ad congregandum homines ut jure vivant, quod maxime per eloquentiam administratur. Secunda propositio est: *Eloquentiam sine sapientia nimis obesse, numquam vero prodesse.*

Plerumque autem ideo dixit, quia nec semper nec nimis semper nocet sed ubi ait quod *ratio duxit eum in hanc sententiam.*

Quare si quis omissis rectissimis et honestissimis studiis cet. Positis duabus propositionibus, prima scilicet atque secunda, ex eis sic infert: quia eloquentia sine sapientia multum obest, ergo si aliquis studuerit in sola eloquentia, is et *suis inutilis* et *patriae perniciosus* est, quia nec suis consulit et patriae nocet.

Studium autem *rationis et officii* appellavit studium sapientiae, quod philosophiam nominamus.

Est

1 Codex habet *partis*. — 2 Passiva hujus verbi forma cum alii utuntur, tum Justinus VII. 3. 2. — 3 Cf. ad c. IV. pr. p. 244.

Est enim sapientia, integra cognitio aut *rationis*, quae pertinet ad speculativam et logicam: aut *officii*, quod etiam ad Ethicam pertinet.

Rectissimum autem ad rationem refertur: *honestum* vero ad officium, quod est congruus actus uniuscujusque personae secundum morem patriae.

Exercitatio vero *dicendi* definitio est studio eloquentiae.

Qui vero ita sese armat eloquentia cet. Tertiam propositionem his verbis Tullius ostendit et est sensus verborum talis: *Qui vero ita se armat eloquentia* i. e. qui ita sapientia defendit se quasi quibusdam armis per eloquentiam ut non oppugnare patriam, sed pro ea pugnare possit i. e. per eloquentiam, sapientiae junctam, defendere patriam aptus sit, Qui, inquam, est talis, is videtur *utilis suis rationibus* i. e. rebus suis gerendis, et *publicis rationibus amicus*, in ordine gerendorum, quae ad remp. pertinent, benignus. *Ratio* enim in hoc loco, ordo gerendorum, dicitur. Bene autem dicit de isto quod is et patriae utilis sit, contra hoc quod de illo dixerat, qui solam eloquentiam tenet, quod sibi inutilis sit et patriae perniciosus.

§. 2. *Ac si volumus hujus rei quae vocatur eloquentia* cet. Propositiones superius positas ab hoc loco probare incipit, ordine converso, quo eas superius posuerat. Nam postremam propositionem primo probat: deinde mediam: ultimo loco primam. Inprimis igitur eloquentiam sapientiae junctam multum prodesse ostendit dicens: *Si volumus considerare principium eloquentiae* i. e. eloquentiae inchoationem, *reperiemus* illud principium

cau-

causa honestissima natum i. e. honestissimo impulsu animi inchoatum et *optimis rationibus perfectum* i. e. optimo ordine gestum. Nam qui vult inchoationem alicujus rei inquirere, ei primum ejusdem inchoationis causa adtendenda est. Quod autem interposuit: *sive artis* [1] . . . *studii* cet. Istud, inquam, dubitatio quaedam est de origine eloquentiae, utrum ex arte, an ex studio, an exercitatione, an ex *naturali facultate* i. e. ex ingenio naturali, nascatur. [2] Inter *studium* autem et *exercitationem* hoc interest: quod *studium* est animi ad aliquid agendum pertinacia: *exercitatio* vero suscepti actus continuatio. Ordo autem totius sententiae verborum talis est: Si, inquit, volumus considerare inchoationem eloquentiae, cujus origo aut ars est, aut studium, aut aliquid de ceteris, Si, inquam, hoc volumus considerare, reperiemus illam inchoationem ex honestissima causa natam. Inter *initium* autem et *principium* hoc interest, quod *initium* quidem in hoc loco dicitur origo eloquentiae secundum actum.

Cap. II. *Nam fuit quoddam tempus* cet. Causas, ex quibus nata est, i. e. secundum actum inchoata eloquentia, volens Tullius ostendere, primo ruditatem hominum bestialem, quae in principio mundi fuit, breviter et commode descripsit: ut per

1 Est lacuna in Codice. Supple *sive*. — 2 Plane similia leguntur in Victorini Commentario ad h. l. (p. 7. 18. Orell.) *Inter studium autem et exercitationem hoc interest: S t u d i u m est animi ad aliquid agendum pertinacia: E x e r c i t a t i o est suscepti actus continuatio.*

per eloquentiam junctam sapientiae tunc primo et propter hanc inchoatam ostendat et ruditatem illam hominum fuisse depulsam et civitates constitutas et multa alia commoda, quae littera ostenduntur Quae res facit lectores arti rhetoricae benevolos. Sensus autem verborum talis est: Quoddam tempus fuit in principio mundi, in quo homines rudes erant et more bestiarum vivebant, nec ullum studium sapientiae exercebant, sed solas vires corporis absque ulla ratione. In quo tempore quidam vir sapiens et eloquens, qui in homine animam divinam et rationem inesse videbat, unde videlicet sciebat eum aptum esse et cui persuaderi posset, idcirco tunc et cetera. Hac de causa impulsus ille sapiens coepit uti eloquentia et ruditatem illorum depulit et homines ad jure vivendum congregavit et congregatis jura recte vivendi monstravit. In qua sententia ostenditur et inchoatio exercitii eloquentiae et causa ex qua coepit exerceri et ordo quo commodissime gesta est et profuit. Nunc litteram perscrutemur:

Vagabantur notat sine domibus esse.

Propagabant vitam i. e. sustentabant.

Ferino victu i. e. crudis carnibus et his cibis quibus ferae solent uti. Vel *ferino victu*, quia more ferarum ultra diurnam ventris satietatem non prospiciebant.

Pleraque dicit, quia non omnia *viribus corporis administrabant* i. e. faciebant. Nam naturales appetitus, ut esurire, sitire et talia, non viribus nec ratione agebant.

Nondum divinae religionis cet. Hic dicit eos non-

nondum exercuisse studium sapientiae, quae in duobus, in divinis scilicet et humanis, versatur.

Rationem autem *divinae religionis*, cognitionem divinorum appellavit, quae rhetorica i. e. speculativa dicitur.

Rationem autem *officii*, humanorum cognitionem, quam Ethicam vocant.

Nemo nuptias, cet. Persequitur ea quae ad Ethicam pertinent, quoniam ea sunt, circa quae maxime orator versatur.

Nuptias legitimas vocat copulationem maris et feminae secundum legum dispensationem.

Incertos autem *liberos*, quorum parentes ignorantur. Qui ideo incerti erant, quia legitimae nuptiae non erant.

Jus autem appellavit justitiam. Quod addidit *aequabile*, proprietas justitiae est, eo quod per eam distribuitur unicuique quod suum est.

Non acceperat dixit quasi ab alio non didicerat.

Ita propter errorem cet. Inter *errorem* et [1] *inscientiam* hoc interest, quod *inscientia* est nescire quod vere nescias: *error* vero est [2] si putas te scire quod nescis. Et *caecitatem* ad inscientiam: *temeritatem* retulit ad errorem.

Perniciosissimis satellitibus cet. Vires corporis dicit esse cupiditatis ministras ad se saturandam, quae cupiditas in animis hominum quamdam exercet

1 Codex habet *scientiam*. — 2 In Codice bis leguntur verba *si putas*.

cet tyrannidem, postquam usus orationis deëst. *Abutebatur* videtur quasi male utebatur.

Quo tempore quidam magnus cet. Tempus, quando usus eloquentiae inchoatus est, ostendit. *Magnum* vero dicit *virum* propter virtutem: *sapientem* propter discretionem.

Materiam autem *inesse animis hominum*: quae materia possibilitas est ipsius animi ut ex rudi fiat ipse virtuosus, aut discretus, aut e[1] . . . . .

Opportunitatem vero *ad maximas res*, appellat ipsius animi facilitatem ad motum faciendum. Si per doctrinam ipse animus *eliciatur* i. e. ad actum commoneatur. Sunt enim multae materiae, ex quibus, etsi non facile, tamen possibile est aliquid fieri. Quorum utrumque animis hominum inerat. Unde boni naturaliter sunt meliores per doctrinam effecti.

Qui dispersos homines cet. Diximus superius quid esset causa ex qua eloquentia nata fuit, et quid esset *ratio* i. e. gerendae ordo necessarius, quo ipsa eloquentia perfecta est. Causam superius ostendit. Nunc ergo de ratione dicit et idcirco ait: *ratione quadam compulit in unum*. Ut autem ostenderet ordinem gerendae, ideo dixit *compulit*, [2] quasi invitos: deinde vero *congregavit*, quasi jam volentes.

Inducens, quasi inductionibus utens ad ostendendum quid utile, quid honestum.

Com-

1 Post literam *c* vacuum in Codice relinquitur spatium. Suspicor deësse *comis*, vel simile quid quod respondeat Ciceronis verbis *ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos*. Ceterum attende vocabula *discretio*, *virtuosus* et *discretus*. — 2 Haec auctor debet Victorino, qui ad h. l. (p. 9 38. Or.) sic scripsit: *Compulit, quasi invitorum est: jam*

Gravi inquit *ac suavi.* [1] Gravitas ad sententiam, suavitas vero ad verborum ornatum refertur.

Ad jus vero *descendere sine vi* nihil est aliud quam sine ulla [2] coactione ad tenendam justitiam [3] humiliari.

Jocundissimam vero *consuetudinem* appellat bestialem hominum superius [4] descriptionem, quae propter antiquitatem vim naturae obtinebat.

Ac primo quidem sic nata cet. Probavit propositiones has, scilicet: eloquentiam sapientiae junctam multum prodesse, et sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus. Repetit igitur breviter quae praedicta sunt, ut ad aliam propositionem transeat. Dicit enim *eloquentiam sic natam* i. e. inchoatam, sicut ipse superius ostendit: dicit etiam esse *longius progressam* et optima ratione perfectam, sicut ipse ostendit.

Maximas vero *res pacis et belli* appellat ea, quae per eloquentiam gesta sunt tam pace quam bello.

Sum-

1. Haec iterum Victorino debentur, quamquam non nominato. Is utique ad h. l. (p. 12. 42. Or.) scripsit: *Gravitatem ad sapientiam, suavitatem ad eloquentiam referamus. Immo gravitatem ad sententias, suavitatem ad verborum ornamenta referamus.* — 2 *Sine coactione* dicit *sine impulsione violenta*; qua significatione hanc vocem ab aliis usurpatam esse, Lexica non docent. — 3 Vox frequens Scriptoribus Ecclesiasticis, ut Cypriano, Salviano, aliisque; sed apud bonos scriptores non obvia. — 4 Attende dictionis formam *bestialem hominum superius descriptionem*, pro, bestialem descriptionem superius memoratam, vel, bestialem hominum conditionem superius (nimirum ab initio hujus Capitis) descriptam.

Summam autem *utilitatem* appellat eam, quae cum honesto est.

Postquam vero commoditas cet. Tertiam hic incipit probare propositionem, scilicet: eloquentiam sine sapientia multum obesse. Dicit autem quosdam versutos homines fuisse, qui, consecuti eloquentiam sine sapientia, perverterunt urbes et vitas hominum labefactaverunt. Littera vero sic jungenda est: Eloquentia juncta sapientiae, ut praedictum est, multum profuit. Sed *postquam commoditas quaedam* i. e. [1] similitudo prava: *prava virtutis imitatrix*, sunt enim quidam, qui per eloquentiam simulant se habere sapientiam, cum non habeant: *sine ratione officii* i. e. sine sapientia, *dicendi copiam* i. e. eloquentiam, consecuti sunt; *tum ingenio freta malitia* i. e. mali homines in calliditate sua confisi, *perverterunt urbes* i. e. a bono statu ad malum deduxerunt, et *vitas hominum labefactaverunt* i. e. a virtute in vitium cadere fecerunt. Notanda vero est differentia inter sapientiam et calliditatem. Nam sapientia numquam sine virtute; calliditas vero in multis sine virtute reperitur.

Cap. III. *Atque exordium hujus quoque* cet. Sicut superius ostendit multa bona per eloquentiam in-

1 Quod Scholiastes *similitudo*, id Cicero *simulatio* vocat ad Att VII. 1. *Quam non est facilis virtus! quam vero difficilis ejus diuturna simulatio!* et in Bruto c. XIV. *L. Brutus summum prudentiam simulatione stultitiae texit.*

inchoata esse et ad finem perducta; ita in hoc loco ostendit inchoationem mali, quod per eloquentiam vacuam a sapientia contingit, dicens, sibi videri quoddam tempus fuisse in quo eloquentes homines, qui et sapientes essent, occupatos fuisse circa solas res publicas nec ad privata negotia accedere potuisse. Quoniam vero sapientes non poterant accedere ad privata negotia, asserit Tullius, quosdam versutos homines tum fuisse, qui, in privatis negotiis se exercentes, et tantam garrulitatem consecuti sunt ut verum contradicerent, et ex assiduitate dicendi ita audaces facti sunt ut multas injurias civibus et amicis sapientum inferrent. Propter quas injurias oportuit illos superiores, causa defendendi amicos suos, ad privatas causas accedere. Ibique cum illi garruli propter clamorem pares aut superiores esse sapientibus a vulgo crederentur; inde fiebat ut a plebe indocta ad gubernationem civitatum garruli eligerentur. Ac per hoc rebus publicis maximum periculum merito contigit, atque ita eloquentia sine sapientia multum obfuit. Nunc textum inquiramus:

§. 4. *Veri simillimum* i. e. valde veri simile. Confirmat opinionem suam sine dubietate esse.

Neque in publicis. Publicas res appellat communia in civitate, ut est ipsa civitas et muri et templa et consimilia: Causas scilicet publicas ad haec pertinentes.

Infantes vocat ineloquentes.

Nec vero ad privatas cet. Privatas causas dicit, causas pertinentes ad res uniuscujusque.

Ma-

Magnos ac disertos. [1] Magnos i. e. sapientes; disertos i. e. eloquentes, contra hoc quod dixerat infantes et insipientes.

Sed cum a summis. Summos vocat, quos superius magnos ac disertos, propterea quod in summitate reipublicae constituti erant.

Maximas res dicit res publicas.

Callidos vocat versutos [2] qui dolo ac fraude virtutem imitantur.

Ad parvas cet. Privata causa, alia parva, alia magna. Dicit ergo illos magnos a parvis incepisse, deinde ad magnas causas se ingessisse.

Quibus in controversiis cet. De parvis dicit a quibus inceperunt.

Stare vero *a mendacio contra verum* est, uti mendacii oratione contra veram causam. Cum ergo sic incepissent et in parvis loqui contra verum consuevissent, assiduitas dicendi aluit audaciam et ita fecit eos audaces ut etiam ad magnas causas se ingererent et amicis magnorum hominum tantas injurias inferrent, ut *necessario* i. e. quadam necessitate, non enim sua sponte, *illi superiores* i. e. reip. administratores, *propter injurias civium* i. e. illatas civibus, *cogerentur* i. e. inviti compellerentur, *opitulari* i. e. auxiliari, *suis necessariis* i. e. amicis. Necessarius autem amicus dicitur ab amicitiae utilitate. *Ita-*

1 Victorinus ad h. l. (p. 15. 8. Or.) *Ideo quia publica fuerunt anteponenda privatis, magnos ad sapientiam; disertos ad eloquentiam referamus.* — 2 Victorinus ad h. l. (p. 15. 10. Or.) *Callidi sunt, qui dolo ac fraude exitum virtutis imitantur.*

Itaque cum in dicendo cet. Dictum est magnos homines in causis amicorum restitisse malis: et ita cum *in dicendo* i. e. in agendo causas, *par* aut *superior* i. e. aequalis aut victor, *visus esset* i. e. falso crederetur, *is qui omisso studio* i. e. dimisso. Notat negligentiam. *Studium sapientiae* Philosophiam vocat. *Nihil praeter eloquentiam comparavisset* i. e. acquisivisset. Cum, inquam, ita esset, contingebat ut *multitudinis judicio* i. e. stultorum existimatione. [1] Nam multitudo stultorum est, paucitas vero sapientium. *Et suo judicio.* Non est sapiens qui se laudando ingerit. *Videretur* [2] . . . et dignus rector reipublicae reputaretur.

Hinc nimirum cet. Quia mali homines facti sunt rectores civitatum, inde nimirum res pervenit ad hunc exitum, ut respublica periclitaretur.

Non injuria dicit, quia merito damnum patitur qui se inconsulte rectorem eligit.

Ad gubernacula i. e. ad regimen: et est metaphora inter navem et civitatem, rectorem et nautam: nam gubernacula et naufragia navium sunt.

Temerarii atque audaces. [3] Hoc est inter audacem

1 Victorinus ad h. l. (p. 15. 21. Or.) *Multitudinis, inquit, judicio. Jam in multitudine varietas ipsa vilis est. Quod autem ait suo judicio, hoc quoque irritum est. Quisnam aut de se potest aut debet habere judicium?* — 2 Lacuna in Codice. — 3 Victorinus ad h. l. (p. 15. 31. Or.) *Hoc autem interest inter audacem et temerarium: Audax potest interdum et pro bono accipi: temerarius non nisi malus.*

tem et temerarium, quod temerarius saepe in malo ponitur: audax vero potest interdum et pro bono accipi. Bene itaque Tullius, postquam dixit *temerarios*, subjunxit *audaces*, ut ex praecedenti verbo qualitas audaciae notaretur.

Maxima et miserrima naufragia. [1] Perseverat in metaphora. Post *maxima* subjunxit *miserrima*; ut augeret. Quorum primum ad quantitatem, alterum vero ad qualitatem refertur.

Quibus rebus cet. Dictum est eloquentiam in malis hominibus habuisse malum effectum, tam in privatis causis, quam in regimine civitatum. Dicit ergo *propter has res* i. e. propter hos effectus quos habuit in malis, *tantum odii suscepisse* i. e. in tantum habitam esse odio atque *invidiae* i. e. infestationi. Invidia enim et livorem significat et infestationem. Ac si diceret: in tantum propter praedictum incommodum facta est eloquentia infesta ut homines ingeniosissimi, sicut Aristoteles et Plato et eorum multi sequaces, *ex seditiosa et tumultuosa vita* i. e. ex studio eloquentiae seditioso, propter discordias quas mali persuadebant: *tumultuosa* propter contentiones eorum irrationabiles; ut illi ingeniosi ex tali vitae studio *ad cetera studia quieta* i. e. ad alias artes quae his litibus carent, sese transferrent; sicut aliquis nauta, turbatus tempestate, libenter se transfert in portum. Eandem metapho-

1 Victorinus ad h. l. (p. 15. 28. Or.) *In metaphora permansit: gubernaculum et naufragia utrumque navis.*

phoram tenet, quam supra notavimus. Vel de rectoribus civitatum dicit quod indignati omnes publicas res dimiserint et in otium se contulerint.

Quare mihi videntur cet. Quia ingeniosi dimiserunt studium eloquentiae i. e. rhetoricam, et ad ceteras artes, ad Theoriam scilicet et Practicam, se contulerunt, ideo, inquit Tullius, videntur mihi *cetera studia* i. e. ceterae artes, *recta atque honesta*. Recta, quantum ad practicam; honesta vero, quantum ad theoriam.

Per otium concelebrata cet. Otium hic appellat cessationem ab administratione rerum [1] secularium.

Concelebrata dicit ab eis laudabiliter tractata.

Enituisse i. e. claruisse, tum fama tum pulchritudine.

Hoc vero id est studium rhetoricae.

A plerisque eorum. Quasi diceret non ab [2] hominibus. *Desertum obsolevisse* i. e. [3] viluisse.

Eo tempore cet. Desertum dico, quoniam multo vehementius erat tenendum et studendo adaugendum. *Vehementiam* vocat in hoc loco perseverantiam in aliqua re. Quaeritur in hoc loco quos Tullius reprehendat, an eos, quos superius optimos vocavit, an alios. Et dicimus quod alios reprehendat, Graecos scilicet auctores, in quibus indignatio superavit perseverantiam. Sic ergo intelligendum est quod dixit *plerisque eorum* i. e. ingeniosorum, non

1 Dilecta vox Scriptorum Ecclesiasticorum. — 2 Lege: *non ab omnibus*. — 3 Forma perfecta hujus verbi utitur quoque Avienus in Paraphrasi Phaenom. Arati vs. 318. *At postquam argento deformis viluit aetas.*

non optimorum. Sunt enim multi ingeniosi qui virtute carent.

§. 5. *Nam quo indignius* cet. In studio artis rhetoricae perseverandum fuisse, probat ab honesto et ab utili. Dicit ergo: nam *quo* i. e. quanto, *indignius* i. e. contra rei dignitatem, rem honestam cet.

Rem honestam et rectam vocat studium eloquentiae: *honestum* quidem, quia honorabile est: *rectum* vero, quia per eloquentiam rectum ostenditur. Et est persuasio ab honesto.

Violabat i. e. corrumpebat.

Stultorum cet. Hic persuadet a facili: nam qui *stulti* i. e. insipientes, sunt, et *improbi* i. e. virtute carentes, erant adversarii; idcirco eis resistere facile fuit.

Cum summo reip. detrimento cet. Hic ab utili persuadet. Nam quoniam ipsi mali magnum *detrimentum* i. e. deminutionem reip. inferebant, ideo eis resistere utile fuit.

Eo studiosius cet. Tota constructio sic colligenda est: Nam quanto indignius cet. *eo* i. e. tanto, *studiosius* i. e. attentius, est illis resistendum in causis scilicet deliberativis.

Cap. IV. *Quod illum nostrum* cet. Persuadet ab auctoritate.

Quod i. e. malis resistere.

Non fugit Catonem i. e. Cato illud [1] fugit.

Nostrum i. e. Romanum. Praefert Romanos Graecis, qui Graeci propter garrulos a studio rhetoricae cito desierant.

Qui-

1 Lege: *scivit.*

Quibus in summa virtus cet. Commendat illos, quorum auctoritatem persuadet, dicendo eos *summam habere virtutem* i. e. perfectam sapientiam et summam virtutem. In quibusdam auctoritas, sed non magna, quia non habent perfectam sapientiam; sed in his est maxima auctoritas, qui perfectam sapientiam habent.

Et quae his rebus cet. Dicit sapientiam et auctoritatem per eloquentiam ornari et per eamdem defendi rempublicam.

Quare meo quidem animo cet. Quia honestum, quia utile, quia facile, quia magni viri studuerunt, ergo non minus propter malos studendum est eloquentiae. Secundum [1] Victorinum hic ponitur quarta propositio, haec scilicet: quod eloquentiae [2] studium sit. Unde sapientes hortatur ut eloquentiae studeant.

Meo animo i. e. secundum meam aestimationem.

Etsi i. e. quamvis.

Privatim et publice i. e. in privatis causis et publicis.

Perverse abutuntur i. e. pervertendo res ea utuntur.

Sed eo vehementius cet. Studendum esse eloquentiae, hortando persuadet ab utili, ab honesto,

a

1 Victorinus ad h. l. (p. 171 33. Or.) *Ne quis ergo existimet eloquentiam semper esse fugiendam, quippe multa incommoda per hanc contigisse monstravit, necessario quarta haec thesis est, studendum eloquentiae, sed quae mixta sit sapientiae. Et est hic quasi exhortatio.* — 2 Lege: *studendum sit.* Et ita supra scripsit ad c. I. p. 228.

a possibili. Et ab hoc loco quidem incipit artem rhetoricam commendare, reddens attentos. Dicit ergo, non minus propter malos studendum, sed vehementius.

Ne mali plurimum possint i. e. ne in summa potestate sint, quorum potestas ad detrimentum bonorum est et ad omnium *perniciem* i. e. destructionem. Hortatio est ab utili. Utile est enim mala repellere.

Cum praesertim cet. Item hortatio ab utili, ab honesto.

Cum praesertim i. e. cum praecipue hoc sit *unum* s. unicum et singulare, quod et ad privata et ad publica maxime *pertineat* i. e. utile sit.

Hoc tuta. Quia per eloquentiam tuemur et defendimus.

Hoc honesta. Hucusque ab utili, immo ab honesto simul et ab utili. Dicit ergo hoc *honesta* i. e. venerabilis.

Hoc illustris i. e. magnae famae, quod est utile et honestum.

Hoc eodem. Ac si diceret: per eloquentiam homo *jocundus est* i. e. placet, quod similiter utile et honestum est.

Nam hinc cet. Determinat quomodo eloquentia utilis sit tam in publicis quam in privatis, ita scilicet: *si praesto est sapientia* i. e. si juncta est sapientiae, et hoc quod ait: *Nam hinc* cet. quantum ad publica. *Hinc ad ipsos* cet. hoc dicitur quantum ad privata.

Laus ad illustre, *honos* vero et *dignitas* ad honestum.

Hinc

Hinc amicis quoque cet. Hoc ad tutum refertur. Tutum autem posset esse praesidium non etiam certum; idcirco haec duo conjunxit.

Ac mihi quidem. Augmentum laudis rhetoricae per comparationem talem: Cum, inquit, homines [1] in multis rebus *humiliores*, quantum ad magnitudinem, et *infirmiores* bestiis, quantum ad vires, tamen in hoc bestias omnes maxime superant, quod *loqui* [2] *possunt* i. e. quod apti nati sunt ad loquendum. *Maxime* vero dicit, quia etiam calliditate superant.

Quare praeclarum cet. Quia praeclarum est homini in loquendo superare bestias: ergo multo praeclarius est alios homines in eodem superare; quod contingit ex rhetorica, ut scilicet in ea re antecellat hominibus, in qua re ipsi homines praestant bestiis.

Hoc si forte cet. Usque ad hunc locum contra Aristotelem probavit rhetoricam bonam esse ex effectu ejus, [3] scilicet ex eloquentia, quae bona est. [4] A modo vero contra Platonem, qui dicebat rhetoricam non esse artem sed naturam. Dicit ergo sic: *hoc*, scilicet eloquentia, si forte *non natura modo* i. e. si non tantummodo ex naturali ingenio habetur. Praeclare dixit *non tantummodo:* est enim initium eloquentiae a natura: ab arte vero perfectio. *Forte* vero dixit, quia temperate contra Platonem loqui voluit.

Neque exercitatione cet. Voluerunt quidam solo usu

1 Codex perperam habet: *non multis*, — 2 Codex iterum habet: *loqui non possunt.* — 3 Sic legendum pro eo, quod in Codice est, *si.* — 4 Attende voculam *a modo.*

uni absque arte acquiri eloquentiam, quos iterum repellit. Et sic colligitur tota constructio: Si non tantummodo natura vel exercitatione eloquentia conficitur, sed etiam arte comparatur i. e. acquiritur. Commendat a possibili. Studendum enim eloquentiae est, quia arte comprehendi potest. Si, inquam, hoc est, non est *alienum* i. e. ab utilitate remotum, *videre* i. e. intelligere, praecepta antiquorum de rhetorica. Colligit enim Tullius illa praecepta et arcius[1] . . . . .

Sed antequam cet. Postquam fecit Tullius benivolos lectores defendendo artem: attentos autem, eamdem commendando: nunc demum reddit lectores dociles, praelibando ea de quibus tractaturus est.

Nam his rebus cet. Reddit causam quare ista, quibus ars extrinsecus continetur,[2]

Facile vero est, quod sine magno labore potest fieri: *expeditum* vero, quod sine ullo.

Rationem vero *et viam artis* appellat praecepta artis rationabiliter ordinata.

Cap. V. §. 6. *Civilis quaedam ratio est.* Et jam ostendit genus artis. Dictum est autem in principio, quid esset genus artis. Nunc ergo litteram videamus. Dicendo autem *quamdam civilem rationem* esse *quae constat ex multis* cet. hoc, inquam, dicendo significat illam civilem rationem quae versatur in disceptatione. Alia est enim civilis ratio in

1 Lacuna in Codice. — 2 Sine dubio ad h. l. deest verbum, quamquam in Codice non reperitur vacuum spatium.

in opere ut aliquid facere aut dicere sine ulla disceptatione de eis: alia vero ratio est disceptandi de dictis et factis. Haec disceptatrix [1] dicitur scientia dicendi et faciendi et constat *ex* [2] *multis rebus* quantum ad numerum, *ex magnis* quantum ad hoc quod utilia et difficilia sunt, de quibus in ea disceptatur, ut est honestum, justum, utile. Hujus disceptatricis integralis pars una est rhetorica: alia vero sapientia i. e. rerum conceptio secundum earum naturam. Nam rhetorica juncta sapientiae facit civilem scientiam disceptatricem. Nisi enim quis eloquens fuerit et naturam rerum bene cognoverit, civilem scientiam habere non potest. *Amplam* vero dixit, quasi ad multa: *magnam*, quasi ad utilia et difficilia, pertinentem. *Artificiosam* vero *eloquentiam* rhetoricam vocavit, quasi artificium eloquendi.

Nam neque cum his cet. Fuerunt multi quorum alii putabant civilem scientiam tantum esse rhetoricam: alii vero eam esse solam sapientiam et non ex his constare. Ab utrisque dicit se Tullius dissentire et hoc est quod ait: *Nam neque cum his* cet.

Rhetoris vi et artificio cet. *Artificium* rhetoris appellat scientiam docendi artem rhetoricam. *Vim* vero, scientiam exercendi ipsam secundum praecepta.

Qua-

1 Verba *dicitur scientia — hujus disceptatricis* bis in Codice leguntur; qua re iterum confirmari opinor, hunc Commentarium non autographum esse. — 2 In Codice legitur *multibus*; cujusmodi vitium a librario, non ab auctore, committi potuit. Similiter in Scholiis ad Virgilium MSS. ineditis, quae Bibliotheca Leidensis possidet, ad Georg. I. 314. librarius scripsit *maturibus frugibus*.

Quare hanc cet. Quia rhetorica juncta sapientiae facit civilem scientiam. Igitur rhetorica est scientia hujus generis i. e. qualitatis, quod sit pars civilis scientiae. Unde in hoc loco pro qualitate rei sive materia accipitur. *Facultatem* vero rhetoricam appellat ab effectu suo, eo quod [1] facilem et aptum in eloquendo reddit oratorem.

Officium autem cet. Ostendit officium artis rhetoricae et finem, et inter ipsa differentiam. Quae quoniam superius diligenter expedita sunt, nunc de littera aliquid dicamus:

Quod in officio cet. Quod est dicere: *Officium* consideratur, quando, quid orator debeat facere secundum artem, adtenditur. *Finis* vero, quando, quid *officio conveniat* i. e. secundum officium fieri debeat, consideratur.

Ut medici officium dicimus esse cet. Similitudo est, per quam praedicta intelligantur.

Item oratoris cet. Adaptatio similitudinis.

Item hoc est similiter.

§. 7. *Materiam artis* cet. Docet nos materiam artis rhetoricae. Sed quoniam diligenter dictum est in superioribus quid sit artis rhetoricae materia et quibus in generibus contineatur, nunc solam sufficit litteram investigare:

Ars et *facultas* in hoc differunt: quod *ars* est praeceptio, quod ad aliquid faciendum praecepta formamus, et vocatur ars eo quod regulis [2] arcet. *Fa-*

1 Ita rectius ἐτυμολογεῖται quam supra p. 218. et mox ad §. 7. — 2 Lege *arctet*, ut supra p. 218.

Facultas vero eadem res dicitur, eo quod facundum reddat. Facultas tamen ab arte procedit, quoniam per praeceptionem fit aliquis facundus. Sicut igitur artis materia causa est, in eadem causa facultatis materiam esse necesse est, quoniam orator secundum facultatem, quam ex arte consequitur, causas pertractat.

Omnis ars dixit, quia generaliter de materia cujuslibet artis praemisit ut competentius ad artem rhetoricam descenderet.

Ut medicinae cet. Similitudinem de una arte ad aliam.

Artem vero versari in materia nihil est aliud quam eam in materia exerceri.

Item quibus cet. Adaptatio similitudinis: ad artem rhetoricam descensus. Forsitan dicet aliquis quod hic potius ea dici debuissent, quae ante dicta sunt. Sed idcirco praemisimus quod eorum cognitio [1] . . . . .

Has autem res, alii plures, alii pauciores existimaverunt. Opiniones quorumdam auctorum ponit de materia artis rhetoricae.

Plures autem dixit propter eos, qui materiam supra modum assignaverunt, sicut illi qui exhortationem et consolationem in materia ponunt.

Pauciores vero propter eos, qui ultra modum materiam assignant: sicut illi qui demonstrativam causam de materia tollunt.

Nam Gorgias cet. Ostendit qui ultra modum ma-

1 Lacuna in Codice.

materiam designant; illi scilicet, qui in verbis Gorgiae erraverunt, putantes quod ille philosophus omnem rem artis rhetoricae materiam assignasset.

De omnibus rebus oratorem optime posse dicere existimavit. Sed ille veram sententiam protulit, quam [1] Tullius quoque in libro de Oratore confirmat. Non enim dixit quod de omnibus rebus loqueretur, quod illi putaverunt; sed *optime de omnibus* i. e. de quacunque loquitur, de ea optime loquitur. Veluti dicitur: litteratus et sapiens optime omnia exponit, non quod omnia, sed quod ea de quibus omnibus loquitur. Unde Tullius non reprehendit eum cum Hermagoram reprehendat, ponentem materiam in paucioribus multo quam omnes res sint.

Hic infinitam et immensam huic artificio materiam subjicere videtur. *Infinitum* plus est quam immensum, et ad numerum refertur: *immensum* autem, ad quantitatem. *Videtur* autem dixit, quantum ad eos, qui putaverunt, eum dixisse quod non dixit.

Aristoteles autem qui huic arti plurima adjumenta atque ornamenta subministravit cet. Opinionem Aristotelis de materia ponit, quam etiam sequitur, quoniam nihil ultra modum de materia constituit. Nam Aristoteles putavit materiam rhetoris i. e. oratoris, *in tribus generibus rerum* contineri i. e. nec ultra portendi nec infra contrahi, scilicet in demonstrativa causa et deliberativa et judiciali. Dicit autem Aristotelem huic *plurima*

1 Cicero de Orat. I. 21. III. 32.

ma adjumenta tribuere, quoniam primus inventionem distincte et aperte scripsit. Inventio enim adjumentum oratoris dicitur, quoniam per eam et se defendit et adversarios [1] impugnat. [2] *Adjumenta* autem tribuit Aristoteles, quoniam ipse primus elocutionem sub certis regulis comprehendit.

Demonstrativum est cet. Dixit illa tria materiam artis rhetoricae esse. Vult hic ostendere quid sit unumquodque eorum. Dicit ergo demonstrativam causam esse *quod tribuitur in alicujus* cet. i. e. quae tractatur de laude aut vituperatione alicujus certae personae. Sciendum vero est, Tullium definire hic demonstrativam causam secundum hoc quod individua est et in publicis negotiis agitur. Nam in privatis negotiis inter consultos juris vel ante praetorem specialiter i. e. sine certa persona tractari solent, quoniam factis vir laudatur generaliter. Et quamvis hujusmodi causa nomine certae personae careat, tamen, quoniam habet alias circumstantias aliquas, vel nonnumquam omnes, idcirco convenienter causa appellatur.

Deliberativum vero dicitur, quae proposita est in *disceptatione* hoc est....

[Reliqua desunt.]

In sequenti Codicis folio incipit textus libri primi de Invent. Rhet. eadem manu, qua hicce Commentarius, scriptus: sed non ad finem perductus. Imo, quum versa secundi folii pagina vacua sit, suspicari

1 Codex habet *impugnantur*. — 2 Lege: *Ornamenta*.

ri licet, librarium in ipso suscepti láboris ingressu substitisse. Quae res non multo meliorem spem de Commentario fovere sinit.

Equidem feci, quod potui, id est, certissimo argumento probavi fuisse antiquitus, praeter Victorinum, alium quemdam non imperitum Grammaticum, qui Ciceronis de Inventione Rhetorica libros scripto Commentario explicuerit. Perquam laetabor, si alius, hoc specimine ad inquirendum incitatus, vel reliquam, quae in hoc Codice desideratur, partem, vel aliud plenius apographum invenerit, quod ipsum Auctoris nomen in fronte gerat.

CA-

CAPUT X.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS SALLUSTII.

C. Crispi Sallustii Historiae, si qua pervulgatae opinioni fides habeatur, ita conscriptae fuerunt, ut jam antiquitus non unius hominis literati operam exercuerint. Nam Sallustius, non contentus eloquentia seculi sui, vetussimos scriptores aemulatus est, et antiqua verba, ex Catonis potissimum Originibus, ita frequenter excerpsit, ut Lenaeus, teste Sueton. de Illustr. Gramm. c. XV. non dubitaverit Sallustium appellare *priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem* (1). Fecit hoc ut librum scripserit Asinius Pollio, *in quo*, teste Suetonio de Illustr. Gramm. c. X. *Sallustii scripta, ut nimia priscorum verborum*

(1) Eodem spectat vetus Epigramma, a Quintiliano L. VIII. c. 3 memoratum: *Et verba antiqui multum furate Catonis, Crispe, Jugurthinae conditor historiae.* Ceterum in re notissima sufficiat citasse Senecam Epist. 114 et Controv. L. V. 25. Quintilianum L. II. c. 5 III. 10. IV. 2. X. 1. et Gellium L. I. c. 15.

rum *affectatione oblita reprehendit.* Hic vero, etsi fortasse non nihil contulerit ad Sallustii intelligentiam, non meretur tamen inter Scholiastarum numerum referri.

Sed praeter hunc, quemadmodum et Fabricius jam in Bibl. Lat. T. I. p. 240. ait »*Sallustii Historias e Veteribus Grammaticis illustraverunt Asper et Statilius Maximus, laudati a Charisio. Sed horum Commentarii hodie desiderantur.*" De utroque peculiariter Veterum testimonia exponemus.

§. 1.

Aemilius Asper. (*)

Asperi nomen supra jam memoravimus, ubi de Terentii Scholiastis exposuimus, et mox quoque memorandum erit, ubi de Virgilii Scholiastis agemus. In singulos enim illos auctores, id est, Terentium, Sallustium et Virgilium Commentarii, Asperi nomine passim memorantur. Exstat praeterea in Putschii Grammaticorum Corpore p. 1725 — 1730. libellus, ita inscriptus: *Asperi Junioris Ars.* Dubitari possit an haec omnia opera ab uno Aspero conscripta sint, an vero plures

(*) A Charisio ubique *Asper* vocatur. *Aemilii* nomen reperitur apud Probum ad Virgil. Eclog. VI. 31. Ceterum variatur in declinando nomine: a Putschio editur *Asperi*, in Hieronymi editionibus est *Aspri.*

res fuerint ejusdem nominis viri. Fabricius in Hist. Bibl. P. III. p 496. praeeunte Frisio in Epit. Biblioth. Gesner. p. 85. opinatur Asperum Juniorem, id est, auctorem Artis, scripsisse in Terentium, eumque distinguendum esse ab Aemilio Aspero, Virgilii interprete. Ea distinctio, etsi per se forte non improbanda, immerito tacet de Sallustii interprete. Nos tamen videmur posse affirmare, interpretem Sallustii fuisse eundem illum Asperum, qui in Virgilium scripsisse dicatur. Manifeste, ni fallor, hoc docent Hieronymi verba adv. Rufin. p. 367. „*Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium Commentarios.*" Sed quo argumento Asper Junior idem dicatur, qui Terentii interpres, non compertum habemus.

Hoc vero constet, Virgilii Commentatorem et Sallustii, fuisse auctorem eumdem; de cujus aetate nusquam diserte aliquid legitur. Saxius in Praef. Onom. Lit. T. I. p. XXIV. ipsum refert inter eos Grammaticos, qui in aetatis caligine versantur. Infra, ubi de Virgilii interpretibus agendum erit, docebimus, Asperum aetate antecessisse Augustino, Macrobio, Servio, Probo, Philargyrio. Quod Hieronymi temporibus fuerit antiquior, plenissime ipsius commemoratio declarat.

Commentarii vero ipsi in Sallustium jam omnes perierunt: videntur superstites fuisse aetate Sosipatri Charisii, qui eos saepe citat:

p. 177. 16. Casterum. *Sallustius Historiarum libro quarto* [in fragm. edit. Cortii p. 967.] « *Scio equidem tibi magnas opes*

pes virorum, armorum, et auri esse: et ea re ab nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris. Caeterum consilium est Tigranis, regno integro, meis militibus belli prudentibus, procul a domo per nostra corpora bellum conficere." *Ubi Asper*, Caeterum *quo modo positum est*, *pro* alioquin *consilium est*, *an pro* reliquum *consilium est?*

p. 187. 5. Obviam. *pro obvius. Sallust. Hist. II.* [in fragm. p. 957.] *Ubi Asper ait: vetuste » obviam fuere" adverbio maluit uti, quam nomine.*

p. 191. 28. Procul. *Sallust. Historiarum II.* [in fragm. p. 957.] » *Nam procul et diversis ex regionibus." Ubi Asper, Ergo* procul, *e loco est.*

p. 192. 42. Rumore primo. *Sallustius Historiarum I.* [in fragm. p. 956.] *Ubi Asper, Non est, inquit, nomen, sed adverbium, ut illud* [Virgil. Aen. I. 613.] « *Obstupuit primo adspectu Sidonia Dido."*

p. 192. 45. Recens. *Asper Comment. Sallustii Historiarum primo, nunc adverbium, nunc nomen id esse dicit,* « *recens scripsi:" potest etiam esse temporis.*

Praeter haec fragmenta, quantum scio, nihil de Sallustianis Commentariis superest (1). Quid in co-

(1) Nescio enim utrum ad hos, an vero ad Virgilianos Com-

eorum interitu perdiderimus, intelligimus, si consideramus, quam apte doctae observationes conscribi potuerint ad auctorem, antiquorum verborum affectatorem, ab homine praesertim, qui et Virgilium jam interpretatus erat. Eamdem opinionem de Aspero fovisse videtur Vossius de Hist. Lat. L. I. c. XV. p. 78. ubi ait: „*Utinam vero exstaret Asper Grammaticus, Sallustii interpres.*"

§. 2.

Statilius Maximus.

Hic est idem ille, qui scripsit *de Singularibus apud Ciceronem* et cujus Commentarii ad Catonis Historias memorantur a Charisio. Praeter Charisium autem, ut diximus, nemo usquam e Veteri-

Commentarios, referendum sit quod memorat Servius ad Aen. XI. 881. Auras. *Haec est antiqua lectio. Namque apud majores trahebatur interdum a Graeco genitivus singularis. Hinc est et* paterfamilias *et* materfamilias: *quae duo tantum nomina remanserunt. Nam nec* hujus auras *dicimus, nec* hujus custodias *secundum Sallustium L. IV. Hist.* [in fragm. p. 981.] *qui ait:* „*Castella custodias thesaurorum*" *pro* custodiae; *ita enim etiam Asper intelligit: licet alii custodias accusativum velint.* Sed fere non dubito quin ad Virgilianos Commentarios referendum sit. Vix enim cogitare licet Servium, si Sallustianos Commentarios cognovisset, horum modo semel mentionem fuisse facturum, quum Virgilianos saepius in partes vocaverit, ut in seq. Cap. §. 9. exponemus.

ribus ullam hujus Commentatoris mentionem injecit. Charisii verba haec sunt:

p. 176. 40. CONFESTIM. *Pro continuo et sine intervallo, sed jugi festinationis studio pergentis. Sallust. lib. * « fecit ut nunciis confestim lugubribus." Ubi Statilius Maximus: Ordine, inquit, et sine intermissione."*

Sallustii fragmentum Cortius ad L. VI. Historiarum retulit p. 998.

§. 3.

Asconius Pedianus.

Perperam vero inter Sallustii interpretes refertur Asconius Pedianus, qui nihil quippe ad Sallustii interpretationem scripserit nisi Sallustii vitam; cujus meminit Acro ad Horat. L. I. Sat. 2. 41.

ILLE FLAGELLIS AD MORTEM CAESUS. *Hoc de Sallustio videtur dicere. Sallustius enim Crispus in Faustae filiae Syllae adulterio deprehensus, ab Annio Milone flagellis caesus esse dicitur, quem Asconius Pedianus in vita ejus significat.*

§. 4.

Anonymus (MS.) ad Sallustii Catilinariam.

Teste Fabricio in Bibl. Lat. T. I. p. 240. « *Veterem interpretem in Sallustii Catilinariam ex membranis Pauli Stephani, laudat Goldastus notis ad Eginhardum p. 175* "

CAPUT XI.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS C. HELVII CINNAE.

Priusquam ad Virgilium accedam, commemorationem hic sibi vindicat C. Helvius Cinna, poëta nobilissimus, Virgilio aliquot annis superior, Catulli intimus. Hic scripsit carmen, nomine *Smyrna*, quod in magna celebratione apud antiquos fuit; de cujus argumento, quale fuerit, discrepat Doctorum opinio. Parthenius ad Catull. c. XCV. existimavit versatum hoc fuisse in rebus et fatis Smyrnae, Amazonis, a qua ὁμώνυμον urbem conditam vel nominatam fuisse, Geographi docent. Alii, in his Turnebus Advers. L. XVII. c. 17, crediderunt Cinnam celebrasse fabulam nefandi amoris Smyrnae, illius quae et Myrrha vocatur, *cui*, ut Hyginus ait Fab. LVIII. *Venus infandum amorem objecit, adeo ut patrem suum* (Cinyram) *amaret.* Alii aliam rem hujus poëmatis argumentum fuisse opinantur. Qualecunque autem hoc fuerit, de quo fusius disputare nec hujus loci esse nec post egregium Weicherti (1) laborem necesse duxerim: satis sit dixisse,

(1) M. Aug. Weichert duas scripsit Commentationes de C.

ve, Cinnae carmen adeo fuisse obscurum intellectu, ut nonnulli ejus aetatis Grammatici istud interpretari studuerint, quemadmodum docet vetus Virgilii scholiasta Philargyrius ad Ecl. IX. 35. *Cinna Smyrnam scripsit, quam nonum post annum, ut Catullus Carm. XCIII.* (1) *ait, edidit. Id quod et Quintilianus ait* (2). *Unde etiam Horatium in Arte Poëtica dicunt ad eum allusisse, cum ait* [vs. 388.] » *Nonumque prematur in annum.*" *Fuit autem liber obscurus adeo, ut et nonnulli ejus aetatis Grammatici in eum scripserint, magnamque ex ejus enarratione sint gloriam consecuti. Quod obscurus fuerit, etiam Martialis ostendit in illo versu* [L. X. Ep. 21.] « *Judice te melior Cinna Marone fuit.*" Hucusque Philargyrii

C. Helvio Cinna, Grimae editas a. 1822. quas, una cum aliis similis argumenti Commentationibus, repeti curavit in doctissimo libro cui titulum fecit: *Poëtarum Latinorum, Hostii, Laevii, C. Licinii Calvi, C. Helvii Cinnae, C. Valgii Rufi, Domitii Marsi aliorumque Vitae et carminum Reliquiae, scripsit collegit et edidit M. Augustus Weichert, Lipsiae* 1830.

(1) Catullus l. c (in Doeringii edit. c. XCV.) « *Smyrna mei Cinnae, nonam post denique messem, Quam coepta est, nonamque edita post hiemem: — Smyrna cavas Atacis penitus mittetur ad undas, Smyrnam incana diu secula pervoluent*" de quo loco docte disputavit Weichertus p. 168 seqq.

(2) Quintilianus L. X. Instit. Orat c. 4. « *Temporis quoque esse debet modus. Nam quod Cinnae Smyrnam novem annis accepimus scriptam, et Panegyricum Isocratis, qui parcissime, decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet: cujus nullum erit, si tam tardum fuerit auxilium.*"

rii scholion, quo praecipua de hoc scriptore notitia continetur, quodque adeo miramur non relatum esse a Doeringio ad dictum Catulli carmen. Dolemus vero quam maxime quod Philargyrius non addiderit nomina istorum Grammaticorum qui ex Cinnae enarratione gloriam consecuti sint.

§. 1.

Lucius Crassitius.

Etsi vetus ille Scholiastes, ubi tradit nonnullos Grammaticos ex Cinnae poëmatis enarratione magnam gloriam consecutos esse, non nominatim indicaverit quinam isti interpretes fuerint, nullus tamen equidem dubito quin in istum numerum referendus sit Lucius Cassitius, utpote qui a Suetonio dicatur Commentario Smyrnae edito magnopere inclaruisse. Suetonii locus dignus est qui integer adscribatur. Hic igitur de Illustr. Gramm. c. XVIII. » *Lucius Crassitius genere Tarentinus, ordinis libertini, cognomine Pasicles, mox Pansam se transnominavit. Hic initio circa scenam versatus est, dum Mimographos adjuvit; deinde in pergula docuit, donec Commentario Smyrnae edito adeo inclaruit, ut haec de eo scriberentur:*

Uni Crassitio se credere Smyrna probavit:
Desinite indocti conjugio hanc petere.
Soli Crassitio se dixit nubere velle:
Intima cui soli nota sua extiterint. (1).

Sed

(1) Post Pithoeum et Scaligerum hoc anonymi poëtae E-

Sed cum edoceret jam multos, ac nobiles, in his Julium Antonium, triumviri filium, ut Verrio quoque Flacco compararetur, dimissa repente schola, transiit ad Quinti Sextii philosophi sectam." Non exiguam igitur laudem Crassitii doctrinae antiquitas habitam fuisse declarat Suetonius, quapropter merito dolemus quod de praeclaro isto Commentario nihil omnino, praeterquam memoria, servatum sit.

De Crassitii aetate, qua vixerit, etsi ipsa a nemine Veterum diserte memoretur, non difficile est conjicere, quandoquidem Suetonius aliquod ipsius indicium habeat. Vidit et hoc Burmannus, qui, *Crassitium*, inquit, *Cinnae Commentatorem paulo juniorem existimo quam Cinnam et Catullum, quia Suetonius dicit eum docuisse Julium Antonium Triumviri filium (cujus filium M'. Antonium memorat sub Claudio cap. XI.) et comparatum fuisse Verrio Flacco, quem sub Tiberio decessisse Suetonius testatur, qui eum ante Crassitium recenset.*" Et haec quidem bene procedunt, licet Verrius ille Flaccus in Eusebii Chronicis dicatur floruisse ad annum Christi decimum; est vero tenendum, quod hic Verrius, narrante Suetonio de Illustr. Gramm. c. XVII. decesserit *aetatis exactae sub Tiberio.*

Fuerit igitur Crassitius Verrio Flacco aliquot annis inferior; Julio Antonio, discipulo, aetate sua certe aliquanto antiquior.

ma-

Epigramma Burmannus edidit in Anthol. Lat. T. I. p. 440. ubi Guyeti sententiam refutat, qui hoc tetrastichon Catullo vindicare volebat.

Praeter Suetonium, quantum scio, nemo quisquam de Veteribus Crassitii memoriam celebravit. Barthius nomen hujus inter clarissimos Grammaticos recenset, idque procul dubio non alia de causa, quam propter scripti illius Commentarii memoriam. „*Laudantur*, inquit ille Advers. L. XLVII. c. 14. *et exstant Grammaticorum Criticorum non paucae exegeses ad classicos scriptores, quae inquirunt in tradita eorum, utilia enarrant, seponunt quae culpam trahere videntur. Quo in genere nobilissimi fuerunt olim Aelius, Stilo, M. Varro, Crassitius, Statilius Maximus, Asconius Pedianus, Servius, Victorinus, Donatus.*"

§. 2.

C. Julius Hyginus.

Praeter obscurissimum istud Smyrnae carmen, Helvius Cinna scripsit etiam *Propempticon Pollionis* (1). Est quidem nulla Veterum men-

(1) Propempticon est hujusmodi poëma, quo abeuntes amicos vel votis vel bonis ominibus prosequimur, quale ad Virgilium scripsit Horatius L. 1. c. 3. et ad Metium Celerem Statius L. III. Sylv. 2. de quo carminis genere conf. Jul. Caes. Scaliger in Poëtica L. III. c. 104. et Joannes a Wower in Polymath c. 13. — Ceterum scita admodum est opinio Jo. H. Vossii ad Virgil. Ecl. IX. p. 674. suspicantis hoc carmen a Cinna scriptum fuisse cum Pollio Antonii jussu, adversus Parthinos cum exercitu proficisceretur a. U. 714. de qua expeditione meminit Cl. Thorbeckius in Comment. de C. Asinio Pollione p. 31 seqq. Conf. Weichertus p. 155 seq. 190 seq.

mentio, quae hoc carmen aeque obscurum fuisse memorat; et tamen fuit aliquis qui hoc interpretari studuit. Testem hujus rei habemus Charisium p. 108 seq. ubi haec ait: Itehis. *Julius Hyginus in Cinnae Propemptico: « Ab Actio navigantes stadia 40. veniunt ad Isthmum Leucadiensium. Ibi solent, iteris minuendi causa, remulco, quem graece πάκτωνα dicunt, navem traducere." Pacuvius quoque* iteris *dixit, quod genitivo plurali una syllaba debet plus crescere quam est nominativus singularis.* Itener. *Idem in eodem: « Quaerunt, inquit, etiam nonnulli quamobrem ejus cura jubeat Actio navigare, quod est e regione traductionis Leucadiensis, et rursus ab Actio circa insulam moneat ire, quam a Corcyra rectum itener ad Leucatam." Quidam tamen sic istud notant, quasi sit unum ac novum duabus syllabis crescens."* Sed qua Cinnae Propempticon, eâdem temporis injuriâ Hygini Commentarius interiit; cujus adeo nihil superest praeter duo ista fragmenta.

De Hygini aetate et doctrinae reliquiis difficillimum est quidquam certi statuere. Adeo quidem ipsius res dubia est, ut nullus fere scriptor ita Doctorum Virorum ingenium fatigaverit. Data opera de Hygino exposuerunt Jo. Schefferus et Thomas Munckerus in Praefationibus ad Hygini fabulas: sed ita uterque, ut rem non ita facile ad liquidum referri posse fateantur. Nobis quidem Schefferi et Munckeri labores citasse, quam difficillimam rem leviter attigisse praeplacet. Utilia quoque docuerunt

runt interpretes ad Suetonium de Illustr. Gramm. c. 20. et Radb. Herm. Schelius in Prolegomenis ad Polybii et Hygini castra lit. d. 3. citatus a Saxio in Onom. Lit. T. I. p. 199. quibus addendus est Nic. Antonius in Bibl. Vet. Hisp. L. I. c. 1. et Ge. Henr. Bode in Prooem. ad Scriptores Rerum Mythicarum Latinos tres, Romae nuper repertos (Cellis 1834.) p. XIV seqq.

A D.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

A quo hicce libellus typis describi coeptus est, quintus jam exiit annus. Hoc temporis intervallo tum praecipuam librariae supellectilis, qua carui, partem nancisci contigit, tum multi prodierunt boni libri, quibus, si nunc scribendum erat, cum insigni fructu uti possem. De his si ad calcem libri nunc breviter monuero, erroresque correxero, qui et mea et typothetarum culpa irrepserunt, operae pretium me facturum fore arbitror.

p. 2. l. 2. *pro:* conscripsi sunt. *lege:* conscripti sunt.
l. 15. *pro:* reliquis. *lege:* reliquiis.

p. 7. l. 16. *adde:* Barth. Advers. L. XX. c. 2. ad Statium Theb. I. 325. et Petrus Nannius in Syll. Miscell. L. 1. c. 5. (in Gruteri Fac. Crit. T. I. p. 1229. » *Utinam tandem sit aliquis Hercules, qui Augiae stabulum expurget, eaque ejiciat e Commentariis magnorum virorum, quae illis falso adscribuntur. Doctissimus et elegantissimus est interpres Acron, ceterum ita obrutus est insulsissimis naeniis, ut ne speciem quidem sui retineat. Tum Commentaria in Vergilii Aeneida, quae sub Donati nomine circumferuntur, ausim jurare, ne verbum quidem Donati habere. Aliquis indoctus indoctissimis verbis paraphrasin scripsit in Donatum, id jam mundo obtruditur pro Donato, et a magnis viris, tum*

 in

in Italia, tum in Germania pro legitimo agnoscitur; tantum est philtrum in magnificis titulis. Stomachari me fateor: quis enim non aegrè ferat tot doctis et studiosis imposturam fieri? per istas inscitissimas nugas, nec rebus, nec elegantia sermonis instructas."

p. 16. l. 23. Latini vero nec Scholion nec Scholiastes habuerunt. *lege:* Latini vero nec *Scholion* nec *Scholiastes* habuerunt.

p. 36. l. 12. qui interpretati sunt. *lege:* qui XII interpretati sunt.

p. 37. l 32. Emendationem propositam confirmari Codice Monacensi, docuit Orellius in Addend. ad Scholiastas Ciceronis Part. I. Eamdem confirmat locus Charisii p. 58 l. »*Adsiduus quidam per* d *scribunt, quasi sit a sedendo figuratum, sed errant. Nam cum a Servio Tullio populus in quinque classes esset divisus, ut tributum, prout quisque possideret, inferret: ditiores, qui* asses *dabant*, assidui *dicti sunt; et quoniam soli in negotiis publicis frequentes aderant, eos, qui frequenter adsunt,* assiduos *ab* assibus *dixerunt."*

p. 40. l. 11. fuis- video. *lege:* fuisse video.

p. 48. l. 10. quaedem. *lege:* quaedam.

p. 57. Inter Ennii interpretes memorari debuerant C. AELIUS et VERGINIUS, quorum meminit Varro de Ling. Lat. L. VI. p. 72. »*Apud Ennium:* [p. 305.] »*Atque prius pariet locusta lucam bovem." Luca, bos elephas. Cur ita sit dictus, duobus modis inveni scriptum. Nam et in C. Aelii Commentario erat, a Libycis Lucas; et in Ver-*

Verginii Commentario, ab Lucanis Lucas, ab eo quod nostri cum maximam quadrupedem, quam ipsi haberent, vocarent bovem: et in Lucanis Pyrrhi bello primum vidissent apud hostes elephantos, id est, quadrupedes cornutas (nam quos dentes multi dicunt, sunt cornua) lucam bovem appellasse."

Et FL. CAPER, de quo Charisius loquitur L. I. p. 107. 4. »Hebem. *Ennius in XVI.* [p. 113.] *ubi Fl. Caper: non ut adjunctive, sed appellative est locutus."*

p. 66. l. 8. plenisse. *lege:* plenissime.

p. 75. l. 29. reteribus. *lege:* veteribus.

p. 77. Inter Terentii interpretes memorari debuerat SCHOLIASTES HALENSIS, editus a Paul. Jac. Brunsio (Halae 1811. 2 voll.) Hujus autem scholia cum iis, quae Angelus Majus a. 1815. Mediolani edidit, tam mirifice congruunt, ut pro iisdem omnino agnoscenda videantur. Disco hoc ex Lud. Schopeni *Dissertatione Critica de Terentio et Donato ejus interprete* (*Bonnae 1821.*) p. 49. quam egregiam opellam mihi nunc demum innotuisse doleo, utpote qua opportune uti potuissem. Post Schopenum idem docuit Godofr. Stallbaumius in *Observat. in Donatum*, subjectis Volumini VI. edit. Terentii (*Lipsiae 1831.*) p. 340.

Tum vero memorari potuerat GLOSSARIUM TERENTIANUM sive *Glossarium Vocum quarundam apud Publium Terentium*, quod Stallbaumius ex veteri codice publicavit ad calcem edit. Terentii. Et, quod equidem multo majoris aestimandum cen-

censeo, LEXICON TERENTIANUM, cujus partem edidit Barthius Advers. L. XXXVIII. c. 15.

Neutrius vero operae auctor inter Terentii Scholiastas referri meretur; uti nec MARTIUS SALUTARIS, quem perperam eo refert Janus Parrhas. Quaesit. per Epist. p. 122. Steph. nec CALLIOPIUS, utpote qui Terentii fabulas recensuit, non vero interpretatus est. Vide Schopenum p. 39 et 42.

p. 78. De Donati Commentariis novam, non tamen valde probabilem suspicionem proposuit Car. Guernher. Reinhold in *Annot. Crit. in Terent.* (*Primislaviae 1830.*) p. 23. Is utique opinatur Donatum numquam Commentarios in Terentium edidisse: quae vero ipsius nomine ferantur Scholia, ea esse reliquias Dictatorum, quae a discipulis negligenter descriptae, subinde mutatae, mutilataeque et in brevius contractae sint. Hujus autem opinionis refutationem exspectamus a Schopeno, cujus dudum promissam Donati Commentariorum editionem brevi in lucem exituram esse, certissima fama accepimus.

p. 117. In disputatione de Asconio velim uti potuissem correctiore Orellii editione. Sed ea demum a. 1833. prodiit. Quod vero quam maxime doleo, hoc est, quod, quo tempore hanc disputationem in lucem edidi, id est d. 16 Maji a. 1829. non cognoverim Jo. Nic. Madvigii *de Q. Asconii Pediani et aliorum veterum interpretum in Ciceronis Orationes Commentariis Disputationem Criticam* editam Havniae 1828. et ejusdem *Appendicem Disputationis* eod. anno edi-

editam. Quas si cognovissem, non tam placide profecto accrediturus fuissem, Scholia ab Angelo Majo publicata pro Asconii labore habenda esse. Madvigii opinionem nuperrime exposuerunt novisque argumentis confirmarunt Sluiterus in *Specimine Academico in Ciceronis Divinat. in Caecilium* (*Lugd. Bat. 1833.*) et Ravius in *Var. Lect. libro ad Ciceronem pertinente* (*ibid. 1834.*) Cujus utriusque laudabilem diligentiam non neglectum iri confido a Wundero, quem singulari cura Asconii Commentarios illustraturum, integritatique, quatenus fieri possit, restituturum esse, nuperrime cognovi ex Orellii Epistola ad Madvigium p. XIV.

p. 148. l. 3. lectorum. *lege:* lectorem.

p. 151. 25. qualis Codice. *lege:* qualis in Codice.

p. 158. 12. Expositionum. *lege:* Expositionem.

p. 198. 28. Interpretes inediti. *lege:* Interpretes inediti in Bibliotheca Ambrosiana.

Reliquis, qui supererunt, erroribus ut benevole ignoscere, totamque hanc juvenilem opellam bona cum venia judicare velint Lectores, modeste, pie, officioseque rogat auctor.



HISTORIA CRITICA
SCHOLIASTARUM LATINORUM.

SCRIPSIT

W. H. D. SURINGAR,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT.

PARS SECUNDA.

LUGDUNI BATAVORUM,

SUMPTIBUS S. ET J. LUCHTMANNORUM

ET J. C. CYFVEERII.

1834.

Lapides et ligna ab aliis accipio: aedificii tamen exstructio et forma, tota nostra. Architectus ego sum, sed materiam varie undique conduxi. Nec aranearum sane textus ideo melior, quia ex se fila gignunt: nec noster vilior, quia ex alienis libamus, ut apes.

Justus Lipsius in Notis ad Politic. L. I. c. I.
(Oper. Omn. T. IV. p. 203.)

CONSPECTUS
PARTIS SECUNDAE.

CAPUT XII.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS P. VIRGILII MARONIS.

§.

§.

§.



CAPUT XII.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS P. VIRGILII MARONIS.

Virgilius multos, adeoque plures quam quisquam alius Scriptorum Latinorum, nactus est antiquos interpretes. Cujus rei causam ubi quaererem, venit in mentem, narrari, carmina Virgilii jam paulo post poëtae mortem, et adhuc Augusti aevo, in scholis praelecta et enarrata esse (1): putavique aliquando, hinc accidisse, ut tantus jam inter antiquos in-

(1) Suetonius de Illustr. Gramm. c. XVI. « *Quintus Caecilius Epirota — ad Cornelium Gallum se contulit, vixitque una familiarissime. Post deinde damnationem, mortemque Galli, scholam aperuit. Primus dicitur ex tempore disputasse, primusque Virgilium et alios poëtas novos praelegere coepisse.*" Nec alia fuit sequentium temporum ratio. Testis est Augustinus de Civ. Dei L. I. c. 3. ubi scribit: » *Virgilium parvuli legunt, ut videlicet Poëta magnus omniumque praeclarissimus atque optimus, teneris ebibitus annis, non facile oblivione possit aboleri.*" et Augustini aequalis, Orosius L. I. c. 18. « *Aeneas*, inquit, *qualia per triennium bella excitaverit, quantos populos implicuerit, odio excidioque afflixerit, ludi literarii disciplinâ nostrae quoque memoriae inustum est.*"

A

interpretum numerus Explicationes, Enarrationes, Commentarios et Scholia in hunc poëtam conscripserit. Mox vero, ubi recordabar vix unum inter hos interpretes fuisse, qui dici possit Commentarios suos in scholarum usum scripsisse, suspicatus sum potiorem hujus rei causam in Aeneidos excellentia et jucunditate quaerendam esse. Neque hoc mirum videatur; erat enim argumentum cum historia patriae conjunctum: cogita, quae de genere et origine nobilium stirpium, quae de stirpe Julia canat poëta (1). Praeterea vero, idque aeque praecipua causa haberi possit, non dubium est quin Grammatici poëtam explicare amaverint, quem sciebant placere Imperatoribus.

Qui primus Virgilii interpretum nomina conquisivit, quantum scio, est Georgius Fabricius in Praef. ad Virgilii edit. Basil. 1547. isque non vulgarem Virgilianorum interpretum numerum a singu-

(1) Nec adeo a Grammaticis alienum fuit credere Virgilium in Aeneide Romanam Historiam celebrasse. Hujus opinionis mentio fit in Servii Commentariis ad Aen. VI. 752. „*Qui bene considerant*, inquit, *inveniant omnem Romanam historiam ab Aeneae adventu, usque ad sua tempora summatim celebrasse Virgilium; quod ideo latet, quia confusus est ordo: nam eversio Ilii et Aeneae errores, adventus, bellumque, manifesta sunt: Albanos autem reges, Romanos etiam Consules, Brutos, Catonem, Caesarem, Augustum, et multa ad historiam Romanam pertinentia hic indicat locus. Cetera quae hic intermissa sunt, in ἀσπιδοποιΐᾳ commemorat; unde etiam in antiquis invenimus, opus hoc appellatum esse non* Aeneidem, *sed* Gesta Populi Romani *quod ideo mutatum est, quia nomen non a parte sed a toto debet dari.*"

gulari Virgilianae poëseos praestantia repetendum esse duxit. » *In eorum*, ita inquit ille, *authorum monumentis, quibus omnium mortalium judicia et tot seculorum consensu sapientiae et eruditionis laus est tributa, accidere necesse est, ut semper aliquid novum et observatione dignum sese efferat. Ea re factum est, ut ad unum hunc Poëtam explicandum, tot hodie extent, tot olim scripti sint a viris eruditis libri: quorum tametsi perpauci ad posteritatem pervenerint, facile tamen conjicimus, idem pene in Vergilio effecisse Latinos, quod in Homero suo conati sunt Graeci, ut eum omnibus et artis et ingenii quasi coloribus pingerent et exornarent. Nam, ut praeteream Octavium Avitum, qui multis voluminibus, quos ab aliis acceperit Poëta versus, annotavit: Arusianum Messum, qui formas loquendi resolvit et libellum elocutionum composuit: Festum Avienum, qui fabulas illius omnes jambico carmine descripsit: Arrianum, qui Tiberii temporibus metaphrasim Georgicorum edidit: quanta obsecro jactura facta est, amissis illis, qui non vulgarem doctrinae opinionem habuerunt, et veterum, idoneorum sane hominum, judiciis sunt ornati? Sunt autem de quibus nos legimus aut suspicamur, nominati in primis, Antonius Gnipho, Julius Higinus, Annaeus Cornutus, Velius Longus, Aemilius Asper, Martius Salutaris, Ruffus Apronianus, Aruntius Celsus, Flavius Caper, Alexander, Urbanus, Carminius, Victorinus. Commemorantur et alii, sed aut obscuri, aut non certi nominis interpretes: et in sextum*

librum, qui reconditae doctrinae plenus est, a plerisque integri tractatus, seu, ut ipsi vocarunt, πραγματεῖαι conscriptae fuerunt (1). Neque defuerunt diligentes homines, qui thematum inde materias, et orationum argumenta auditoribus proposuerunt: unde declamationum Titiani et Calvi apud Veteres fit mentio, et Divus ipse Augustinus se idem in Rhetorum scholis puerum fecisse confitetur, et, quod in eo ingenii gloriolam cupide nimis quaesiverit, jam senex dolet. Fulgentius librum reliquit, in quo praecepta vitae ac morum e Vergilio exquisivit: et eum nomine poëtam, revera philosophum ἠθικώτατον fuisse probavit. Verum ut ad eos, de quibus nobis aliquid reliqui est, interpretes tandem veniamus: extant M. Valerii Probi in minora Vergilii opera particulae et fragmenta quaedam: melior enim pars in Aeneida desideratur: sicuti etiam Donati in sermones rusticos et libros de Agricultura explicationes. Relictus est ex omnibus unus, vel prope inter omnes olim singularis et praecipuus, Servius Maurus Honoratus, sed apparet ejus Commentariis plurima adsuta esse."

Post Fabricium, hanc Spartam ornare studuit Petrus

(1) Fabricius haec refert auctore Servio, in cujus Commentariis ad principium L. VI. Aen. haec leguntur: « *Totus quidem Virgilius scientia plenus est: in qua hic liber possidet principatum, cujus ex Homero pars major sumpta est. Et dicuntur aliqua simpliciter, multa de historia, multa per altam scientiam Philosophorum, Theologicorum Aegyptiorum; adeo ut plerique de his singulis hujus libri integras scripserint πραγματείας.*

trus Burmannus Junior in Praefatione ad Virgilii editionem, quam, patrui obitu interruptam, absolvit. Hic omnino laudem meretur quod catalogum, a Fabricio factum, recensuerit eumque conquisitis undique Veterum testimoniis confirmaverit. Sed, quod Praefationis ratio ipsum jubere videbatur, largius quidem de Servio, Philargyrio, Probo et Donato locutus, reliquos fere ita dimisit, ut aliis disputandi materiam reliquerit.

Data opera de his interpretibus disserere, aliquando constituerat Heynius, magnus ille Virgilii sospitator: sed *fregit impetum*, ita ipse inquit, *quod audieram, Viros doctissimos inter Belgas cum maxime eum lapidem volvere* (1). Quis nostratium ab Heynio significetur, ignoro: et sane vereor ne frustra speremus. Heynius tamen, ne prorsus exspectationem destitueret, nomina antiquorum interpretum, quae ipsi se obtulerant, apposuit, alphabeticum ordinem secutus, quippe quod de temporum, quibus vixerint, rationibus parum aut nihil constet. Et ab ipso quidem haec nomina referuntur: Adamantius Martyrius, Aemilius, Alexander, L. Annaeus Cornutus, Apronianus, Arusianus Messius, Asconius Pedianus, Asper, Avienus, Avitus, Baebius Macer, Calvus, Caper, Carminius, Carvilius Pictor, Cassius Sacerdos, Celsus, Declamationes in Virgilium, Ti. Claudius Donatus, Eros, Fabius Planciades Fulgentius,

(1) Heynii disputatiuncula *de antiquis Virgilii interpretibus* extat in Virgilii operibus ab ipso editis post Elenchum Codicum et Editionum Tom. V. p. 529 — 538. edit. tertiae, quem locum semel citasse sufficiat.

tius, Glossariolum Virgilianum, Gnifo, Grillius, Hebrus, Herennius, Hyginus, Junius Philargyrius, Julius Pomponius Sabinus, Martius Salutaris, Melissus, Modicius, Nidigius, Nisus, Perilius Faustinus, Pollio, Probus, Servius Maurus Honoratus, Terentius Scaurus, Titianus, Trogus, Velius Longus, Victorinus, Virgiliomastix, Urbanus. Illud vero praefatur omnino Heynius, paucissimos esse, si diligentius inquiras, quos data opera in Virgilium commentatos esse constet: plerosque enim in libellis suis Grammaticis verba ex Virgilio laudasse et illustrasse, et propter haec male in Commentatorum numerum relatos esse. Cui quidem opinioni non dubito calculum adjicere, et omnino laudandam esse censeo diligentiam, quam Heynius in istorum nominum relatione adhibuit; nam et hic, ut in aliis, ita summus ille vir rem suam egit, ut in obscura quaestione difficillimum sit post ipsius curam novum aliquid et probabile disserere.

Nobis igitur in animo est, Heynianam operam in nostrum usum adhibere, et hanc, si quae nomina deësse putabimus, novis notitiis supplere. Brevitatis causa Heynius plerumque fontes modo citavit: nos ipsa auctorum verba exhibebimus. Et pro more, quem in aliis secuti sumus, primum eos interpretes recensebimus, quorum opera supersunt; porro eos, quorum Commentaria perierunt; denique, qui male in interpretum numerum referuntur: tandem additurі de ineditis interpretibus, quorum Scholia adhuc in Bibliothecarum claustris latent.

Post Heynii autem aetatem huic argumento, quod jam satis grave erat, nonnihil ponderis accessit. Nu-

Nuper enim ab Angelo Majo, in Codice palimpsesto Veronensi reperta sunt inedita Scholia in Virgilium: quae, quamvis misere lacera sint et propterea Virgilii quidem interpretationi parum prodesse videantur, in hujus tamen argumenti tractatione vidi quantivis esse pretii (1). Reperto enim illo Veronensi Scholiasta, non solum, quod ipsum jam memorabile esset, ad superiorum interpretum catalogum novus interpres accessit; sed, quod gravissimum est, discimus inde aliorum quoque interpretum nomina, quae antea omnino inaudita erant.

Non nescio me aggredi periculosae plenum opus aleae, in quo multa obscura, pauca verosimilia sunt, et in quo, donec aliae inaccessae ipsorum Veterum notitiae innotescant, vix quidquam probabile disputari poterit. Quod enim Majus, qui et ipse de hoc argumento cogitavit (2), ait in Praefat.

§,

(1) Edita sunt hoc titulo: *Virgilii Maronis Interpretes Veteres: ASPER, CORNUTUS, HATERIANUS, LONGUS, NISUS, PROBUS, SCAURUS, SULPICIUS et ANONYMUS, edente notisque illustrante Angelo Majo.* Mediolani 1818.

(2) In Praefat. §. V. « *Virgilianorum Interpretum, quorum pleraque scripta perierunt, memoria equidem utcumque superest, eorum tamen accuratum et satis doctum catalogum ego quidem nondum nactus sum. Namque et Burmannus in Servio, Philargyrio, pseudo-Probo et Donato diutius versatus, reliquos bene multos vix salutat; et ipse Heynius, Virgilii editorum multo luculentissimus, nuda paene nomina Interpretum recitat: cujus brevitatis hanc causam obtendit, quod nimirum audisset, viros doctissimos inter Belgas cum maxime eum lapidem volvere. Jam et ego num reapse Belgae,*

§. VII. non magis de interpretibus recens detectis quam de reliquis valet: »*Profecto de tot auctoribus, tam vetustis, saepe etiam anonymis, nec raro interpolatis, difficile est quicquam definire, quod non in magnam obscuritatem incurrat.*"

§. 1.

Valerius Probus.

In censura Virgilianorum interpretum, qui quidem de antiquis supersunt, omnium primus merito nominandus est Valerius Probus: et propter nominis celebritatem, quam inter veteres Grammaticos nactus est, et propter aetatem, qua ipsum vixisse probabile est.

Etsi enim non omnino certum sit, qua aetate vixerit, hoc tamen satis constat, ipsum et Servio et Donato fuisse antiquiorem, quandoquidem hi in Commentariis ad Virgilium et Terentium frequenter Probi mentionem injiciant. Saxius in Onom. Lit. T. 1. p. 249. Valerium Probum refert ad annum 55. P. C. argumento, quod ab Hieronymo in Chronic. Euseb. p. 161. ad Olymp. CCVIII. 4. referatur, et a Cassiodoro in Chron. ad Consulatum Marcellini et Aviolae, h. e. A. U. 807. qui est Aerae vul-

gae, quod sperabat Heynius, de Virgilii Interpretibus nuper aliquid scripserint, fateor me nescire: tum aliis curis distentus, huic universo negotio vacare non queo."

vulgaris Christianae 55 (1). Quae si recte procedant, Valerius Probus dicatur Asconium Pedianum habuisse aequalem et Aulum Gellium tanto temporis intervallo praecessisse, ut hic cum iis loqui potuerit, qui Valerium Probum disserentem audierant.

Si de nominis celebritate quaeris, lege Charisium, Pri-

(1) Ab hoc calculo non multum discrepat Ed. Corsinus in Proleg. ad Notas Graecorum p. 13. Aliam computationem iniit Norisius ad Cenotaphia Pisana Dissert. IV. p. 464. « In Chronico « Eusebii, ita inquit, dicitur « Probus Grammaticus anno « secundo imperii Neronis « floruisse. Idem postremo « loco inter Grammaticos a « Suetonio numeratur. Illum « etiam sub Domitiano Prin« cipe vixisse patet ex ejus« dem lib. 2. qui *Catholica* « inscribitur; ibi enim p. 1463. « Martialis epigramma addu« cit, quod Domitiano prin« cipe editum fuit. Gellius « L. III. c. 1. et 15. et L. « XIII. c. 13. et 29. scribit se « cum iis locutum, qui Va« lerium Probum disserentem « audierant. Idem vero Gel« lius testatur se adolescen« tem Romae coluisse Hero« dem Atticum virum consu« larem, L. IX. c. 2. Hic « vero anno vulgaris aerae « 146. consulatum gessit, An« tonino Pio Imperatore. Et « L. II. c 26. ait: *Favorinus* « *Philosophus cum ad M.* « *Frontonem consularem pe*« *dibus aegrotum viseret, vo*« *luit me quoque ad eum se*« *cum ire.* At Cornelius Fron« to consul suffectus fuit a « M. Aurelio principe, ex « Ausonio in panegyrico ad « Gratianum. Ex his colligo « Probum usque ad Trajani « fere imperium vixisse. Id « probari posset, quod in « libro de Notis qui eidem « inscribitur, sub litera I le« gamus: *In Foro Trajani.* « At cum in lit. S. scribatur: « SEV. AVG. ARM. PART. « *Severus, Augustus, Arme*« *nicus, Parthicus*; utrum« que eidem libro aliena « manu insertum fuit; vel « alium plane auctorem il« lud volumen habuit.»

Priscianum, reliquosque Grammaticos; hi, si quid in disputando affirmare velint, haud aliter quam quod de Pythagorae discipulis narratur, in Probi verba jurant. Hujus tamen pleraque opera, quin et ipsorum nomina, plurimam partem perierunt: unde fit, ut non omnino constet, quibus potissimum scriptis tantam laudem adeptus sit.

Gellius, qui passim honorificam Probi mentionem facit, nonnulla refert, quae ipse ex Probi familiaribus audierat; quae si quis legat, non dubito quin facile persuaderi sibi patiatur, Probum non magis libros edendo, quam respondendo et colloquendo inter familiares, bene de Grammatica meruisse: »*Valerium Probum*, inquit ille L. I. c. 15. *Grammaticum illustrem, ex familiari ejus docto viro comperi, Sallustianum illud* [Catil. c. 5. §. 4.] Satis eloquentiae, sapientiae parum, *brevi antequam vita decederet, sic legere coepisse, et sic a Sallustio relictum affirmasse*, Satis loquentiae, sapientiae parum, *quod* loquentia *novatori verborum Sallustio maxime congrueret;* eloquentia *cum insipientia minime conveniret.*"

L. III. c. 1. »*Vix ego haec dixeram cunctabundus; atque inibi quispiam de sectatoribus Favorini, qui videbatur esse in literis veterator, Valerium, inquit, Probum audivi hoc dicere; usum esse Sallustium circumlocutione quadam poëtica, et, quum dicere vellet* hominem *avaritia corrumpi*, corpus et animum *dixisse, quae duae res hominem demonstrarent: namque homo ex anima et corpore est. Numquam, inquit Favorinus, quod equidem scio, tam importuna tamque-*

que audaci argutia fuit noster Probus, ut Sallustium, vel subtilissimum brevitatis artificem, periphrasin poëtarum facere diceret.

L. IX. c. 9. » *Et quoniam de transferendis sententiis loquor, memini audisse me ex Valerii Probi discipulis, docti hominis et in intelligendis pensitandisque veteribus scriptis bene callidi, solitum eum dicere, nihil quicquam tam improspere Virgilium* [Aen. I. 498.] *ex Homero vertisse, quam versus hos amoenissimos, quos de Nausicaa Homerus fecit* [Odyss. VI. 102.]

Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα,
Ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον, ἢ Ἐρύμανθον,
Τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισιν·
Τῇ δέ θ' ἅμα Νύμφαι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,
Ἀγρονόμοι παίζουσι· γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ·
Πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα·
Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται· καλαὶ δέ τε πᾶσαι.

Qualis in Eurotae ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros; quam mille secutae
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero; gradiensque deas supereminet omnis:
Latonae tacitum pertentant gaudia pectus.

Primum omnium id visum esse dicebant Probo, quod apud Homerum quidem virgo Nausicaa ludibunda inter familiares puellas in locis solis recte atque commode confertur cum Diana venante in jugis montium inter agrestes deas; nequaquam autem conveniens Virgilium fecisse, quoniam Dido in urbe media ingrediens inter Tyrios Principes, cultu atque incessu serio, in-

stans

stans operi, *sicut ipse ait*, regnisque futuris, *nihil ejus similitudinis capere posset, quae lusibus atque venatibus Dianae congruit.* ‛ *Tum postea quod Homerus studia atque oblectamenta in venando Dianae honeste aperteque dicit; Virgilius autem, quum de venatu deae nihil dixisset, pharetram tantum facit eam ferre in humero, tamquam si onus et sarcinam: atque illud impense Probum esse demiratum in Virgilio dicebant, quod Homerica quidem* Λητὼ *gaudium gaudeat genuinum et intimum, atque in ipso penetrali cordis et animae vigens (siquidem non aliud est* γέγηθε δέ τε φρένα Λητὼ*) ipse autem imitari hoc volens gaudia fecerit pigra et levia et cunctantia et quasi in summo pectore supernantia. Nescire enim sese quid significaret aliud* pertentant. *Praeter ista omnia, florem ipsius totius loci Virgilium videri omisisse, quod hunc Homeri versum exigue secutus sit*

Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται· καλαὶ δέ τε πᾶσαι.

Quando nulla major cumulatiorque pulchritudinis laus dici potuerit, quam quod una inter omnis pulchras excelleret, una facile ex omnibus nosceretur."

L. XIII. c. 20. » *Interrogatus est Probus Valerius (quod ex familiari ejus quondam comperi)* hasne urbis, *an* has urbes, *et* hanc turrem, *an* hanc turrim, *dici oporteret. Si aut versum, inquit, pangis, aut orationem solutam struis, atque ea verba tibi dicenda sunt, non finitiones illas praerancidas, neque faetutinas grammaticas*

cius spectaveris, sed aurem tuam interroga, quo quid loco conveniat dicere: quod illa suaserit, id profecto erit rectissimum. Tum is, qui quaesierat, quonam modo, inquit, vis aurem meam interrogem? et Probum ait respondisse, quo suam Virgilius percunctatus est, qui diversis in locis urbes *et* urbis *dixit, arbitrio consilioque usus auris: nam in primo Georgicôn, quem ego, inquit, librum manu ipsius correctum legi,* urbis *per* i *literam scripsit. Verba e versibus ejus haec sunt* [Georg. I. 25.]

Urbisne invisere, Caesar,
Terrarumque velis curam.

verte enim, et muta, ut urbes *dicas; insubidius nescio quid facies et pinguius. Contra in tertio Aeneidos* urbes *dixit per* e *literam* [Aen. III. 106.]

Centum urbes habitant magnas.

Hic item muta, ut urbis *dicas; nimis exilis vox erit et exsanguis: tanta quippe juncturae differentia est in consonantia vocum proximarum. Praeterea idem Virgilius* turrim *dicit, non* turrem, *et* securim, *non* securem [Aen. II. 460.]

Turrim in praecipiti stantem.

Et [Aen. II. 224.]

Incertam excussit cervice securim.

quae sunt, opinor, jucundioris gracilitatis, quam si suo utrumque loco per e *literam dicas.*

At

At ille, qui interrogaverat, rudis profecto et aure agresti homo, Cur, inquit, aliud alio in loco potius rectiusque esse dicas, non sane intelligo. Tum Probus jam commotior, Noli, inquit, igitur laborare, utrum istorum debeas dicere, urbis an urbes: nam quum id genus sis, quod video, ut sine jactura tui pecces, nihil perdes, utrum dixeris. His tum verbis Probus et hac fini hominem dimisit, ut mos ejus fuit erga indociles, prope inclementer." Haec omnia Gellius; quae, etiamsi praeterea nihil de Probi scriptis superesset, satis probarent Probum non ignobilem sibi inter Grammaticae disciplinae doctores locum vindicare. Et eundem morem respondendi et colloquendi inter familiares innuit Suetonius, qui, ubi in libro de Illustr. Gramm. c. XXIV. Valerii Probi vitam exponit, haec ait: *"Hic non tam discipulos, quam sectatores aliquot, habuit. Numquam enim ita docuit, ut magistri personam sustineret. Unum vel alterum, vel, quum plurimos, tres, aut quatuor, postmeridianis horis, admittere solebat, cubansque, inter longos ac vulgares sermones, legere quaedam, idque perraro."*

Sed quod Viri Docti saepius quidem levi argumento faciunt, ut, si parum inter se conveniant quae de alicujus scriptoris aetate, vitae ratione vel scribendi genere traduntur, duos ejusdem nominis scriptores fuisse contendant, hoc nobis, ubi de Probo disputamus, faciundum videmus: etsi probe scimus quam periculosum sit ad dirimendam litem sic Deum ex nube arcescere. Quum enim, quae Gellius, Macrobius et Servius e Probo excitant, in Pro-

Probi Commentariis quos nunc ad Virgilii Eclogas et Georgica habemus, non tantum desiderentur, verum multo aliter legantur, apertum est, non istos Commentarios qui supersunt, sed alios ab iis scriptoribus significatos esse. Accedit, quod, quâ hodierna Probi Scholia conscripta sunt oratione et doctrina, non possit esse scriptoris qui Gellium et Macrobium aetate antecessit, tantasque ab iis laudes tulit: sunt enim ista fere tam jejuna et tenuia, ut tanti nominis viro prorsus indigna videantur; sed scripta potius sive a recentiori quodam Probo, sive alius nominis parum docto homuncione, qui suum immaturae doctrinae fetum clarissimo auctori supposuerit. Et ita quoque censuit Burmannus, qui in Praef. ad Virgil. (p. 85.) de editis Probi Commentariis disputans haec ait: »Dubito vero an hic Virgilii Interpres idem sit, ac Marcus Valerius Probus, cujus vita exstat apud Sueton. de Illustr. Gramm. c. 24. et de quo vide notas Gronov. ad Gell. L. I. c. 15. Fuerunt enim duo Valerii Probi Grammatici, alter seculi Neroniani, alter Hadrianei, cujus scripta nonnulla habemus, ut librum de Notis Literarum, de quo vid. Voss. L. I. de Art. Gramm. c. 39. p. 145. Hic idem est ac Valerius ille Probus, qui commentarium de occulta Literarum significatione Epistolarum C. Caesaris scripsit, teste Gellio L. XVII. c. 9. ubi vide notas: illud enim opus diversum est a libello de Notis Literarum, superstite quidem, sed interpolato valde et corrupto, de quo vide Pier. ad L. XII. Aen. 159. Probi quoque Valerii quae hodie circumferuntur in Virgilium, supposititia esse judi-
» cat

» cat Henr. Stephanus Dissert. de Criticis p. 249.
» *Ad Valerium Probum quod adtinet, vereor ne*
» *illi injuriam faciamus, nisi pleraque sub ejus*
» *nomine edita tamquam ψευδεπίγραφα rejicia-*
» *mus.*"

De istis quidem, quae hodie Probi nomine feruntur, Scholiis mox agemus: nunc autem, ut appareat, quale fuerit deperditorum antiquioris Probi Commentationum pretium, non inutile erit, opinor, colligere quidquid inde in Macrobii, Servii, aliorumque scriptis servatum est.

Verum igitur Probi Commentarium superstitem fuisse opinor Macrobii et Servii aetate: qui inde aliquot loca excitant. Macrobius quidem non nisi unum fragmentum, sed valde notabile, servavit L. V. Saturn. c. 22, ubi ait: » *Apud Virgilium Pan, niveo lanae munere Lunam illexisse perhibetur* [Georg. III. 391.] » In nemora alta vocans, Munere sic niveo lanae, si credere dignum est." *et reliqua. In hoc loco Valerius Probus* (1), *vir perfectissimus, notat nescire se hanc historiam sive fabulam quo referat auctore. Quod tantum virum fugisse miror. Nam Nicander hu-*
jus

(1) Hanc ignorantiae confessionem non reperies in edito Probi Commentario. Immo, ibi haec prostant ad istum versum: *Pan, Mercurii filius, cum Lunam concupisset, et haberet optimum pecus, poscente ea, partem pecoris pro concubitu dicitur pollicitus, et duas partes fecisse gregum, quarum alteram candidiorem, sed lanae crassioris; Lunam, deceptam candore, deterius pecus abduxisse, ut poëta significat.*

Juba est auctor historiae (1), *poëta, quem Didymus, Grammaticorum omnium quique sint quique fuerint instructissimus; fabulosum vocat; quod sciens Virgilius adjecit* „si credere dignum est," *adeo se fabuloso usum fatetur auctore.*"

Servius autem frequentissime Probi Commentarios in suum usum adhibuit, ex iisque fragmenta memoravit cum ad Eclogas et Georgica tum vero ad Aeneidem; unde licet conjicere Probum nullam Virgilianae poëseos partem intactam reliquisse. Fragmenta, quae Servius nominatim inde servavit, haec sunt:

ad Ecl. VI. 76. VEXASSE RATES. *Per Tapinosin dictum est. Nam non vexavit, sed evertit; quod Probus* (2) *vult hac ratione defendere, dicens:* vexasse *venire ab eo, quod est* veho, vecto, vexo; *ut* vexasse *sit portasse, et sine dubio pro arbitrio suo evertisse.*

ad Ge. I. 277. PALLIDUS ORCUS. *Quia pallidos facit. Nam ipse niger est. Probus* Orchus *legit* (3). *Cornutus vetat adspiratio-*

(1) Eundem hujus fabulae auctorem agnoscit Philargyrius ad Ge. III. 391. *Fabula sic est: Pan, cum Lunae amore flagraret, ut illi formosus videretur, niveis velleribus se circumdedit, atque ita eam ad rem veneream illexit. Hujus opinionis auctor est Nicander; nec poterat esse nisi Graecus.*

(2) In Commentario qui nunc Probi nomine fertur, nihil omnino ad hunc versum annotatum prostat. Et de verbo *vexasse* in toto Commentario nec vola nec vestigium reperitur.

(3) Neque hujus rei vestigium est in isto Commentario

tionem addendam. Hesiodus Orcum quinta luna dicit natum.

ad Aen. I. 1. Trojae. *Probus ait* Trojam, Grajos *et* Ajax *non debere per unam* i *scribi.*

ad Aen. I. 21. Populum late regem. *In Probi adjuncta sunt: et adnotandum, hi duo si eximantur, nihilominus sensus erit integer.*

ad Aen. I. 44. transfixo pectore. *Probus* tempore *legit, ut ipse* [Aen. IX. 588.] » *Liquefacto tempora plumbo.*"

ad Aen. I. 194. Partitur. *Sallustius* [in Jug. c. XLIII. 1.] *ait:* » *Provincias inter se partiverant.*" *Nam et* partio *et* partior *dicimus: et est verbum de his, quae, cum utramque recipiant declinationem, pro nostra voluntate, activae tamen sunt significationis, ut* punio, punior; fabrico, fabricor; labo, labor; *quamquam tentaverit Probus* (1) *facere differentiam inter activam passivam.*

sio. Ceterum illud *Orchus* corruptum esse puto; adspiratio enim, quam suadet Probus, non in media voce ponenda est, sed ab initio: rescribi oportere censeo *Horcus.* Quod Burmannum fugit qui Hesiodi locum ad manus non habuerit. Est autem in Oper. et Dieb. vs. 804. *'Εν πέμπτῃ γάρ φασιν 'Εριννύας ἀμφιπολεύειν, Ὅρκον γεινόμενον.*

(1) Eandem opinionem prodit Probus in Catholicis p. 1483. » T *ante* io *habens, si tertiae productae fuerit,* vi *faciet specie perfecta,* partio, partivi, *sic Cicero* [. . .] » *Partiverunt.*" *Dicimus et* partior, *sub eodem intellectu activitatis, vel verbi communis* partior. *Virgilius* [Aen. I. 194.] » *et socios partitur in omnes.*" Quo lo-

passivamque significationem; ut dicamus (leg. dicimus): *tondeo alterum, tondeor ab altero.*

ad Aen. I. 441. Laetissimus umbra. *Aut septimus* (1) *casus est: aut secundum Probum genitivus, ut sit* laetissimus umbrae: *sicut Sallustius* [in fragm. ed. Cortii p. 959.] „*Frugum pabulique laetus ager.*"

ad Aen. II. 15. Instar. *Nomen est indeclinabile; licet Probus* [in Catholicis p. 1458.] instaris *declinaverit, ut* nectaris.

ad Aen. II. 173. Salsus sudor. *Probo displicet* salsus sudor, *et supervacue positum videtur. Hoc autem Ennius* [..] *de Lemnis dixit.*

ad Aen. III. 3. Fumat. *Quod ait Probus, ad discernendum tempus, circumflectendam ultimam syllabam, ut intelligamus* fumavit, *non procedit.*

ad Aen. III. 83. Hospitio. *Licet Probus quaerat, quid sit* jungimus hospitio dextras, *tamen septimus casus est, i. e. jure hospitalitatis.*

ad Aen. IV. 359. His auribus hausi. *Accepi; et est*

loco pro *Cicero* corrigendum opinor *Sallustius.*

(1) De septimo casu sic scribit Asper in Arte p. 1729. „*Casus nominum sunt sex. Nominativus, ut* hic Cato: *Genitivus*, hujus Catonis etc. *Addunt et septimum casum, veluti cum dicimus:* nos terra vel mari vectos, *qui speciem ablativi habet, nec tamen est.*"

est Pleonasmus. Haurit *enim pro* percipit *ponebant veteres: et ideo qua potissimum parte sensus percipiant adjungunt, ut* [Aen. XII. 26.] » *Simul hoc animo hauri.*" *et* [Aen. IV. 661.] » *Hauriat hunc oculis ignem.*" *Probus autem ait: Nemo haurit vocem.*

ad Aen. IV. 418. ET LAETI NAUTAE. *Probus sane sic adnotavit: Si hunc versum omitteret, melius fecisset.*

ad Aen. VI. 1. SIC FATUR LACRIMANS. *Sane sciendum, licet primos duos versus Probus et alii in quinti reliquerint fine, prudenter ad initium sexti esse translatos.*

ad Aen. VI. 177. ARAMQUE SEPULCRI. *Probus et Donatus de hoc loco requirendum adhuc esse dixerunt.*

ad Aen. VI. 473. PRISTINUS. *Prior: quod difficile invenitur. Nam de hoc sermone quaerit et Probus et alii.*

ad Aen. VI. 783. ANIMOS AEQUABIT OLYMPO. *Magnanimitate aequabitur* coelo. *De hoc autem loco et Trogus et Probus quaerunt.*

ad Aen. VI. 866. INSTAR. *Similitudo: et est nomen, quod non recipit praepositionem.* Ad instar *enim non dicimus, quod Probus declarat* (l. declinat).

ad Aen. VII. 543. ET CONVEXA PER AURAS. *Probus, Asper, Donatus, dicunt, hoc loco* per *bis accipiendum, ut alloquatur Junonem per coeli convexa et per auras.*

ad

ad Aen. VII. 773. POENIGENAM. *Matris poena genitum. Alii* Phoebigenam *legunt, ut Probus.*

ad Aen. VIII. 406. CONJUGIS INFUSUS GREMIO. *Hoc est, ante concubuit, et sic quievit. Probus vero et Carminius propter sensum cacephaton* infusum *legunt, ut sit sensus: Dormiit cum conjuge dormiente: i. e. petiit soporem infusum, etiam in conjugis gremio.*

ad Aen. IX. 814. FESSOS QUATIT AEGER ANHELITUS. *Probus ait: Commodius hic est* aeger *quam in quinto* [vs. 432.] *„Vastos quatit aeger anhelitus." quamvis consuetudo sit Virgilio ista mutandi.*

ad Aen. X. 18. O PATER, O HOMINUM, DIVÛMQUE AETERNA POTESTAS. *Hunc locum Probus quaerit: sed dixit unam rem secundum Physicos, alteram secundum Mathematicos. Nam* divûm potestas *est, quia ipse est aether qui elementorum possidet principatum:* hominum *vero ideo, quia bona Jovis irradiatio honores hominibus tribuit.*

ad Aen. X. 33. NEQUE ILLOS JUVERIS AUXILIO. *Concessivus est iste modus, secundum Probum: namque in Artibus non invenitur* (1). *Fit autem, quotiens taedio conten-*

(1) Maximus Victorinus in Arte Grammatica §. 20. p. 1948. „*Modi sunt decem: Indicativus, Promissivus, Imperativus, Optativus, Conjunctivus, Concessivus, Infini-*

tentionis quasi videmur concedere, quod tamen nolumus fieri. Nam id agit Venus hoc loco, ut Jupiter magis praestet auxilium.

ad Aen. X. 178. AST ILVA TRECENTOS INSULA. *Probus* trecentos *subdistingui vult, ut* insula *sequentibus jungatur.*

ad Aen. X. 182. TERCENTUM ADJICIUNT. *Probus* adjiciunt *adjacent, et quasi juxta sunt, tradit.*

ad Aen. X. 303. VADIS DORSO DUM PENDET INIQUO. *Probus* vadis dorso *pro* vado *dictum putat ut in Georgicis* [III. 436.] » *Dorso nemoris.*"

ad Aen. X. 444. AEQUORE JUSSO. *Pro, ipsi jussi; et est usurpatum participium. Nam* jubeor *non dicimus, unde potest venire* jussus. *Quamvis interdum sic dicatur, ut Lucanus* [III. 140.] » *Cujus servaveris umbram, Si, quidquid jubeare, velis.*" *Sic ergo hic participium usurpavit, ut Horatius verbum, dicens* [Epist. I. 5. 21.] » *Haec ego procurare et idoneus imperor et non invitus.*" *Ergo satis licenter dictum est, adeo ut Probus huic loco corrupto Alogum apposuerit.* (sic leg. ex emend. Burm.)

ad

nitivus, Impersonale, Gerundi, Hortandi modus. Addunt quidam Percunctativum modum. Indicativus, ut lego: *Promissivus ut* legam: *Imperativus, ut* lege: *Optativus,* utinam legerem: *Coniunctivus,* cum legam: *Concessivus, ut* legerim: cet. cf. Diomedes p. 390.

ad Aen. X. 539. INSIGNIBUS ARMIS. *Asper sic legit, et utitur Sallustii exemplo, qui* [in Fragm. Hist. L. VI. p. 1006.] *ait: »Equo atque armis insignibus.« Probus vero* insignibus albis *dicit legendum, ut albas vestes accipiamus, quae sacerdotibus congruae sunt: sicut Statius de Amphiarao dicit* [Theb. IV. 217.] *»Albaque purpureas interplicat infula cristas.«*

ad Aen. XI. 554. NATAM IMPLICAT. *Probus de hoc loco arpitamplasma* . . . . (1).

ad Aen. XI. 566. CESPITE. *Probus aut* cespito, *aut cespite pro campo, scilicet quod cespes gleba sit.* (sic corrigatur Burm. edit.)

ad Aen. XI. 830. ARMA RELINQUENS. *Alii* arma relinquunt *legunt. Probus hypallagen vult, vel contrarium, ut* ipsa relinquit.

ad Aen. XII. 174. PATERISQUE ALTARIA LIBANT. *Probus* altaria *id est* in altaria *dicit et* pateris *pro* ex pateris, *ut vinum altaria intelligamus. Ea enim quae in altaria funduntur,* altaria *dici voluit: alii altaria, species ararum tradunt.* (sic leg. ex edit. Commelini.)

ad Aen. XII. 605. FLAVOS LAVINIA CRINES. *Antiqua lectio* floros *habuit i. e. florulentos, pulchros: et est Ennianus sermo* [p. 328. Hess.] *Probus sic adnotavit: Neotericum erat* flavos, *ergo bene* floros, *nam sequitur »Et*

(1) Locus truncatus. Monente Burmanno D'Orvillius malebat ἀειθαλὲς πλάσμα.

» *Et roseas laniata genas.*" Accius in Bacchis: » *Nam flori crines viden ut propexi jacent.*" In iisdem: » *Et lanugo flora nunc demum irrigat.*" Pacuvius Antiopa: » *Cervicum floros disperdite crines.*" (sic leg. ex emend. Gronov. ad Gell. III. 9.)

Plura apud Servium nominatim quidem non memorantur fragmenta e Probi Commentariis; quamquam non dubium est quin Servius, quod et in aliis fecit, multoties Probi interpretationes, non addito nomine, suis Scholiis inseruerit. Satis autem haec comprobant qualem jacturam in istorum Commentariorum interitu Literae fecerint. Equidem non is sum, qui quaecunque Probi nomine a Servio memorantur, probanda censeam: nam et Servius ipse multa reprehendit; illud tamen affirmare non vereor, Probum, si verus ipsius Commentarius superesset, et principem inter Grammaticos locum merito sibi fuisse vindicaturum, et non tam exiguo honore futurum fuisse apud plerosque Viros Doctos, qui nunc hujus laudes e suppositis ipsius nomini Commentariis judicant.

His addo tria fragmenta, quae Scholiastes Anonymus, qui novissime ex Codice Veronensi palimpsesto ab Angelo Majo editus est, servavit:

ad Aen. II. 173. Salsus sudor iit. *Probus mala epitheto putat usum poëtam. Critici vero naturalia epitheta nusquam inhoneste putant locari.*

ad Aen. IX. 369. Ibant. *Alio loco ostendit illos a Turno missos. Hoc loco adnotant Probus et Sulpicius contrarium illi esse*

[VII.

[VII. 600.] »*Sepsit se tectis rerumque reliquit habenas.*".

ad Aen. IX. 373. SUBLUSTRI NOCTIS IN UMBRA. *Probus hic posuit aptissimum exemplum ex Horatio* [Carm. III. 27. 31.] »*Nocte sublustri nihil astra praeter Vidit et undas.*"

Nequaquam vero dubium est, ut monet Majus in Praef. §. VI. quin, qui in his Scholiis occurrit Probus, idem sit, cujus auctoritate saepe utitur Servius. Nam quod *sudoris* epitheton in primo horum scholiorum reprehendit Probus, idem constat eodem loco apud Servium Probo displicuisse.

§. 2.

PSEUDO-PROBUS.

Hoc nomine significamus auctorem Commentariorum in Eclogas et Georgica qui hodie Probi nomine circumferuntur; sive ii scripti sint a recentiori quodam Probo, sive ab alius nominis homine indocto. Hos enim quominus ab antiquo Probo, illo, qui Macrobium et Servium aetate antecessit, scriptos esse opinemur, facit, ut diximus, cum Scholiorum istorum jejunitas et tenuitas: tum vero praecipue haec causa, quod fragmenta quae Macrobius et Servius sua aetate e Probi Commentariis excerpsere, nequaquam in istis legantur.

Fuisse autem plures Probos grammaticos, in his clarissimos duos: alterum Neronis, alterum Hadriani aetate, qui in Virgilium scripserint, opinatus est Jo. Alb. Fabricius in Bibl. Lat. T. I. p. 342. cujus sententiam et Burmannus et Heynius secuti sunt.

Por-

Porro idem Fabricius arbitratur, de priori loqui Macrobium L. V. c. 22. sed ad alterum pertinere vitam Probi a Suetonio scriptam. Ab hac autem sententia, quamvis in obscura quaestione difficile sit certi aliquid statuere, discedendum puto, opinatus, Probum qui a Gellio, Macrobio et Suetonio memoratur, eundem esse, cujus potissimum mos fuerit respondendi et inter familiares de grammaticis argumentis colloquendi. Illud vero, quod deinde addit Fabricius, magis probaverim: *Haec Scholia*, inquit, *ad neutrum pertinent*, *videnturque Probi nomini supposita*; quamquam, quod Heynii judicium est, non negaverim quae passim bonae frugis in istis reperiantur, ea fortasse excerpta esse e vero Probi Commentario nunc deperdito (1); quorum quidem, ut videtur, ratione habita, Ruhnkenius in Epist. Crit. II. p. 197. Probum vocavit *Grammaticum ipso Servio doctiorem.*

Qua aetate haec Scholia ita, ut nunc sunt, scripta sint, definiri nequit, quandoquidem auctor nullam plane suae aetatis mentionem faciat. Semel ille Alexandrum (ad Ecl. II. 24.) semel item Asperum (ad Ecl. VI. 31.), antiquiores Virgilii interpretes, memorat: sed hinc quid potest probari, nisi hoc, quod horum aetate, quae et ipsa satis incerta est, non fuerit antiquior?

Novam horum Scholiorum editionem aliquando pa-

(1) De edito Probi Commentario sic scribit Heynius: « *Commentarius ejus in Bucolica et Georgica circumfertur, sed nomine tantum; sunt enim, uno vel altero loco forte excepto, tenuia et jejuna excerpta, eaque interpolata.*"

parare coepit Laurentius Santenius, nactus in eam rem MS. Cod. Parisinum, cujus mentionem facit Ruhnkenius in Epist. Crit. II. p. 204. Sed quominus hunc laborem, ut et multos alios, quos aggressus fuerat, perficeret ille qui vere egregium patriae nostrae decus fuit (et quem Burmannus ad Propert. II. 18. 35. vocat *juvenem optimum, Musarum aeque ac Themidos eruditae amorem et Venerum Propertianarum callentissimum*) immatura morte prohibitus fuit. Interim hujus doctissimi viri apparatus, quem nunc Bibliotheca Leidensis possidet, fortasse brevi doctum et justum aestimatorem nanciscetur.

A recentioribus Virgilii interpretibus parum usurpati sunt hi Commentarii; cujus rei causa potissimum haec videtur, quod tam pauca in iis reperiantur quae Virgilii emendationem et explicationem insigniter possint adjuvare. Pomponius vero Sabinus frequenter inde sua hausit, modo longiora scholia in brevius contrahens, saepius tamen ad verbum describens. Singula loca recensere, longum est; quod tamen si quis instituere velit, non dubito quin subinde corrupta, ut nunc sunt, Probi Scholia emendare possit: utpote quorum correctius exemplum Pomponius habuisse videtur.

Aliud est quod Pomponius Sabinus passim quoque Probi scholia ad Aeneidem memoret; unde conjicere licet, eundem illum Probum, cujus nunc non nisi in Eclogas et Georgica Scholia supersunt, etiam in Aeneidem Commentarios scripsisse, qui Pomponii aetate superstites fuerint. Fragmenta, quae inde a Pomponio servata sunt, collecturus, necesse duco monere Pomponium, qui, ut videtur, ignoravit duos

fu-

fuisse Probos qui in Virgilium commentati sint, ex utriusque Probi Commentariis promiscue fragmenta memorasse; ita ut quae antiqui illius Probi sint, e Gellio et Servio, quae vero recentioris Probi, ex ipsis hujus Commentariis duxisse videatur. Pomponii itaque haec sunt:

ad Aen. I. 502. QUALIS IN EUROTAE RIPIS. *Ex Homero transtulit: ille Nausicae, filiae Alcinoi, comparat Dianam, Virgilius Didoni. Probus sibi hoc in Virgilio non placere ait* (1), *quando Homerus optime comparavit puellam Dianae venatrici, Virgilius non bene, qui reginam dantem jura et solio sedentem comparat.*

ad Aen. II. 691. OMINA FIRMA. *Probus ait, Atque haec omina firma, nisi enim petiisset omina, numquam confirmari optasset.*

ad Aen. V. 117. MEMMI. *Familia Memmiorum nobilissima fuit. Lucretius poëta opus suum scribit ad Memmium. Probus vult hunc locum sumtum a primo bello Punico: nam Romani, victis in mari Siculo Poenis, naumachiam instituere. Mihi non placet.*

ad Aen. V. 824. PHORCI. *Probus ait fuisse duos Phorcos, et deum maris, et regem in Aphrica.*

ad

(1) Hanc Probi sententiam Pomp. Sabinus discere potuit e Gellio L. IX. c. 9. cujus verba supra memoravi p. 11.

ad Aen. VI. 2. ET TANDEM. *Probus, His duobus versibus, inquit, finitur hic liber in Tuccae et Cornelianis Commentariis* (1).

ad Aen. VI. 14. UT FAMA EST. *Probus sic ait: Poëta fortius probat, cum suae opinioni etiam famam consentire pronuntiat; ut est illud* [Aen. I. 15.] *» Quam Juno fertur terris magis omnibus una Posthabita coluisse Samo." et* [Aen. VI. 14.] *» Daedalus ut fama est." et* [Aen. III. 578.] *» Fama est Enceladi.*

ad Aen. VI. 100. VERA. *Quae vera futura erant. Probus ait:* vera, *lucida.*

ad Aen. VI. 177. ARAM. *Dicit aram, quia rogus, id est pyra, non fiebat sine aris, ut ait Probus* (2).

ad Aen. VI. 473. PRISTINUS. *id est, prior. Probus de hoc vocabulo dubitat* (3).

ad Aen. VI. 724. PRINCIPIO COELUM. *Probus ait, Ignem in eo interpretabimur, quod ait,* Titaniaque astra: *ea enim esse ignea probat —— In his versibus, ait Probus,* spiritum *pro aëre accipiemus.*

ad Aen. VI. 866. INSTAR. *Probus declinat, hoc instar, hujus instaris* (4).

ad Aen. VI. 888. REGIONE AERIS. *Probus in hoc loco ait, Aër qui segnius jacet per summa montium et ima terrarum, dici potest*

(1) Cf. Servius ad h. l.
(2) Cf. Servius ad h. l.
(3) Cf. Servius ad h. l.
(4) Cf. Servius ad Aen. II. 15 et VI. 866.

tebit Chaos: qui vero superincumbit, vicem inferorum obtinet.

ad Aen. VII. 83. ALBUNEA. *Pomponius in primo libro Carminum Horatii, ait Albuneam esse deam* (1). *Probus ait, Albuneam esse Laurentinorum sylvam, in qua erat oraculum Fauni, a quo fana dicta.*

ad Aen. VII. 773. PHOEBIGENAM. *Genitum Phoebo. Multi legunt Paeonigenam. Probus et Apronianus legunt* Phoebigenam (2).

ad Aen. VIII. 383. FILIA NEREI. *Olim* Neres, *non* Nereus. *Nomina finita in* eus *diphthongum, ut* Theseus, Tydeus, *apud antiquos terminabantur in* es, *ut* Theses, Tydes: *genitivus erat in* is, *ut* Thesis, Tydis: *in fine carminis abjicitur* s, *ut* Thesi, Tydi: *sic* Neri *a* Neres *est; remansit consuetudo in* Achilleus *et* Ulysseus, Achilles *et* Ulysses, *quorum genitivus in carmine est* Achilli *et* Ulyssi. *Probus meminit.*

ad Aen. VIII. 406. CONJUGIS INFUSUS. *Probus et Carminius* infusum *legunt, ut soporem infusum in gremio, scilicet quod gremium*

(1) Significatur antiquus Horatii Scholiastes, Pomponius Porphyrio, apud quem hoc Scholion legitur ad L. I. c. 7. 12. DOMUS ALBUNEAE. *Albuneam deam in regione Tiburtina fontis praesidem et Virgilius testis est qui in septimo* [vs. 83.] *ait: Lucosque sub alta Consulit Albunea nemorum quae maxima."*

(2) Cf. Servius ad h. l.

mium Veneris vaporem et quietem afferebat (1).

ad Aen. X. 18. Divûm. *Apronianus non divûm, sed rerum legit. Probus de hoc textu quaerit: nam divûm potestas, quia Juppiter est aether, qui est princeps elementorum omnium, quia bonitate et benignitate Jovis mortales vivunt: unde Jupiter, juvans pater* (2).

ad Aen. X. 539. Albis. *Scilicet vestibus albis, quae sacerdotibus conveniunt: ut ait Probus* (3).

ad Cirin 3. Cecropius hortulus. *A Cecrope Athenarum rege. Et Hortulum Epicuri intelligit, nam, ut ait Probus, Epicuri sectam secutus est Virgilius.*

Amissis vero istis Commentariis in Aeneidem non valde insignem jacturam fecisse Literas opinamur, si, quod suspicari licet, similes fere fuerint iis quos in Bucolica et Georgica possidemus. Hos enim extare, non est quod abunde laetemur.

§. 3.

TIBERIUS CLAUDIUS DONATUS.

Sequitur Tib. Cl. Donatus. Hunc etsi Saxius in Onom. Lit. T. I. p. 408. et Heynius ad Virgil. T. V. p.

(1) Cf. Servius ad h. l.

(2) Cf. Servius ad h. l.

(3) Cf. Servius ad h. l.

p. 532, fortasse sola nominis diversitate in eam opinionem adducti, diversum fuisse dicant a Terentiano interprete, Aelio Donato, S. Hieronymi praeceptore: equidem tamen potius opinor unum eundemque Donatum ad utrumque poëtam, id est, ad Terentium et ad Virgilium Commentarios scripsisse. Neque enim adeo urgendam esse censeo istam nominum diversitatem: teste enim Lindenbrogio, ut diximus cap. VI. p. 70 seq. et Terentianus interpres ab antiquis vocatur Cl. Tiberius, itemque in vetussimo MS. Cod. quem Florentiae in Bibliotheca Ducis Hetruriae vidit Lindenbrogius. Quin vero plurimi hac in re S. Hieronymi facio auctoritatem, qui Donati fuit discipulus. Hic enim, nisi ipsum et Terentii fabulas et Virgilii carmina exponentem praeceptorem suum audivisse fatearis, saltem probe scivisse censendus est, quid et quale a praeceptore suo scriptum esset. Atqui Hieronymus in Apolog. adv. Rufin. L. I. p. 367. manifeste indicat et Terentium et Virgilium ab uno eodemque Donato, praeceptore suo, commentariis illustratos esse; ubi dicit: »*Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium Commentarios; Vulcatii in Orationes Ciceronis; Victorini in Dialogos ejus; et in Terentii Comoedias Praeceptoris mei Donati, aeque in Virgilium.*"

Quae de Donati Commentariis in Terentium diximus, eadem fere valent de Commentariis quos in Virgilium scripsit; nam et hi, etsi passim truncati mutilatique, eximie tamen prodesse censendi sunt Virgilianae poëseos interpretationi. Plurimi hos fecit Georgius Fabricius, qui quidem vir, seculi sui do-

doctissimus, cum de reliquorum Virgilii et Horatii interpretum Scholiis, tum vero inprimis de Donati Commentariis in Virgilium optime meritus est; hic igitur in Praef. ad Virgilii edit. Basil. 1547. haec ait: » *Tiberii Donati Commentarios, quos in Vergilii Aeneida sane eruditos scripsit, ut emendarem atque ederem, non invitus feci. Quamvis enim post Joannis Pontani mortem, in cujus Bibliotheca latuerant, aliquot ante annos sint a Neapolitanis editi: mendis tamen ita repleti erant, ut et editi et non editi viderentur. Quam etiam causam fuisse existimo, quare et illi qui haberent, minus fruerentur, et vix paucis vel plane nullis in Germania cogniti essent. Itaque quum tam veterem et tam copiosum interpretem foedum depravatumque haberi, ideoque in obscuris esse dolerem, quantum diligentia et studio efficere potui, tantum curavi, ut ex horrido cultus, et ex tenebris cum quodam splendore in lucem rediret: laborem suscipiens minime quidem jucundum mihi, sed nec ingratum neque inutilem futurum iis, qui in Vergilii lectione aut interpretatione versantur. Siquidem hujus viri industria adjuti, quum multo rectius optimum et sapientissimum Poëtam intelligent, tum copiam et varietatem orationis, caeterasque dicendi virtutes propius intuebuntur. Neque enim, ut vulgus interpretum solet, minuta quaedam et levia persequitur, sed oratione auget et illustrat ea, quae et excitare et alere discentium ingenia possunt.*"

Cave vero credas, quae a Donato ad Virgilium annotata sunt, ea omnia probanda esse; imo vero, insunt istis Commentariis multa, quae, non modo post diligentem explorationem, culpae notam merebuntur, sed quae et ipso aspectu apparent absurda. Quamquam hic semper tenendum, in tanta verorum librorum jactura, et omnium istorum Commentariorum perturbatione ac mutilatione, dictu esse dfficile, quid a Donato scriptum, quid ab infarctrice manu additum sit.

Heynius Donati Commentarium culpat quod *ad fastidium refertus sit argutiis rhetoricis:* hoc tamen fortasse ipsi ignoscatur, quippe quod plerique et fere omnes antiqui interpretes rhetoricas formas explicandi studio insaniverint.

Illud vero, haud scio an tali doctori ignoscendum sit, quod tantam ubique metricae quantitatis ignorationem prodit; meritoque hac in re Donatum a Servio notatum esse censet Henr. Stephanus de Criticis p. 207. ubi sic scribit: » Servium plerum» que κριτικὴν quamdam in alios enarratores exer» cere censuram videmus: ac minime ἀκρίτως il» lam quidem interdum. Sed neminem et saepius » et justius ab eo reprehensum fuisse puto quam » Tiberium Donatum: quippe qui alicubi nonnulla » repugnantia etiam quantitati syllabicae in medium » affert. Tale est quod de voce *littus* scribit in » istud hemistichium, libri Aen. II. [vs. 537.] *-ja» cet ingens littore truncus*, hic vocem *littus* » significare locum ante aras, a *litando* dictum. » Quam ejus sententiam Servius referens, merito ra-

» tio-

» tione carere tradit: quum a *litando* necesse sit » brevem esse syllabam *li*: ita ut stare versus non » possit (1). Sic vero et in istum locum libri VIII. » [vs. 642].

Haud procul inde citae Metium in diversa quadrigae Distulerant.

» Donatum contra metrum sentire admonet, quum » *citae* exponit, divisae: nam *citus* quum divisum » significat, syllabam *ci* longam habere. Sed haec » tamen duo ἁμαρτήματα, sive duo ἀγνοήματα quan» titatis syllabicae, magis venia possint videri digna » quam alia quaedam: ex quibus est, quod pro » *exilio* scribit *ex Ilio*, in isto versu, quem habet » finis libri secundi [vs. 798.].

Collectam exilio pubem, miserabile vulgus.

» Quomodo enim ignosci huic ignorationi queat, » *Ilium* primam syllabam productam habere (2)? » Digna est, aut etiam dignior, quae eodem in nu» mero ponatur, quaedam ejus in hunc locum » commentatio, quae a Servio refertur. Quum enim » legamus libro III. [vs. 636.]

Una

(1) Habuit Donatus hoc cum multis, etiam doctioribus, Romanis commune vitium. Nam in Etymologiis nemo fere Romanus sapiebat. Nec quantitas semper fuit observata. Usus saepe praevaluit.

(2) Possis dicere Donatum *Ilio* accepisse tamquam bisyllabum, ut *connubio* ap. Virgil. Aen. I. 77. est trisyllabum. Nam *u* in hac voce non est anceps sed longa.

Una undique circum
Fundimur, et telo lumen terebramus acuto,
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat
Argolici clypei aut Phoebeae lampadis instar:
Et tandem laeti soc. etc.

» ille, Donatus inquam, *latebat* ausus est *late pa-*
» *tebat* exponere. Aliquid novi jam attulerat,
» quum *terebramus* in *tenebramus* mutandum cen-
» suerat: sed hoc fortasse risum tantum movere de-
» bebat: at cui post risum non etiam bilem alte-
» rum illud moveat? Atqui non leguntur haec
» verba in typographicis Commentariorum Donati
» editionibus, nec in suo veteri Codice ea invenit
» Pierius. Quid tum? Sicut alia plurima quae
» Donatus scripsit, in iis quae exstant exemplaribus
» non leguntur, (ut taceam tam multas in tam
» multos locos ἐλλείψεις), ita, hoc non legi, mi-
« nime mirandum est: praesertim quum non absi-
» mile vero sit, aliquem, honori illius Grammatici
» consulere volentem, ea verba detraxisse. Utcun-
» que certe se res habeat, nequaquam credibile
» est, Servium tale quidquam ausurum fuisse fingere
» apud eos qui mendacii statim convincere illum
» poterant. Adde quod alia multa apud eum ab-
» surda faciunt ut hoc etiam, quantumvis absur-
» dum, alienum ab eo videri non possit." Haec Stephanus: qui, si ipsi visum esset, multo plura potuisset notare; nam multoties, quam quos Stephanus notavit, Donati errores reprehendit Servius. Operae pretium duco e Servii Commentariis singula loca colligere, in quibus Donati interpretationes diju-

judicantur. Scito autem, pleraque quidem, quae a Servio inde citata sunt, in Donati Commentariis, quales eos nunc habemus, non reperiri. Servii loca haec sunt:

ad Aen. II. 546. NEQUIDQUAM PEPENDIT. *Id est, non pependit: vel secundum Donatum* [ad h. l.]: *Penetrato scilicet aliqua ex parte scuti contextu, telum pendens inhaerebat.*

ad Aen. II. 557. JACET INGENS LITORE TRUNCUS. *Quod autem Donatus* [ad h. l.] *dicit* litus *locum esse ante aras, a* litando *dictum, vel quod* lituo *illud spatium designatur, ratione caret. Nam a* litando Li *brevis est, et stare non potest versus.*

ad Aen. II. 798. EXILIO. *ad exilium. Donatus* [ad h. l.] *contra metrum sensit, dicens* Ex Ilio, *quasi de Ilio. Nam* i *longa est.*

ad Aen. III. 242. VIM PLUMIS ULLAM. *Naturale enim est, ut eludat ictum plumarum levitas. Unde et addidit* plumis. *Nam, quod Donatus* [. .] *dicit, ideo eas fuisse invulnerabiles, quia de Styge erant natae, non probatur.*

ad Aen. III. 535. IPSE LATET. *Re vera procul intuentibus. Unde est* [Aen. III. 530.] »*Portusque patescit.*" *Nam secundum Donatum* [. .], late patet, *non stat versus.*

ad Aen. III. 636. LATEBAT. *Dormienti scilicet. Nam male sentit Donatus* [. .] *dicens*

La-

Late patebat, contra metrum. Item dicit, capillis tegebatur: aut latebat, corporis comparatione.

ad Aen. VI. 177. ARAMQUE SEPULCRI. *Probus et Donatus* [ad h. l.] *de hoc loco requirendum adhuc esse dixerunt.*

ad Aen. VI. 230. FELICIS OLIVAE. *Arboris festae. Sed moris fuerat, ut de lauro fieret. Sane, ut dicit Donatus* [. .], *hoc propter Augustum mutavit.*

ad Aen. VI. 339. EFFUSUS IN UNDIS. *Archaismos est; quamquam Donatus* [ad h. l.] *esse ordinem velit: dum servat sidera in undis mediis.*

ad Aen. VI. 535. ROSEIS AURORA QUADRIGIS. *Donatus* [. .] *dicit, auroram cum quadrigis positam, Solem significare.*

ad Aen. VI. 623. HIC THALAMUM INVASIT NATAE. *Quod Donatus* [. .] *dicit, nefas est credi, dictum esse de Tullio: quod convicium a Sallustio, Ciceronis inimico, natum est, qui* [Declam. in Cicer. c. II. §. 5.] *de illo inquit: »Filia matris pellex.“*

ad Aen. VI. 623. VETITOSQUE HYMENAEOS. *Legibus scilicet: nam dicendo* vetitos, *ostendit fuisse non vetitos, ut est apud Persas hodieque. Unde Catullus* [XC. 3.] *ait de concumbentibus cum matre Persis: »Nam magus ex matre et gnato gignatur oportet, Si vera est Persarum impia relligio.“ Unde Donatus* [ad h. l.] *male ait: natura et legibus vetitos.*

ad

ad Aen. VII. 1. NOSTRIS. *Hoc est Italicis: ut* [Georg. II. 89.] »*Non eadem arboribus pendet vindemia nostris.*" *Non, ut Donatus* [. .] *ait, in comparationem Oceani navigabilibus.*

ad Aen. VII. 543. ET CONVEXA PER AURAS. *Probus, Asper, Donatus* [. .] *dicunt, hoc loco* per *bis accipiendum, ut alloquatur Junonem* per coeli convexa *et* per auras.

ad Aen. VII. 563. EST LOCUS ITALIAE. *Donatus* [. .] *dicit Canusiae esse, vel Lucaniae, qui describitur, locum circa fluvium, qui Calor vocatur; quod ideo non procedit, quia ait:* »*Italiae medio sub montibus altis.*"

ad Aen. VIII. 333. PELAGIQUE EXTREMA. *Id est, aut per extrema pelagi actum: aut, ut dicit Donatus* [. .], *per pelagus extrema sequentem, ut* pelagi *adverbium sit.*

ad Aen. VIII. 373. DICTIS DIVINUM A. A. *Quod dicit Donatus* [. .], *potuisse fieri, ut cum Anchisa concumberet Venus, antequam Vulcano nuberet, non procedit. Constat enim, a principio Venerem uxorem fuisse Vulcani.*

ad Aen. VIII. 642. CITAE METIUM IN DIVERSA QUADRIGAE. *Donatus* [. .] *hoc loco contra metrum sentit dicens:* Citae, divisae: *ut est in jure* »*Ercto non cito*" *id est, patrimonio vel hereditate non divisa. Nam* citus *cum* divisus *significat,* ci *longa est. Ergo* citae, veloces *intelligamus.*

ad

ad Aen. IX. 31. Altus per tacitum Ganges. *Fluvius Indiae est, qui secundum Senecam* [in Fragm. ed. Ruhk. Vol. V. p. 451.] *in situ Indiae, novem alveis fluit; secundum Melam* [III. 7.] *septem: qui tamen et ipse commemorat, nonnullos dicere, quod tribus tantum alveis fluat. Virgilius tamen, Nilo eum jungens, septem alveos habere significat. Hanc varietatem Donatus* [ad h. l.] *fugiens longum Hyperbaton facit, dicens: Ceu surgens septem amnibus Nilus aut Ganges.*

ad Aen. IX. 363. Post mortem. *Scilicet Remuli, secundum supra dictum sensum. Nam Donatus* [..] *dicit: Post mortem Nisi et Euryali, bello potiti sunt Rutuli: quod non procedit, si diligenter advertas.*

ad Aen. IX. 547. Vetitisque ad Trojam miserat armis. *Secundum Donatum* [..], *vetitis fato, quia stare Troja diutius vetabatur; sed melius, lege militari intelligimus, qua servi a militia prohibebantur.*

ad Aen. IX. 675. Ducis imperio commissa. *Item legimus, Mnesthea et Seresthum ductores fuisse, et rerum magistros, non Pandarum et Bitiam. Unde apparet quod hunc locum male intellexit Donatus* [..], *dicens*, Commissam portam, *id est, creditam Pandaro et Bitiae; qui duces non erant.*

ad Aen. IX. 763. Raptas. *De hostilibus cadaveribus. Nam quod dicit Donatus* [..],

ab

ab armigero, *non procedit, nec enim lectum est.*

ad Aen. X. 331. Deflexit partim. *Male ait Donatus* [..] *hoc loco antedictorum oblitum esse Virgilium, quod post Jovis prohibitionem bellis facit numina interesse; non respiciens Jovem magis deos hortatum esse in foedera, quam a bellis prohibuisse. Nam et paulo post tam Juno quam Juturna bellis intererunt.*

ad Aen. X. 463. Victoremque ferant. *Donatus* [..] *dicit* meminerint: *sed melius est* sustineant, *quasi pondus et poenam. Nec enim meminisse oculi possunt.*

ad Aen. X. 497. Impressumque nefas. *Insculptum nefas Danaidum. Donatus* [..] *tamen* impressum *dicit, coactum: quod a patre compulsae sunt facere.*

ad Aen. XI. 31. Parrhasio Euandro. *Arcadio, a civitate Arcadiae, quam Donatus* [..] *vult a parrha aoi dictam; quod procedit, si parrha nomen est Graecum: si autem Latinum est, stulte sensit. Nam Graecum nomen etymologiam Latinam non recipit.*

ad Aen. XI. 124. O fama ingens, ingentior armis. *Frustra ait Donatus* [..], *hoc nomen de his esse, quae non recipiunt comparationem.*

ad Aen. XI. 316. Est antiquus. *Hoc loco Donatus* [..] *erravit, dicens, agrum, quem* La-

Latinus donare se disponit, esse in Campania juxta Ufentem fluvium.

ad Aen. XI. 318. AURUNCI RUTULIQUE SERUNT. *Superfluum est, quod ait Donatus* [..], *non potuisse fieri, ut praesente Turno ager Rutulorum a Latino donaretur Aeneae.*

ad Aen. XI. 782. HAC ARUNS SUBIT. *Donatus etiam dicit, esse manifestum signum, socium ei fuisse: quod Apollinem Soractis invocat montis: de quo Turno venisse constat auxilia.*

ad Aen. XII. 365. EDONI. *Thracii. Nam Edon mons est Thraciae. Sane sciendum, hoc loco errasse Donatum* [..], *qui dicit* Edonii *esse legendum ut* do *brevis sit secundum Lucanum, qui* [Phars. I. 675.] *dicit: « Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo." Namque certum est, systolen fecisse Lucanum. Unde* Edoni *legendum est.*

ad Aen. XII. 366. SEQUITURQUE AD LITORA FLUCTUS. *Male ait Donatus* [..], *montem esse, unde flat Boreas; cum certum sit, eum de Hyperboreis montibus flare.*

ad Aen. XII. 507. COSTAS ET CRATES PECTORIS. *Donatus* [..] *superfluam vult esse conjunctionem* et, *ut sit Epexegesis, adigit ensem per costas, id est, pectoris crates, ubi celerius fata complentur.*

ad Aen. XII. 514. ONYTEN. *Donatus* [ad h. l.] *dicit aut gentile esse, aut patronymicum, ut nomen ejus proprium sit* Echionius.

nius. *Sed hoc non procedit, quia neque patronymicum in* tes *exit: neque Onytes a qua gente veniat, usquam lectum est. Proprium ergo est.*

ad Aen. XII. 529. MURRHANUM HIC ATAVOS. *Superfluum est, quod ait Donatus* [ad h. l.] *debere nos accipere interemptum esse Murrhanum, dum avos et atavos Turni commemorat.*

Aen. XII. 585. TRAHUNT IN MOENIA REGEM. *Donatus* [. .] *dicit*, trahunt in moenia, *pro, dilacerant in moenibus rumoribus suis.*

Haec quidem sunt loca, quantum scio, omnia, in quibus Donati interpretationes ad Virgilii Aeneidem a Servio dijudicantur: quae singula colligendo si quis me parum utilem laborem praestitisse dicat, respondeo hanc esse viam, qua et Servii et Donati doctrina cognoscatur. Videmus autem inde, esse quidem in Donati Commentariis nonnulla, quibus suum calculum non neget Servius; pleraque tamen a Servio improbari; quae, sic existimo, vel aequissimo judici improbanda videbuntur. Et fortasse jam antiquitus sic judicaverint librarii paulo doctiores; quandoquidem enim ista, quae Servius in Donato reprehendit, maximam partem in editis Donati exemplaribus non reperiantur, probabilis videtur Stephani opinio, suspicantis, fuisse olim, qui tanti doctoris gloriam tueri voluerint, ob eamque causam plerasque istas explicationes, quae ipso adspectu perversae viderentur, in describendo omitti curaverint, ne Commentarii, qui ce-

ceteroquin non parum frugi complecterentur, tantis maculis inquinati manerent. Et hinc quoque fortasse factum est ut passim integrae etiam istorum Commentariorum partes interierint: desiderantur enim libri IV et VIII partes extremae, et initium libri VI usque ad vs. 158. et in libro XII a vs. 619, ad 664. et a vs. 689, ad 756. et a vs. 780, ad 847.

Monendum vero est, de Donati interpretationibus, quas in Virgilium conscripsit, solos nunc superesse Commentarios in Aeneida: reliquos, id est, Commentarios in Eclogas et Georgica, temporum injuria integros periisse. Hos enim quin aliquando scripserit, etsi ipse hujus rei nullam mentionem faciat, nequaquam dubium videri potest: Servius saltem, ubi minora Virgilii carmina interpretatur, aliquoties Donati explicationes memorat, quas ipsum omnino probabile est scripsisse ad eos ipsos versus ad quos a Servio memorantur. Huc pertinent haec Servii scholia:

ad Ecl. II. 17. O FORMOSE PUER. *Bene dicit Donatus suspendendum* O *et sic dicendum:* formose puer; *ut intelligamus, per ironiam eum aliud voluisse dicere.*

ad Ecl. III. 38. QUIBUS TORNO FACILIS. *Donatus sic legit. Legitur tamen et* torno facili: *ad excludenda duo epitheta, quod est in latinitate vitiosum, si sit,* lenta facilis vitis.

ad Ge. I. 120. ET AMARIS INTYBA FIBRIS. *Donatus dicit: male quidam* intybam *avem quamdam amari jecoris accipiunt.*

ad

ad Ge. I. 198. NI VIS HUMANA. *Possibilitas. Sallustius Catil.* [c. I. §. 2.] »*Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est.*" *Aut certe multitudo. Tamen verius est* vis, *quasi violentia sit in rebus, quae contra naturam vertuntur in melius. Sic enim et Donatus sensit, dicens: Nisi violentia fiat naturae; omnia in deterius cadunt.*

ad Ge. I. 424. LUNASQUE SEQUENTES. *Donatus dicit: Lunas* noctes *accipiendas; sed male.*

ad Ge. II. 4. HUC O PATER LENAEE. *Lenaeus* ἀπὸ τοῦ ληνοῦ *dicitur, id est, a lacu. Nam quod Donatus dicit, ab eo, quod mentem leniat, non procedit: nec enim potest Graecum nomen Latinam etymologiam recipere.*

ad Ge. II. 324. VERE TUMENT TERRAE. *Asper simpliciter accipit, ut* terrae *nominativus pluralis sit. Donatus vero* terrae *genitivum vult esse singularem, ut sit sensus mutata distinctione:* Vere tument silvae, *scilicet a superioribus;* terrae et genitalia semina poscunt. *Id est, tument silvae et genitalia semina terrarum requirunt. Sed melius Asperum sequimur.*

ad Ge. II. 412. LAUDATO INGENTIA RURA. *Nam et Cato, ut diximus, et Cicero in Oeconomicis, ob hoc laudant praedia latifundia; vel quod, ut dicit Donatus, etiam non*

non culta praestant aliquid domino.

ad Ge. II. 514. HINC PATRIAM. *Donatus villam intelligit, non revera patriam.*

ad Ge. IV. 153. SOLAE COMMUNES NATOS. *Nam ut etiam Donatus dicit, tragicum est, et ultra carmen Georgicum, si accipiamus*, pro qua mercede *exclamationem esse: ut sit, pro quanta hoc mercede fecerunt? scilicet ut Jovem alerent.*

ad Ge. IV. 346. VULCANI MARTISQUE DOLOS. *Secundum Donatum hic distinguendum est, ut* dolos *ad Vulcanum*, furta dulcia, *id est, adulterium, referamus ad Martem: scimus enim, quod Sole indice, Mars cum Venere deprehensus est, et per artem Vulcani est religatus catenis.*

Servii auctoritatem confirmat testimonium Apuleji, cujus fragmenta de Orthographia nuper ab A. Majo reperta sunt. Hic enim quum (Fragm. XII. ed. Fr. Osann. p. 6.) haec scribat: » *Fuit autem Staphylus aetolus; de quo Virgilius* [Georg. I. 9.] » *Poculaque inventis acheloia miscuit uvis*," *Donato Proboque* (1) *testibus, pastor Oenei regis,*

(1) Utrius Probi laborem significet Apulejus, definire nolo. Commentarii, qui Probi nomine feruntur, haec quidem habent ad istum versum: « *Aetolus pastor Staphylus, cum Oenei capellas in pabulum deduceret, notavit unam praecipue, sedentem* (leg. secedentem) *a grege, laetiorem ceteris, recipientem se serius in praesepia. Cujus rei ut causam cognosceret, secutus est eam clam, et in remota*

gir, a cujus nomine Liber pro inventi gloria statuit oenon vinum appellari." vix dubium est quin Donati Commentarium ad Georgica, qui nunc totus interiit, sua aetate superstitem habuerit.

Jam itaque constet, Donatum et ad Aeneidem et ad Eclogas et ad Georgica quondam Commentarios scripsisse, e quibus quum reliqui perierint, hi soli in Aeneidem supersunt; de quorum praestantia et usu priusquam judicium feramus, audiemus quae Burmannus Junior in Praef. ad Virgilii editionem a Patritio inchoatam, de istis exposuit.

» Tib. Cl. Donati Commentarii in Virgilii Aeneida » (sic scribit p. 87.) primum a Joh. Joviano Ponta» no reperti sunt, et per Scipionem Capycium pro» dierunt Neapol. 1535. fol. vide Leonard. Nico» dem. in Addit. ad Nic. Toppii Biblioth. Neapolit. » p. 227. tum in Basiliensibus G. Fabricii et Lud. » Lucii, et recentioribus aliorum editionibus ha» bentur.

» Mendosissimos tamen, et per inferiorum tem» porum Grammatistas conspurcatos valde hos Com-men-

stirpe animadvertit uvam edentem, pomum ei incognitum, et sustulit, regique pertulit Oeneo; qui, expresso humore delectatus, cum eum vetustate cognosceret mitescere, Libero patri apposuit, accepto a se hospitio. Cujus rei cultum cum demonstraret Liber, ut perpetua inventorum esset gloria, constituit, ut ab Oeneo Oenon (leg. οἶνον) *appellaretur vinum: a Staphylo, uva Staphyle* (leg. σταφυλή)." Sed hic locus fortasse unus ex iis habendus est qui ex antiquioris Probi Commentariis desumti sunt: quin et fieri potest, ut alia non multum dissimilia in antiquioris Probi Scholiis annotata legerit Apulejus.

» mentarios esse queritur Barth. ad Stat. lib. IV.
» Th. vs. 445. [» *Mirificis*, inquit, *modis conspurcata sunt haec universa Commentaria. Habita nimirum pro lacunis, in quas venena sua omnes nebulones egererent.*"] et lib. XI. vs. 515. (1) ubi optat, ut pro his Donati Commentariis exstaret potius ejusdem liber nunc deperditus, quo Urbium, Fluviorum, Deorum, Dearumque nomina apud Virgilium occurrentia cum Historica Aeneidos Exegesi exposuit. Vide et de eorum interpolatione Henr. Steph. de Criticis p. 72. 209. et 248. et in Schediasm. de Delect. in Lect. Virgil. p. 49. ex quo patebit magnam esse differentiam inter illa, quae in editis Donati exemplaribus, et inter ea, quae in codicibus manu exaratis habentur, et saepe Servium producere nonnulla ex Donato, quae in eo reprehendit, quae nunc in vulgatis Donati Scholiis » non

(1) Lege potius L. XI. vs. 543. (T. III. p. 1386) ubi haec scribit Barthius: » *Fuere autem non unius generis Maroniani olim interpretes; atque ex veris Criticis et Philologis doctissimis corrasa sunt Commentaria, quae Servii nunc titulo prostant. Ita ex paraphraste non uno videntur constipata, quae Donati nomen praeferunt, etsi Donatum ad Donatianum filium haec commentatum esse, ex inscriptione operis et re ipsa minime dubium esse debeat. Utinam vero, vel cum jactura horum Commentariorum, Donati hujus liber exstaret, quo Urbium, Fluviorum, Deorum, Dearumque, etc. Virgilio usurpatorum nomina, cum Historica Exegesi Aeneidos ipsius, comprehendit. Multo utique majore eruditionis fama nunc esset, omnium utique post sacram Scripturam, pretiosissimus, et omni admiratione dignissimus, auctor.*"

» non inveniuntur. Vide ad lib. III. Aen. 535.
» et 636.

» Hinc supposititium esse Donatum judicat Meru-
» la ad Ennium p. 56. (1) his verbis: *Suppositi-*
» *tium appello Donatum, nec injuria. Quae enim*
» *tanti momenti ratio me inducet, ut credam eum*
» *esse Donatum, diligentem alioquin scriptorum*
» *veterum interpretem, cui tam obstinata et morum,*
» *qui retro, et auctorum in Commentariis sane pro-*
» *lixis praetermissio. Ne ipse quidem Georg. Fa-*
» *bricius fidem mihi faciet: mea mens illa; Quae*
» *Donati nomine in Virgilium circumferuntur,*
» *non Donati esse, sed alicujus, non ineruditi ta-*
» *men, Paraphrastis. De mutilatis, quae nobis*
» *alias obtrudunt editiones, sileo.* Dissentit a Merula
» Barthius lib. XXXIII. Advers. cap. 13. ubi adfir-
» mat Donatum revera esse horum Commentariorum
» auctorem (2), seque in Anglia perveteres mem-
» bra-

(1) Merulae adsentitur Petrus Nannius in Syll. Miscellan. L. 1. c. 5. (in Gruteri Fac. Cr. T. I. p. 1289.) « *Commentaria in Vergilii Aeneida, quae sub Donati nomine circumferuntur, ausim jurare, ne verbum quidem Donati habere. Aliquis indoctus indoctissimis verbis paraphrasin scripsit in Donatum, id jam mundo obtruditur pro Donato, et a magnis viris tum in Italia, tum in Germania pro legitimo agnoscitur, tantum est philtrum in magnificis titulis. Stomachari me fateor, quis enim non aegre ferat tot doctis et studiosis imposturam fieri? per istas inscitissimas nugas, nec rebus, nec elegantia sermonis instructas.*"

(2) Cf. ad Stat. Theb IV. 445. ubi haec ait: « *Tiberium Donatum et nos in membranis vidimus, ne audiantur, qui doctissimo Fabricio negotium eo nomine volunt facessere.* et XI. 543. « *Non*

» branas evolvisse nomen ejus agnoscentes; sed a » Georg. Fabricio pro lubitu contracta, et in ordinem » disposita fuisse, laudatque eum ut *Paraphrasten* » *non ineptum sed diligentem*, *frustraque Paul.* » *Merulam titulum Donati adspernatum esse*: » quamquam Georg. Fabricius tamen eum *neque le-* » *ctionem observasse*, *neque verborum exquisitum* » *fuisse interpretem* notet ad lib. X. Aen. vs. 277.

» Non esse tamen Donati haec Commentaria, » quae in Virgilii Aeneida circumferuntur, sed po- » tius Asinii Pollionis, contendit Ptolemaeus Flavius » in Conjectaneor. Centur. cap. 95. apud Gruter. » in Fac. Critic. T. I. p. 992.

» » *In tria illa*" " inquit Flavius, cujus disputa- tionem hic inseremus, » » *eminentissimi Poëtae* » » *Vergilii opera plerique e priscis commentarios* » » *ediderunt*, *ut Servius*, *Hyginus*, *Probus*, » » *Asper*, *Urbanus*, *Cornutus*, *Asinius*, *Dona-* » » *tus*, *Pollio et alii*, *quorum vigiliae cum ma-* » » *gna ex parte interierint*, *et quae exstant in* » » *non paucis mutilae sint*, *non mirum est*, *si* » » *quae Pollionis Asinii sunt*, *Donati titulo cir-* » » *cumferantur. Nam quod nonnulli suspican-* » » *tur*, *eum esse Tiberium Donatum*, *nunquam in* » » *eam suspicionem incidissent*, *si hujus Tiberii* » » *Donati commentarios in manibus sumsissent*, » » *quorum copiam fecit mihi tempore illius ca-* *la-*

inscita sunt quae Tiberio Donato adscribuntur, *qua in re Georgii Fabricii fidem immerito nonnulli suspectam habent. Nulla enim causa erat illi fingendi*, *aut incidendi hunc Virgilianum interpretem.*"

» » *lamitosi belli Feltrii, Alexander Sentinas Ju-*
» » *risconsultus ex gente sui nominis. Ne cre-*
» » *dam esse opus Donati celeberrimi Gramma-*
» » *tici, Servius facit, qui cum multi ab illo dis-*
» » *sentiant, horum nulla fit mentio in his Com-*
» » *mentariis, qui illius nomine imprimuntur.*
» » *Praeterea Donatus, ut ex eodem Servio di-*
» » *scimus, in ipsa quoque Georgica scripserat*
» » *scholia, quorum nullum apparet vestigium:*
» » *at haec ramenta ista, in quibus quotidie com-*
» » *pendia fieri a chalcographis videmus, Donati*
» » *phrasin non redolent, si quis modo exacte*
» » *judicet. Ut Asinii Pollionis esse credam,*
» » *Servii ex Aeneidos verba faciunt in eo hemi-*
» » *stichio* [Aen. II. 7.] Aut duri miles Ulys-
» » si. » Illud autem, quod Asinius Pollio dicit,
» » caret ratione, de Achemaenide dictum, miles
» » Ulyssi." *Nam in eo, qui creditur Donatus, sic*
» » *leges:* » Talia quaeris me narrare, quae etiam
» » hostis si audiret, non abstineret a lacrymis."
» » *Ibi enim fuit unus ex Graecis Achaemenides*
» » *quem fleturum dicit. Si quando de ipso*
» » *Asinio, quod raro accidit, meminerit Ser-*
» » *vius, neque illius commentum deprehendes*
» » *in exemplaribus, non erit mirandum in tanta*
» » *codicum mutilatione, cum haec quae citavi-*
» » *mus in aliquibus non legantur. Hic est ille*
» » *Asinius Pollio, qui, ut docet Horatius, tra-*
» » *goedias scribebat, et res memoratu dignas*
» » *historiarum monumentis mandabat, ad quas*
» » *allusit Maro* [Ecl. III. 86.] » *Pollio et ipse*
» » *facit nova carmina.*" "]

D 2 Cer-

» Certe genuinum ac verum Donatum (ita pergit
» Burm.) nos hodie non habere docent codices ejus
» MSSti, qui ab editis longe diversi et integriores
» saepe a viris doctis memorantur: et passim Pierius
» in Castigationibus suis profert plurima ex locuple-
» tiori Donati exemplari. vid. ad lib. I. Aen. 178. et
» III. Aen. init. sic integra Donati Commentaria in
» duos ultimos Aeneidos libros a Camillo Portio se
» habuisse testatur ad lib. XI. Aen. 410. ubi locum
» insignem ex isto codice profert, ex quo vel prae-
» cipue appareat, quantum amiserimus detestabili
» illius facinore, ut ait, qui tam docta mutilavit
» commentaria. Neque operam lusissent viri docti,
» qui Virgilium cum Donati Commentariis edide-
» runt, si illa, quae et alibi passim Pierius in notis
» suis ex integrioribus codicibus profert, quaeque in
» vulgatis exemplaribus frustra quaeruntur, diligen-
» ter excerpta suis locis recte atque ordine dispo-
» suissent, ut hac saltem parte supplere potuissent
» ea, quae nunc turpi mangonio detruncata dede-
» runt homines Musis iratis nati.

» Diversum quoque ab editis Donati codicem pos-
» sedit olim Christoph. Landinus, indicante ejus dis-
» cipulo Ang. Politiano in Miscellan. cap. LXXVII.
» Sic ampliorem vulgatis Donati Commentarium ha-
» buit Adrianus Barlandus, cujus Adnotationes in
» IV. priores Aeneidos libros prodierunt Antverp.
» 1544. non Lovanii, ut male Fabricius; licet ille
» plurimas enarrationes Donato et castigationes fere
» suas debeat Pierio. Integrum quoque Donati in
» Virgilium Commentarium se nactum esse ex castro
» quodam S. Maximini prope Aquas Sextias in Pro-
» vin-

» vincia, ubi Bibliotheca a Rhenato Andegavensi
» instructa habebatur libris a Mario Philelpho eo
» congestis, scribit Alciatus in Epist. V. et VI. ad
» Francisc. Calvum, inter Epist. Gudianas p. 81. et
» 84. Quin et codex ille Bibliothecae Harlemensis,
» ex quo Donatum emendare et restituere in animo
» habuerat Theod. Ryckius, ut supra diximus, quem
» oculis aliquando lustravi, non tantum optimae,
» licet recentioris, notae exemplar est, sed ut mul-
» ta suadebant, videbatur etiam editis longe auctius
» et integrius, atque hunc praeferebat titulum: *Ti-*
» *berii Claudii Donati ad Tiberium Claudium*
» *Maximum Donatianum filium suum Interpreta-*
» *tionum Virgilianarum incipit*, et in fine Codicis
» subscriptio talis habetur: *Virgilianarum Inter-*
» *pretationum Eneidos liber duodecimus explicit.*
» *Deo gratias. Scriptus autem fuit per me Fran-*
» *ciscum S. Nicolai Berti Martini de Sancto Ge-*
» *miniano, civem et notarium Florentinum, de*
» *anno Domini 1466. de mense Decembris in ci-*
» *vitate Florentina, tempore Sanctissimi in Chri-*
» *sto Patris et Domini Dñi Pauli, divina Pro-*
» *videntia P. P. secundi Pontificatus sui anno*
» *tertio.* His tamen Donati Commentariis locum
» dare in hac editione non potuit Patruus, uti nec
» Probo, multo minus Pomponio isti Sabino, ne in
» nimiam molem excresceret opus, maxime quum
» Servio praecipuam destinaverat curam."

De Donati Commentariorum pretio, si quis judicium ferre velit, is quaeso, nisi iniqui judicis notam in se contrahat, probe tenere velit, Commentarios istos, quales eos nunc habemus, valde mu-

mutilatos mendososque esse. Si Servium audias, ubique fere Donati interpretationes reprehendentem, fortasse opinaberis talem interpretem non magni aestimandum esse qui in tantis toties lapsus sit. Fateor equidem Servii majorem, quam Donati, fuisse doctrinam, neque hunc tali modo de universis Veterum literis meritum esse; etsi nemo negaverit hujus quoque Commentarios aliquid frugi habere. Sed in utriusque scriptoris comparatione non nihili faciendum erit diversum utriusque consilium. Est enim verum, quod Georgio Fabricio, Donatum Serviumque edenti, accinit Hiobus Madeburgus Annebergensis (in conversa tituli pagina):

Interpres, quo sunt conscripta haec numina, eadem
Certe opus est agitante calescat.
Talis Donatus, talis quoque Servius; alter
Res tractat, verba explicat alter.

Servius utique in suis Commentariis grammaticum agere potissimum voluit, Donati consilium fuit aestheticam scribere quam vocant interpretationem: »*In universis Commentariis*, sicut Fabricius in Bibl. Lat. T. I. p. 345. ait: *id agit potissimum Donatus, ut vim dicendi et artificium rhetoricum in singulis explanet, et simul proprietatem vocum, delectum atque consilium et motus, affectusque et pondus, et τὸ πρέπον morum, sive, ut Donatus appellat, moralitatem accurate servatam a poëta demonstret, atque egregiam inventionem a principio per totum opus decurrentem in Aeneae laudibus ad Turni usque necem perducendis.*"
Servius insignem suam laudem potissimum nactus

est

est propter ingentem, quam Commentario suo inseruit, notitiarum copiam, quibus et Historiam et Geographiam et Mythologiam, aliasque Literarum partes illustravit. Hac vero Donatus caret, qui Virgiliani poëmatis interpretationem in filii sui usum scripturus, Commentarium suum necessariis, quas ipsa res postulabat, notitiis ornare, quam alienis undequaque conquisitis onerare, maluit. Cujus quidem propositi memor, ne extra orbitam vagaretur, subinde manum videtur abstinuisse: capto interim consilio ea, quae sive ex Historia sive ex Geographia sive ex Mythologia ad doctissimum poëma notatu digna viderentur, in peculiari libro explicandi; quemadmodum ipse fatetur ad initium catalogi pugnatorum in L. VII. vs. 646.

Primus init bellum, Tyrrhenis asper ab oris
Contemptor divûm Mezentius cet.

ad quem locum ita scribit: » *Catalogus iste huic interpretationum libro non fuerat inserendus. Nihil enim habet, quod artificiose posset exponi: est quippe nominibus hominum, gentium, fluviorum, deorum, terrarum, montium, herbarum, provinciarum, ac fontium plenus et refertus. Tamen ne quid libro decerpi videatur, dicemus aliqua ejus uno libro, qui tertius decimus erit: cum totius operis complexione dicturi, ut historiae per duodecim libros sparsae, et cetera quae supra dicta non sunt, possint evidenter apparere.*"

Donati Commentario praemissa est Vita Virgilii; quae, si antiquis Codicibus fides haberi possit, pro Do-

Donati labore agnoscenda est; in plerisque enim hoc opusculum hanc habet inscriptionem: *Tib. Claudii Donati ad Tib. Claudianum Donatianum filium de P. Virgilii vita.* Dubitatum quidem est a Viris doctis an hic fetus doctum illum Grammaticum, cujus nomen prae se fert, habeat parentem; argumento, quod passim ridiculis scateat ineptiis. Sed Heynius, cujus judicium numquam non plurimi facio, acriter subodoratus est, fundum hujus narrationis deberi Donato, mox tamen eam, cum passim fuerit transcripta, modo a Grammaticis, modo a librariis, quorum novam quisque narratiunculam, quam fando acceperat, exemplari suo intexeret, ita esse interpolatam, ut nunc in tali farragine plerumque vix dici possit quid Donati fide proditum sit nec ne. Hujus sententiae praesidium Vir Doct. petit inde, quod nullus facile inveniatur Codex in quo non Vita haec modo plenius, modo contractius perscripta legatur. Cujus argumenti probabilitati hoc accedit, quod et reliqua, quae nobis ex hoc genere Grammaticorum scriptis supersunt, misere sint Monachorum foeditate contaminata. Nec mirum: puta enim, quam facile sit hujusmodi scriptis aliquid addere. Est tamen ea scriptio, licet hic illic infarctricem manum passa sit, non omnino nihili aestimanda, et, me quidem judice, longe praeferenda reliquorum Scholiastarum laboribus: cum, quod vita Virgilii et fata Aeneidos post poëtae mortem non ineleganter memorentur, tum praecipue, quod non aliunde cognitas notitias exhibeat de Grammaticis qui olim Virgilianae poëseos interpretationi operam dederunt.

Ut autem Donatus hanc Vitam, sic et reliquum Com-

Commentarium filio suo dedicavit. Apparet hoc ex Epistola, quam in antiquis Codicibus ad calcem Libri XII. inventam Ge. Fabricius edidit p. 1825.

Tiberius Claudius Donatus
Tib. Claud. Max. Donatiano filio
S. P. D.

Incertum metuens vitae, quod magis senibus incumbit et proximum est, cursim scripsi quae potui: relinquens plurima, et ea saltem edi volui, quae tibi ad caetera intelligenda aditus et vias aperirent; ut si quid mihi adversi accideret, haberes interpretationum mearum quod imitareris exemplo. Verum quia ex communi voto contingit diutius vivere, hos libros interim legendos curavi: mihi enim certum est dehinc, me non esse deserturum in te studium patris, ut tibi quantum potuero, pari praeparem cura, quae propter supra dictam causam videor omisisse. Sic enim fiet, ut origines singularum personarum, quas Vergilius Aeneidos libris comprehendit, et quae in aliquo studio floruerunt, aut nullius fuerint meriti, vel contraria deligendo, depressae sint. Simul etiam cognosces oppidorum insularumque rationem, regionum, montium, camporum vel fluminum, templorum ac fanorum, herbarum. Quin etiam et lignorum vocabula, et caetera his similia. Sed haec sic accipias velim, ut ex Commentariis scias Veterum me esse collecturum: antiqua enim et fabulosa ac longinquitatis causa incognita, nisi priscorum docente memoria non

po-

potuerunt explicari. Proinde si haec longiori ejus suffragio complere valuero: erit tibi gratissimum labore potius patrio ista didicisse, quam tuo. Si minus legendi sunt tibi veteres, necessario collecta condiscat. Interea non deërit etiam in hac."

Sed utrum iste juvenis alio quodam insigni labore, praeterquam hac paterna commemoratione, nobilitatus sit, dicere nescio.

Apparet vero ex hac Epistola, Donatum Commentarios istos, pridem a se scriptos, in senectute legendos curavisse.

Ceterum dubitari possit an fata Donatum perficere siverint laborem, quem, ut modo vidimus, se perfecturum promisit ad L. VII. 646. quod si ita sit, Barthius censeatur interitum lacrimasse libri, qui numquam extiterit. Loquitur enim in hac Epistola, quam quidem maxime senex scripsisse videtur, de isto labore tamquam nondum perfecto, quippe scribens, se, quae ad cognoscendam oppidorum, insularum, regionum, aliarumque rerum rationem pertineant, ex Veterum Commentariis *collecturum*, atque adeo nondum collegisse; mox autem, ubi ait „antiqua et fabulosa nisi priscorum docente memoria non *potuerunt* explicari," videtur quodammodo significare librum jam esse conscriptum. Haec autem fortasse ita intelligenda erunt ut Donatus, ubi hanc Epistolam scriberet, congestam quidem, nondum tamen digestam habuisse materiem, censendus sit.

§. 4.

§. 4.

MARIUS SERVIUS HONORATUS (1).

Marius Servius Honoratus in interpretandis Virgilii carminibus tanta doctrinae suae specimina exhibuit, ut, qui illum superaverit, nemo, quos ille, plurimi nominari possint: meritoque a Cramero in notis ad Scholiast. Juvenal. VIII. 16. nominatur *omnium Scholiastarum Latinorum, post Asconium, doctissimus et utilissimus, absque quo esset, ut multa antiquitatis eruditae capita, inprimis autem juris pontificii et auguralis disciplinae, in quibus ille omnium princeps esse videtur, prorsus ignoraremus.* Et, si verum est, quod non licet dubitare, Rhetorem et Grammaticum ita quemque nobis maximi pretii aestimandum esse, ut et artis rationem maxime tenuerit et inprimis ut frequentissimus fuerit in memorandis cum rebus ex Historia et Antiquitate non aliunde cognitis, tum locis et notitiis scriptorum perditorum; nequaquam du-

(1) De nomine haec docet Fabricius Bibl. Lat. T. I. p. 319: « In edd. fere dicitur *Servius Maurus Honoratus:* in opusculis ejus, a Putschio editis, *S. Marius Hon.* in aliis edd. *Marius Servius Honoratus:* in edd. Rob. Stephani, Juntae et P. Danielis, *Maurus Servius Hon.* in MS. Paris. *Servius Honoratus.*" Morhof. Polyh. T. I. p. 864. opinatur scribendum esse *Maurum Servium Honoratum,* sed non addit quaenam suae opinionis argumenta habeat. Pomponius Sabinus in suis ad Virgilium Commentariis ipsum constanter vocat *Sergium:* semel tamen *Servium.*

dubito pronuntiare solas Servii lucubrationes majoris pretii aestimandas esse quam conjunctas omnium reliquorum Scholiastarum vigilias (1).

Qualem enim in Servii Commentariis ubique conspicimus diligentem Veterum Scriptorum lectionem, accuratam Grammatices subtilioris cognitionem et non vulgarem Historiae Antiquitatisque notitiam, talem in omnibus reliquis, et vel in Asconio, frustra quaeremus. Virgilium ex Virgilio, sed potissimum e Graecis interpretari studuit; et saepius, notans in quibus Virgilius Homerum, Theocritum, Apollonium, Ennium, aliosque imitatus sit, etiam de his non exigue meritus est: quorum quippe verba subinde comparet et explicet. Huc accedit, quod, qua ille vivebat aetate, Veterum Scriptorum opera multo fuerint integriora minusque inquinata; quin et habuit scriptores, quorum nobis, absque ipsius commemoratione, ne nomina quidem nota fuissent; cujusmodi notitias, quo plures per illam medii aevi barbariem perierunt boni libri, eo majore cum cura ex hoc tamquam naufragio operae pretium est colligere. Et vero non minus de historia meruisse censendus est et antiquitate populi inprimis Romani; cum enim ea explicare studeat, quae in Virgilio difficiliora viderentur intellectu, saepius vel antiquissima ipsum perscrutari videmus monumenta. Quin et vivens iis temporibus, quibus multa instituta, quae antiquitus viguerant, abrogata erant, pleraque saltem pro parte mu-

(1) Barthius ad Stat. Theb. XII. 812. non dubitat Servium vocare *omnium Philologorum Coryphaeum.*

mutata, notavit ea et explicavit, quae harum rerum scriptores tamquam satis nota praeterierant. Etsi in eo fortasse culpae notam trahat, quod nimium studuerit pleraque explicare ex vetustissima Romanorum religione; quod recte monuit Heynius, qui, ubi de Servio agit T. V. p. 536. *Mirum*, ait, *hominis est studium revocandi pleraque ad veteres Romanas religiones, Pontificias et Flaminias; nec multum abest, quin Aeneam Flaminis munere fungentem exhibeat.* Quod quamquam negari non possit (1), nihilominus tamen tantam sibi nactus est auctoritatem, ut subinde recentiores, ubi de rebus ad Grammaticam, Antiquitatem, Geographiam, vel Historiam pertinentibus scriberent, Servio non minorem fidem tribuerint, quam cuivis alii vel optimae notae scriptori.

Hinc est, quod et ii, qui ipsos Veteres aetate sua proxime attigerunt, quemadmodum Acro, Priscianus, Apulejus, Malala et alii, non dubitarint passim Servii auctoritatem in partes vocare. Horum testimonia collecturus, necesse duco monere, alia quidem, quae ab ipsis inde excitata sunt, nunc quoque in Servii Commentariis extare; alia vero, quae

(1) Exemplo sit v. c. quod scribit ad Aen. III. 359. *Sciendum tamen, sicut veteres auctores adfirmant, peritissimos auguriorum et Aeneam et plurimos fuisse Trojanos.* Tum hoc ad Aen. XI. 76. *Sane hoc videtur secundum caerimonias Flaminum subtiliter dixisse; Flamini enim nisi unum mortuum non licet tangere, sed Aeneas plurimos postea occidit. Sed aliud est, in bello occidere, aliud, mortuum tangere. Sciendum est tamen, Aeneae omne genus sacerdotii tribui.*

quae hujus nomine memorantur, in iis non reperiri. Quà re duae potissimum suspiciones confirmantur: prima est, quod Commentarii, qui nunc Servii nomine prostant, sint iidem illi, quos ipsi Veteres cognoverunt: altera haec est, quod Servii Commentarii antiquitus hic illic locupletiores fuerint. Servium igitur citarunt:

Acro ad Horat. L. III. Od. 1. 2. FAVETE. *Silete modo. Sic enim Servius in V. Aeneid.* [vs. 71.] *exponit, ubi Virgilius: » Ore favete omnes et tempora cingite ramis."* Ore favete: *apto sermone usus est et sacrificio et ludis; nam in sacris taciturnitas, in ludis necessarius favor est. Favet autem ore etiam quis per taciturnitatem. Horatius* [L. III. Od. 1. 2.] *» Favete linguis* (1)".

Priscianus L. VI. p. 698. *Coluber etiam colubra facit: haec acer arbor, acri, dicit Serv. in commento Virgilii* [..], *cum nullum in* er *femininum secundae inveniatur declinationis.*

Idem L. VI. p. 711. *Fastus, quando a fas*tidio *est verbo, quartae est: quando vero pro Annali accipitur, a fastis et nefastis diebus sic dictum, frequentius secundae est. Invenitur tamen et quartae. Lucanus in X.* [vs. 187.] *» Nec meus*

(1) Acro citat Horatii locum quasi ad alium poëtam scriberet Commentarium, ut recte vidit Burmannus ad Servii l. c. Equidem non credo Acronem ipsum Servii verba descripsisse. Imo, parum abest quin pro certo habeam, posteriorem hujus Scholii partem *Ore favete: apto — linguis* a recentiori quodam librario ex Servii Commentario in Acronis Commentarium intrusam esse.

meus Eudoxi vincetur fastibus annus." *quod tamen errore Lucani prolatum dicit Servius in Comment. III. lib. Virgil.* [ad vs. 326.]

Idem. L. X. p. 880. *Et videtur etiam Virgilius sic protulisse in I. Aeneid.* [vs. 174.] *» Ac primum silicis scintillam excudit Achates, Suscepitque ignem foliis."* Excudit *enim, tam praesens quam praeteritum potest intelligi; sed quia* suscepit *subjunxit, melius praeteritum intelligitur. Idque etiam Servius in commentario Aeneid.* [I. 174] *comprobat his verbis: » Excudit autem, feriendo ejecit, quia cudere est ferire. Unde et incus dicitur, quod illic aliquid cudamus, id est, feriamus.*

Apulejus de Nota Aspirationis §. 8. ed. Fr. Osann. p. 90. A *ante* r *aspiratur in* harum *genitivo. In* hara *quoque, quando stabulum significat porcorum: et ut discrepet ab* ara, *deorum. Dicit praeterea Servius* [..] *quod* hara *aspiratum, avem augurialem significat: a quo nomine* haruspex *et* hariolus *asserit derivata, eosque falsitatis arguit, qui* aruspex *et* ariolus *ab* ara *deorum astruunt derivari, cum in* ara, *deorum, principalis producta sit, in* aruspex *vero et* ariolus *brevis.* Harena *etiam dicit Servius* (1) *aspirandum, quia a verbo* haereo *derivari videtur: eo quia mixta calce in parietibus haereat.*

Joannes Malala in Chorographia L. VI. p. 162. edit. Dindorfii. Τότε δὲ Αἰνείας ὁ Ἀγχίσου, ὁ Φρὺξ Φεύ-

(1) Uterque Servii locus, quem Apulejus citat, in Commentariis ad Virgilium frustra a me quaesitus est.

φεύγων ἐκ τῆς πορθήσεως τοῦ Ἰλίου, ἤτοι τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου, ἀπῆλθεν ἐπὶ τὴν Λιβύην, πρὸς τὴν Φοίνισσαν Διδὼ, τὴν καὶ Ἐλίσσαν. Καὶ ἐνδιατρίψας ἐκεῖ, λάθρα ἐάσας αὐτὴν, ἔφυγεν, ὡς φοβηθεὶς τὸν Ἰάρβα, βασιλέα τῆς Ἀφρικῆς· καθὰ Βεργίλλιος ὁ σοφὸς Ῥωμαίων ποιητὴς συνεγράψατο. Ὁ δὲ σοφώτατος Σέρβιος, ὁ Ῥωμαῖος, ἐν τοῖς αὐτοῦ συγγράμμασιν ἐξέθετο, εἰπών· Ὅτι, Μετὰ τὸ τελευτῆσαι τὸν Αἰνείαν ἔτη πολλὰ ἦν ἡ Διδὼ, ἀπὸ πόλεως μικρᾶς, λεγομένης Χαρτίμας, οὔσης τῆς παράλου Φοινίκης, μεταξὺ τῶν ὁρίων Τύρου καὶ Σιδῶνος (1).

Idem L. VII. p. 180. seq. Ἔσχε δὲ ὁ αὐτὸς Ταρκύνιος υἱὸν ὀνόματι Ἄῤῥουνς, δι' ὃν ἐξεβλήθη τῆς βασιλείας, ὅτι βιασάμενος τὴν Λουκρητίαν συγκλητικὴν ἐμοίχευσεν ὁ υἱὸς τοῦ Ταρκυνίου ὁ Ἄῤῥουνς· κἀκείνη ἔσφαξεν ἑαυτήν, ὡς σώφρων. καὶ ἐγένετο ἐμφύλιος πόλεμος μέγας ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπὶ χρόνων, καὶ πολλοὶ ἐσφάγησαν. ταῦτα δὲ συνεγράψατο ὁ σοφὸς Σέρβιος ὁ Ῥωμαίων συγγραφεύς.

Lupus Ferrariensis Epist. VIII. » *Namque quod alia penultima primae et secundae personae producant, Servius auctor est, qui in eo versu ubi Virgilius systolen fecit his verbis* [Aen. VI. 514.] » *E-*

(1) Malala aliquoties citat Latinos scriptores, Florum, Livium, Lucanum, Sallustium, Suetonium, Ciceronem: sed ipsum horum opera numquam oculis suis conspexisse, et ne linguam quidem intellexisse contendit Humfredus Hodius in Prolegom. §. XXXVI. Quae si ita sint, non mirum videatur, in Servii Commentariis frustra quaeri, quae a Malala citantur. — Historiam Lucretiae tangit Servius ad Aen. VI. 819. et VIII. 646.

» *Egerimus nosti, et nimium meminisse necesse est.*" ri *inquit* [ad h. l.] *metri necessitate corripuit.*

Idem Epist. XV. *Patrem patratum nomen esse gradus Sacerdotalis existimo, cum is qui eo fungeretur tantum venerationis a civibus mereretur, ut eorum pater factus diceretur, per quem ea faciebant, quae in Servio* (1) *legis: ut hostes, quos viribus superare moliebantur, prius religione terrerent.*

Auctor Glossarii Virgiliani: Apparere. *Praestare, adesse. Virgilius* [Aen. VIII. 555.] »*Semperque ad limina regis apparent.*" *Inde* apparitores *constat esse nominatos, ut ait Servius* [ad Aen. XII. 850.]

Isidorus Hispalensis, etsi in Originibus suis nusquam Servii Commentarios nominatim laudet, plurima tamen inde sumsisse perhibetur. Hanc ob rem Barthius quidem ad Statii Theb. VI. 241. Isidorum vocat *perpetuum Servii exscriptorem:* illudque tam severum judicium multis exemplis probavit: ad Statium T. II. p. 273. 320. 582. T. III. p. 487. p. 1168. et passim. Equidem vero suspicari malim, ea, quae in utroque scriptore ad verbum conspirent, ab

(1) Posteriorem, quem Lup. Ferr. citat, Servii locum non potui reperire. Et frustra quaesivisse videtur Clericus, cujus haec sunt in Art. Crit. T. II. p. 332. *Censent Viri Docti Commentarios in Virgilium non amplius extare, sed, quos habemus, esse excerpta fraterculorum, qui innumera eis inepta et indocta admiscuerunt, quod res ipsa docet. Tempore Lupi Ferrariensis, ampliores eos fuisse constat, ex ejus Epistolis, in quibus Serviana nonnulla proferuntur, quae nunc amplius non comparent.*

ab alio quopiam ex Isidori libris in Servii Commentarios infarcta esse, adcoque Isidorum injuste saepius a Viris Doctis plagii accusatum esse opiner.

Non minus ingrato quam impudenti animo Servianam operam usurpasse videbitur Lutatius, Statii scholiasta, si, quae totidem verbis apud utrumque leguntur, hunc ex illius Commentariis descripsisse contendas. Possit quis suspicari utrumvis ex alterius cujuspiam, qui perierit, Commentario sua scripsisse. Quidni autem hic eandem rem esse opinemur, quam in Isidori falsa criminatione suspicati sumus?

Idem censeo de aliis Scholiastis, ut et de Hygino, inter cujus fabulas nonnullae sunt, quae iisdem fere verbis apud Servium expositae leguntur, ut passim annotavit Munckerus ad Hygin. Fab. 164. 177. 258. 259. 260. alibi.

Ipsos autem sine dubio Servii Commentarios usurpavit Pomponius Sabinus, qui multa quidem inde, non addito nomine, desumsit, aliquoties tamen Servium commemorans. Speciminis loco has Pomponii notas citamus:

ad Ecl. II. 18. ALBA LIGUSTRA. *Servius in ligustri ac vacinii expositione, ut in plerisque aliis, errat. Scribit enim* [ad h. l.] *ligustrum, lilium esse album: vacinium vero, florem nigri coloris, qui Graece hyacinthus dicitur.*

ad Aen. II. 479. BIPENNI. *Securis est bipennis utramque habens aciem, ut Quintilianus libro primo* [c. 4.] *asserit: errant qui a pinnis duabus hoc esse nomen existimant, et pinnas avium dici volunt. Sergius*

gius [ad h. l.] *ait, antiquos dixisse* pennas *et* bipennem *servare antiquitatem.*

ad Aen. IV. 436. Dederit. *Sic legit Apronianus. Tucca et Varus, referente Sergio* [ad h. l.] Dederis *legunt: cum dederis veniam, cumulatam morte remittam, id est relinquam acceptum ab eo beneficium, morte cumulando: ita intelligit Apronianus: hanc opinionem Sergius damnat.*

ad Aen. IV. 551. Ferae. *Legunt quidam* fere *adverbium. Sergius* [ad h. l.] *intelligit* ferae, *id est lyncis, quia lynx amisso socio aliis non conjungitur; hoc non memini me legisse nec apud Plinium nec alios.*

ad Aen. IV. 680. Patrios deos. *Sergius* [ad h. l.] *Saturnum et Junonem intelligit.*

ad Aen. V. 187. Aemula pristis. Aemulus, *Sergius* [ad h. l.] *ait bene, ejusdem rei studiosus.*

ad Aen. V. 421. Duplicem amictum. *Inquit Sergius* [ad h. l.] *amictum, id est, abollam: quae duplex vestis est, ut chlamys.*

ad Aen. VI. 100. Vera. *Quae vera futura erant. Probus ait:* vera, *lucida. Alexander, a quo cepit Sergius, pro: veris obscura miscens: ut* [Aen. III. 61.] „*Date classibus austros.*"

ad Aen. VII. 796. Sacranae. *Sergius* [ad h. l.] *refert, quod quidam Sacranos Ardeates dicebant, ob sacrum votum: quod videtur*

tur comprobare Silius [VIII. 357.] *cum ait:* „*Sacra manus Rutuli.*"

ad Aen. IX. 380. Aditum. *Sergius* [ad h. l.] *legit* Abitum, *id est, exitum.*

ad Aen. XII. 394. Dedit. *Apronianus legit* dedit, *Sergius* [ad h. l.] dabat, *et damnat* dedit; *mihi placet: nam is, qui amore perditur, omnia dat amori suo.*

Nec dubium est, quin Servii opera aliis quoque profuerit, ubi vel alios poëtas scholiis illustrarent, vel de aliqua Grammaticae parte scriberent, quorum libri sive temporum injuria perierunt, sive adhuc in Bibliothecis inediti latent. Exemplo sint Scholia inedita ad Senecam, de quibus infra loco suo exponemus. In his Servius non semel memoratur; quemadmodum:

ad Herc. Fur. 751. Cervice saxum grande sisyphia sedet. *Sisyphus secundum Lactantium* (1) *cum montem Isthmos occupasset, homines ingenti saxo praegravans necabat. Secundum Servium sedens in scopulo, homines ibi pedes lavantes calce ex praerupto praecipitabat in mare.*

ad Thyest. 117. Alpheos. *Alpheus fluvius est Arca-*

(1) Significatur antiquus scholiastes Statii, in cujus Commentario hoc reperitur scholion ad Theb. II. 380. Sisyphiique ardent portus. *Cum inter duo maria montem positum crudeli latrocinio Sisyphus occupasset (hac enim poena mortalium pascebatur, homines praegravans ingenti saxo necare) tandem ab accolis deorum lege punitus, apud Inferos saxi, quod volvit, poenas exsolvit pondere.*

cadiae. Unde secundum Servium Elis et Pisa civitates sunt Arcadiae, in qua est fons ingens, qui duos ex se fluvios procreat Alpheum et Arethusam.

Priorem locum non inveni: alter est ad Aen. III. 694. ubi nunc in Servii editionibus pro *fluvios* legitur *alveos*.

Quemadmodum vero haec testimonia suadent, ut credamus, extitisse antiquitus in Servii Commentariis scholia, quae nunc non amplius in istis reperiuntur: sic contra, non dubium est, quin in his multa hodie legantur, quae a Servio nec scripta sunt, nec scribi potuerunt. Idque, opinor, nemo non fatebitur, qui vel partem horum Commentariorum, quales isti nunc sunt, accurate legere velit. Inveniet enim, non modo nullam fere paginam esse, quin ab aliena manu uno alteroque scholio aucta sit, sed vel paucissima in his Commentariis scholia legi, quae non onerata sint additamentis saepe prorsus alienis et absurdis: quod quidem adeo verum est, ut non dubitem dicere, nullum omnino esse inter veteres scriptores et vel inter Scholiastas, qui tantopere infarctricem manum experiri debuerit. Causa hujus rei non longe quaerenda est. Commentarii enim isti, quamquam ab initio ad Virgilii intelligentiam satis essent accommodati, quum a variis varii generis hominibus ut plurimum lecti et a subsequentium seculorum magistris pro vario discipulorum captu usurpati fuerint, non mirum est si tales manere non potuerint, quales a Servio scripti fuerant. Pro lubitu singuli modo detraxerunt, modo addiderunt scholion, idque modo ex propria,

mo-

modo ex aliorum penu depromentes. Cogita quam facile sit, scholiis scholion addere, et quam parum doctrinae requirat, Scholiastae laborem ex aliorum Scholiastarum laboribus augere. Hinc est, quod alia in his Commentariis reperiantur ad fastidium usque repetita; alia, quae, utpote aliunde desumta, omnino non accommodata sint ei loco, ad quem apposita sunt; alia denique, quae prorsus contraria sint iis, quae alibi in his Commentariis dicta erant. Qui deinde Servii Commentarios ediderunt, ad unum omnes, idque in magnum praestantissimi laboris damnum, pro perverso suo nova proferendi furore, magis intenti fuerunt, ut hos ex Codicibus undequaque conquisitis augerent, quam ut ea, quae ab aliena manu profecta esse videbantur, ejicerent. Sic itaque factum est, ut Servii labor, qualem eum nunc habemus, onere suo fere laboret. Nec mirum videatur, si dixero Servii Commentarium, post infarctos in ipsum et Isidori, Lutatii, aliorumque Scholiastarum thesauros, et insertas magistellorum nugas, nunc fortasse duplo majorem esse, quam qualem a Servio scriptum fuisse verosimile est.

De Servii igitur doctrina si quis judicare velit ex Commentariis, quales ii nunc sunt, periculum est ne nubem pro Junone amplectatur. Majoris autem, mea quidem opinione, aestimandum est judicium, quod Servii aequales de ipsa tulerunt. Hi autem quali honore Servium habuerint, optime patet ex Macrobii opere, cui *Saturnalium* nomen dedit. In his libris inter se colloquentes inducuntur amici, qui ad convivium convenerant, Vectius Praetextatus,

tius, Q. Aurelius Symmachus, Caecina Decius Albinus, Avienus, Eusebius rhetor, Disarius medicus, Servius grammaticus et alii. Audi, quam honorifice Servium ibi compellet Avienus, L. I. c. 24. » *Non assumam mihi, Avienus ait, ut unam aliquam de Virgilianis virtutibus audeam praedicare; sed, audiendo quaecunque dicetis si quid vel de his mihi videbitur, vel jam dudum legenti adnotandum visum est, opportunius proferam: modo memineritis a Servio nostro exigendum, ut quidquid obscurum videbitur; quasi literatorum omnium longe maximus palam faciat."* tum L. VI. c. 6. » *Sed nunc dicat volo Servius, quae in Virgilio notaverit, ab ipso figurata, non a veteribus accepta, vel ausu poëtico nove quidem, sed decenter usurpata: quotidie enim Romanae indoli enarrando eundem vatem necesse est habeat hujus annotationis scientiam promtiorem."* et L. VII. c. 11. » *His dictis, cum ad interrogandum ordo Servium jam vocaret: naturali pressus ille verecundia usque ad proditionem coloris erubuit; et Disarius: Age, Servi, non solum adolescentium qui tibi aequaevi sunt, sed senum quoque omnium doctissime, commascula frontem; et sequestrata verecundia, quam in te facies rubore indicat, confer nobiscum libere quod occurrerit; interrogationibus tuis non minus doctrinae collaturus, quam si aliis consulentibus ipse respondeas."* Quin et Servii modestiam non parum laudavit Macrobius, ubi hujus convivalis sermonis originem tradit, L. I. c. 2. » *Tum ille, Declinante, inquit, in vesperum die, quem Saturnale festum erat*

erat insecuturum, cum Vectius Praetextatus domi convenire gestientibus copiam faceret: eo venerunt Aurelius Symmachus et Caecina Albinus, cum aetate tum etiam moribus ac studiis inter se conjunctissimi: hos Servius, inter Grammaticos doctorem recens professus, juxta doctrinam mirabilis et amabilis, verecunde terram intuens et velut latenti similis, sequebatur." Ceterum, quae dotes Servio tribuuntur ab aequalibus, tales quoque omnino prodit per totum istum convivalem sermonem, ubi et de aliis rebus et de Virgilianis locis et verbis disputans, perquam doctissimi grammatici personam sustinet.

Praeter Macrobium nemo Veterum, quantum scio, de Servii persona quidquam memoriae prodidit: quo fit, ut in reliquorum scriptorum silentio haec Macrobiana notitia eo pluris habenda sit. Bene igitur animadvertamus, Servium ab eo (L. VI. c. 6.) dici *quotidie Romanae indoli enarrasse eundem vatem*, Virgilium; quibus verbis haud scio an quidquam aliud possit intelligi, quam Servium, sive Romae, sive in alia quadam Romani imperii urbe, scholam habuisse, in qua Romanos juvenes doceret Grammaticam; quo nomine non magis elementorum doctrina, quam poëtarum enarratio, comprehenditur. Et est antiquum quoddam scholion Acronis, quod ex istis Macrobii verbis lucem accipit. Acro enim ad Horatii verba *Et licet attestari*, quae sunt Sat. I. 9. 76. haec notans: „*Denunciantes litem attestatos habebant, quibus praesentibus conveniebant, ita ut aurem illis tertio vellerent*" addit: „*Sic Servius magister urbis exponit.*" Quo loco, in

om-

omnium editionum antiquarum consensu, nescio qua causa, pro *urbis* Vir quidam Doctus *nobis* scripsit ad marginem editionis Basil. 1545. cujus usum mihi ante aliquot annos concessit Cl. Peerlkampius.

Aetas Servii non quidem diserte a Veteribus memoratur, sed vix dubium est, quin ad Theodosiorum tempora referri debeat. Si statuas enim, quod quidem satis certum videtur, Servium, qui in Macrobii Saturnalibus disputantis personam agit, Macrobii fuisse aequalem, sequitur, ipsum vivere debuisse sub Honorio et Theodosio Juniore, quandoquidem hic sub istis Imperatoribus Sacri Cubiculi Praepositus fuerit, ut supra diximus Cap. IX. p. 163. provocantes ad Cod. Theodos. L. VI. t. 8. Sed fieri potest, ut Servii aetas potius ad Theodosii Senioris imperium referenda sit, quum verosimile sit, istum, quem diximus, honorem Macrobio aliquanto provectiori obtigisse, Saturnalium autem libros ab ipso paulo juniore scriptos esse, quod docte suspicatus est Jo. Andreas Bosius de Pontificatu Max. Imper. Roman. c. IV. §. 4. (in Graevii Thes. Antiq. Rom. T. V. p. 293.) cujus disputationem operae pretium est cognoscere. » Servius Honoratus," ita scribit Bosius, » Grammaticus celebris, rerumque Romanarum, praesertim quae ad religionem et jus Pontificium spectant, non imperitus. Is ad Virgilii » [Aen. III. 80.] illud, *Rex Anius, Rex idem* » *hominumque Phoebique sacerdos*, ita commentatur: *Sane majorum haec erat consuetudo, ut* » *Rex esset etiam sacerdos vel Pontifex. Unde* » *ho-*

» *hodieque Imperatores dicimus Pontifices.* Quae
» verba, paucis pro temporum ratione immutatis,
» Isidorus in Origines suas (L. VII. c. 12.) indeque
» in Decretum suum (Can. I. cleros. dist. 21.)
» Gratianus transtulit. Quos *Imperatores* innuat, et
» quodnam aevum τὸ *hodieque* designet, non aliunde
» melius, quam ex saeculo, quo haec scripsit,
» apparebit. Qui sub Hadriano floruisse volunt,
» sunt autem non pauci (1), egregie falluntur. Nam
» Constantino M. posteriorem fuisse certissimum est.
» Scripsit enim in Donatum Grammaticum, quem
» et aliquotiens in suis ad Virgilium commentariis
» laudat. Atqui is sub Constantio et Constante
» Impp. vixit, fuitque praeceptor S. Hieronymi.
» Sed de aetate Servii e Macrobio aperte constat.
» Plane enim adsentior doctiss. viro J. Seldeno
» L. I. de Synedr. Ebr. c. 10. p. 341. (2) haud
» alium fuisse hunc adserenti, quam Servium illum
» qui

(1) Servium sub Hadriano scripsisse, et Plutarcho paulo juniorem esse, sed nullo addito argumento, contendit Jo. Rualdus in Animadv. ad Plutarchum c. XXI.

(2) Seldenus (Oper. Omn. V. I. T. II. p. 963.) ita scribit: „*Haud alium fuisse hunc, quam Servium illum, qui in colloquio Macrobiano aliquoties laudatur, etiam et simul cum Caecina Albino, cui inscripsit Artem de centrum metris, memoratur, puto, in confesso erit, id est, qui Macrobio coaevus. Macrobium autem sub Honorio et Theodosio minore floruisse discimus ex eorundem Augustorum constitutione de Praepositis Sacri Cubiculi (Cod. Theodos. L. VI. t. 8.) ubi expressim nominatur Honorio XIII. et Theodosio X. Consulibus, id est, a. Christi 422. seu sub annum quadragesimum a Gratiani morte.*“

» qui in colloquio Macrobiano aliquotiens laudatur, » simul cum Caecina Albino, cui Artem de centum » metris inscripsit. Argumento est, quod ubi de » Virgilianis versibus dubium aliquod oboritur, fere » ubique eae partes Servio dantur, ut eos explicet. » Vide imprimis cap. XXIV. Ubi vix dubitem, ad » commentarios ejus in Virgilium alludi. Imo, nisi » plane fallor animi, manifeste illi significantur » lib. VI. cap. VI. cujus principio sic loquitur is, » quem modo dixi, Albinus Caecina: *sed nunc di-* » *cat volo Servius, quae in Virgilio notaverit* » *ab ipso figurata: quotidie enim Romanae in-* » *doli enarrando eundem vatem, necesse est ha-* » *beat hujus annotationis scientiam promtiorem.* » Vixerit ergo Servius circa Valentiniani Junioris, » Theodosii Senioris et Arcadii tempora (iis enim et » Praetextatus, in cujus aedibus totum istud collo- » quium habitum dicitur, et Caecina Servii fami- » liaris vixerunt, ut ex Inscriptionibus antiquis, ap. » Grut. 1102. 2. et 287. 2. constat) fortassis et » paullo ante, ita ut Gratiani aevum attigerit. No- » lim enim idcirco in Honorii et Theodosii Jun. » tempora eum cum Seldeno conjicere, quod Ma- » crobius sub illis Praepositus sacri cubiculi fuerit: » Is enim honor aliquanto provectiori videtur obti- » gisse; cum credibile sit Saturnalium libros paullo » juniorem scripsisse. Neque officere debet, quod » nonnulli colloquutorum Macrobianorum sub istis » Impp. vixerunt. Ipse enim sub initium (L. I. c. 1.) » rogat, *ne sibi fraudi sit, si uni aut alteri ex* » *his, quos coetus coegit, matura aetas poste-* » *rior saeculo Praetextati sit; quod licito fieri,*

» *dia-*

» *dialogi Platonis testimonio sint.* Utcunque sit, » certum est non alios a Servio Imperatores, quam » Christianos designari, quorum imperio vixit, sua- » que exaravit. Hi igitur *Pontifices* dicti sunt; id- » que solenni titulo, quem a Servio innui quivis fa- » cile videt." Burmannus Seldeni potius, quam Bosii opinionem sequi maluisse videtur, atque adeo Servii aetatem ad Honorii et Theodosii tempora refert. Idem deinceps alias quaestiones attigit, ut de patria et religione Servii, de interno Servii Commentariorum habitu, quales eos nunc habemus, et de ordine, quo hi ab auctore scripti videntur: de quibus omnibus tam docte et accurate disputavit, ut nefas omnino ducam hujus disputationem non repetere.

Burmannus igitur junior, ubi in Praef. exponit quid a patruo suo in nova Virgilii editione praestitum sit, post alia sic disputat p. 20. » Nimirum » auxiliatricem Patrui manum praecipue desidera- » bant misere adfecta Servii, optimi inter veteres » Virgilii Interpretes Grammatici, Scholia, *cujus* « *Commentariorum tantum hodie cadaver habe-* » *mus*, *monachorum barbarie et spurcitia conta-* » *minatum*, ut verissimum est Scaligeri judicium » in notis ad Varron. L. III. de R. R. p. 252. » Hunc tempore Imperatoris Theodosii scripsisse, et » plus semel a Macrobio, qui sub Honorio et Theo- » dosio floruit, in Saturnalibus, ut aevi sui litera- » torum doctissimum, atque inter eruditos convi- » vas confabulatoresque Praetextati induci constat: » quamvis eum Valentiniani tempore scripsisse statuat » Joh. Andr. Bosius de Pontif. Max. Rom. Vet. cap. IX.

» IX. §. 9. et Ruald. in Anim. ad Plutarch. cap. » XXI. eum temere adfirmet sub Hadriano vixisse. » Aetatem tamen suam ipse nonnullis in locis res» picere ac designare forte videri posset ejusmodi » indiciis, quae ad longe inferioris seculi tempora, » quorum mores et loquendi consuetudinem desig» nat, eum detruderent. Sic ad Ecl. VI. vs. 64. » notat, *Aones originem ab eo loco ducunt, ubi » nunc maritima Venetia est.* an ergo post Vene» tiam conditam haec scripsit? cujus etiam memi» nit ad Ecl. VII. v. 12. et 47. Lib. I. Aen. 706. » *veteribus non in manus dabantur pocula, sed » mensis apponebantur, ut hodie apud plures » pocula in canistris argenteis apponuntur.* (1) » ad

(1) Plura passim offenduntur scholia, in quibus auctor vocabulo *hodieque* vel *et nunc* utitur, adeoque aetatis suae vestigia indicare censendus est. Ex quibus tamen, si vel certo constaret haec a Servio scripta esse, haud quidquam suspicari possimus, quod plerarumque vel inventarum, vel mutatarum rerum tempora ignorentur. Hujusmodi est v. c. scholion ad Aen. I. 179. ET TORRERE PARANT FLAMMIS. *Nam et hodieque siccari ante fruges, et sic frangi videmus. Et quia apud majores nostros molarum usus non erat, frumenta torrebant et ea in pilas missa pinsebant: et hoc erat genus molendi. Unde et* pinsores *dicti sunt, qui nunc* pistores *dicuntur.* Aliud est ad Aen. VII. 662. GERYONE EXSTINCTO. *Postea Hercules juxta Bajas, caulas bubus fecit, et eas sepsit: qui locus* Boaulia *dictus est, hodieque* Baulae *dicitur.* Aliud ad Aen. XII. 7. LATRONIS. *Varro* [de Ling. Lat. L. VI. p. 74.] *dicit, hoc nomen posse habere etiam Latinam etymologiam, ut latrones dicti sint quasi* laterones, *quod circa* latera *regum sint: quos nunc* Satellites *vocant.*

» ad lib. VII. Aen. 152. ubi docet legatos seu ora-
» tores ex omni qualitate dignitatum mitti solere,
» addit, *quod apud Romanos in legatione mitten-*
» *da hodieque servatur.* VIII. Aen. 646. *eum per*
» *sublicium pontem, hoc est ligneum, qui modo*
» *lapideus dicitur, transire conaretur.* et paullo
» post, ubi de Cloelia: *cui data est statua eques-*
» *tris, quam in Sacra via hodieque conspicimus.*
» Eod. libro v. 666. *Pilenta sunt vehicula, sicut*
» *nunc basternas videmus.* cujus vehiculi non nisi
» inferioris aevi scriptores meminerunt (1). Ex his
» forte desumi posse aetatem Servii qui adfirmaret,
» haud firmiori inniteretur fundamento, quam quo
» Bodinus ad Oppian. lib. III. Cyneg. 322. colligit
» ex iis, quae Servius notat ad lib. III. Aen. 141.
« eum in Graecia scripsisse, ut illuc Patruus meus
» monuit (2). Ex laciniis enim ejusmodi et pan-
nis

(1) Basternas inventionis quidem recentioris esse, ita tamen ut harum mentio occurrat apud Palladium L. VII. t. 2. Ammianum L. XIV. (c. 6.) Auctorem Epigrammatis vetusti (in Anthol. Lat. T. I. p. 625. Burm.) et Scholiastem Voss. Juvenalis ad Sat. IV. (vs. 21.) ostendit Schefferus de Re Vehiculari L. II. c. 6. p. 116 seqq. Add. Cujac. Observatt. XIII. 30. et qui citantur a Burmanno ad Anthol. Lat. l. c.

(2) Bodini disputatio haec est l. c. (p. 96. edit. Lutet. 1555.) « *Scribit Servius in illud Maronis* (X. 273.) « *aut Sirius ardor Ille sitim m. q. f. m. aegris.*" (Imo ad Aen. III. 141. « Tum sterilis exurere Sirius agros."): « *Sirium octavo Calend. Jull. oriri, quo in loco eundem ortum Caniculae et Sirii falso putat: cum Sirius oriatur Non. Jull. id est 23 gradu Cancri: Procyon vero, gradu decimo. i. 8 Calend. Jull. Erat Ser-*

» nis purpurae Servianae adsutis ab recentioris aevi » Glossatoribus qui judicare de Grammatici hujus » aetate tentaret, inepte hariolaretur (1).

» Non enim farraginem tantum habemus Scholio- » rum ejus ex antiquioribus Interpretibus Aspro, » Capro, Celso, Hygino, aliisque conpilatam, unde » quidam veterum commentarii laudantur in his » Servianis ad lib. I. Georg. 147. sed et ex re- » centioris aetatis Interpretibus multa adjecta et in- » terpolata sunt, quae a veris et genuinis Servii » verbis distinguere ac discernere haud ita semper » in promtu est (2). Quin et multa medii aevi vo-

vius in Graecia, dum hoc scriberet: nec obest quod sol 12 gradibus antevertat ingressum, quam Servii seculo."

(1) Et inepte is quoque agat, qui inde quidquam probatum velit, quod Persius et Lucanus a Servio (ad Aen. VI, 187. et 320.) *neoterici* nominentur. Sic enim saepe satis antiqui appellantur *juniores*, et *minores*, ratione et comparatione habita antiquiorum.

(2) Exempla attulit Georg. Fabricius, qui in Praef. ad Virgil. edit. Basil. 1547. p. 3. haec ait: « Sed apparet, Servii Commentariis plurima adsuta esse, quae, ut ei aetati suppares de illo judicant, Grammatico juxta doctrinam mirabili, et literatorum omnium maximo, et doctori Urbis, neque digna sunt, neque esse videntur adscribenda: qualia sunt, ut de innumeris pauca proferam, in prima Ecloga, ubi sic legitur: Tityrus hinc aberat, ipsae te Tityre pinus, Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant. « *Hoc in loco Tityrus*, *Vergilius: Pinus*, *id est*, *Roma vel Caesar: Fontes*, *poëtae vel senatores: Arbusta*, *fruteta*, *id est*, *Scholastici*." Haec Servii esse quis dicere audeat? plus quam puerilia sunt, et alicujus inelegantis atque imperiti ludimagistri *βδελυρία*. In octavum Aeneidos « *Amnes*, inquit, *dicti*, *quia ἀμ*, *id est*,

» vocabula a librariis monachis Servio passim in-
» trusa habentur. Exempli caussa e multis sufficiant
» pauca. *Plagia* pro statione seu aestuariis, *sta-*
» *tio est quam plagiam dicunt* lib. II. Aen. 23.
» n. 92. ubi vide notas Patrui. *Zema* pro lebete
» vel pelvi. vid. ad lib. III. Aen. 466. n. 8. *ad-*
» *signare*, mercaturae verbum, occurrit etiam lib.
» IV. Aen. 244. *resignare vetuste dictum, quod*
» *nos adsignare dicimus pro damno.* Aen. VI.
» v. 606. n. 81. *praevaricatores intelligit, qui pa-*
» *troni sunt clientum, quos nunc susceptos vo-*
» *camus.* Aen. VII. 796. n. 85. in MSS. est, *quam*
» *Latine amplam vocamus*, quam vocem posteriori
» aevo pro ansa usurpatam docebunt Patrui notae.
» Plurima quoque a Christianis aetatis inferioris
» monachis supposita, quae Ecclesiae Romanensis
» superstitiones olent, ut cum lib. IV. Aen. 201.
» *excubias sacrificiorum*, quando sine intermissio-
» ne excubabant per diem et noctem, explicans ad-
» dit, *ut dicimus quotidie in officio esse.* quae a
» monacho missam, excubias, lectiones, et cantus
» Ecclesiae Romanensis, quae omnia *officia* vocan-
» tur, cogitantem profluxisse recte monet Patruus,
» qui ad Ejusd. libri v. 301. similem monachi in-
» eptientis interpolationem deprehendit, ubi *moveri*

» *sa-*

circum nant, id est, circum-fluunt in modum cornuum fle-xorum." Et paulo post « *O-liva per etymologiam ab ἐλαία, id est, olea dicta, quae mise-ricordia dicitur, id est, ἔλεος.*" Haec autem et his similia, cum nec Servii viderentur es-se, nec in libris paulo vetus-tioribus invenirentur, sustu-limus atque rejecimus." Haec Fabricius.

» *sacra* postquam exposuisset, quando solemnibus » diebus templa aperiebantur, subjungit, *Hoc vul-* » *go apertiones appellant. Apertionis* enim my- » sterium cerimoniam fuisse docet, qua sacerdos » accedentis ad Baptismum aures et nares tangens » dicebat *Epheta*, id est *aperire.* ita ad lib. V. » Aen. 725. ubi pro genuinis Servii verbis, *nulla* » *enim est vita post mortem*, sententiam illam im- » piam et Epicuream induxit monachus, et ita » mutavit, *ut ostendat vita fuisse chariorem.* sic » ad lib. VIII. Aen. 259. ubi in Servio legitur, » *antiquo more locuturus de publicis rebus, id* » *est pace et nuptiis.* manus monachi in Regio » codice exhibebat, *id est paschae et nuptiis.* Ex » his et similibus exemplis, quae numero longe ma- » jore colligi et cumulari possent (1), si id opus » es-

(1) Burmannus Major hic addidisset, opinor, scholion quod prostat ad Æn. I. 282. GENTEMQUE TOGATAM. *Togas etiam feminas habuisse, cycladum et recini usus ostendit. Recinus autem dicitur ab eo quod post tergum rejicitur, quod vulgo Mavorte dicunt.* ad hoc scholion enim ipse in calce paginae haec annotaverat: « Mafors, Maforteum, vel Mavortium et Mafortiolum inter vestes muliebres, et operimentum capitum, etiam Monachis usitatum, mediae aetatis fuisse, post Salmasium docet Cangius in Lexico Med. Latinitatis." Ego censuerim posteriorem scholii partem *Recinus — dicunt* in Servianos Commentarios infarctam esse ex Isidoro, apud quem eadem verba, sed emendatius leguntur L. XIX. c. 25. §. 4. « *Idem et* Ricinium *Latino nomine appellatum, eo quod dimidia ejus pars retro rejicitur, quod vulgo* Mavortem *dicunt.*" Paulo aliter Nonius c. XIV. « *Ricinium, quod nunc* Mafurtium *dicitur, palliolum, femineum breve.*"

» esset, si quis inferioris aevi Grammaticum Chri-
» stianum (1) fuisse Servium contendere vellet, nae
» ille suaviter nugaretur; quum ea passim fortuna
» antiquiorum auctorum Interpretibus Graecis et
» Latinis, Lexicographis, Glossariis, similibusque
» obtigerit, ut a librariis sciolis et Christianis mo-
» nachis ita commentaria eorum fuerint adultera-
» ta, ut ipsos saepe auctores in operibus illorum,
» quorum nomina venditant, quaerere necesse ha-
» beamus. ut egregie id exemplo Hesychii sui nuper
» ostendit Celeberr. Joh. Alberti, Lexicographi illius
» instaurator felicissimus, qui eadem de caussa do-
» cte et solide in praefatione sua discedit ab illo-
» rum opinione, qui similibus inducti argumentis
» Hesychium Christianum fuisse sibi persuaserant.

» Id nescio an vulgo notum, aut ab aliis obser-
» vatum sit, prius scripsisse Servium Commentarios
» in Aeneida, quam in Georgica, ut ostendit Pa-
» truus ad lib. I. Georg. 208. n. 74. ubi habentur
» haec verba, *nam ut saepe diximus, obliqui ca-
» sus numeri singularis etc.* quae respiciunt illa,
» quae observaverat ad lib. I. Aen. 156. et 636.
» sic ad lib. I. Georg. 488. aperte notat, *ut dixi-
» mus in Aeneide.* et ad II. Georg. 170. *Haec
» autem omnia plenius in sexto Aeneidos memo-
» ravimus.* et v. 481. *Circulorum hoc efficit ra-
» tio, ut etiam in Aeneide diximus.* ad lib. III.
» Georg. 389. *Re, produxit licenter, ut supra
» dixi-*

(1) Servium non modo Christianae religioni non addictum fuisse, sed ne vel Christiani scriptoris verba quidem, quae ipse ad Aen. X. 272. citet, intellexisse, contendit Cannegieterus in Diss. de Fl. Aviano c. 2. p. 237.

» *diximus* (*lib. X. Aen.*) ad IV. Georg. 126. *nam* » *ut etiam in tertio Aeneidos diximus.* quibus in » locis perperam Francius in suo exemplari corri» gebat *dicimus* vel *dicemus.* his opponi quidem » posset, quod ad lib. I. Aen. 744. occurrant ista, » *cetera in lib. I. Georg. plenius narrata sunt.* » sed quae a mala manu inserta nemo dubitabit, » qui locum inspexerit. ne quis etiam id objiciat, » quod ad lib. V. Aen. 482. ubi de proceleusmatico » agit, *quem, ut supra diximus, sic semper* » *ponit.* ac respicere hic Servium ad illa, quae prius » notaverat ad lib. I. Georg. 397. ubi de proceleus» matico in *tenuia.* sed in animo habuit illa quae » observaverat ad lib. II. Aen. 16. ubi vide. nam » quae ad lib. VI. v. 703. scribit, *de quo in Geor-* » *gicis strictim, hic latius loquitur,* poëtam ip» sum non commentarios suos innuit. Quin et prius » ad Aeneida commentatum esse, quam ad Eclogas, » patet ex ejus nota ad Ecl. VII. 26. *sicut etiam in* » *Aeneide dictum est.* Scholia tamen ad Georgica » composuisse post commentarium ad Bucolica, in» dicat ad lib. IV. Georg. 101. *ideo ait dulcia mella,* » *quia etiam sunt amara, ut Corsicana, sicut in* » *Bucolicis diximus* (1). Ex quibus manifestum est, » Servium Commentarios suos in Aeneida ante Buco» licorum et Georgicorum Expositiones scripsisse."

Hucusque Burmannus; qui et scripta hac notitia egregie de Servio meritus est. Quod tamen ad postremam ipsius opinionem attinet, qua Commentarios in Eclogas et Georgica scriptos esse pronuntiat post

(1) Et alibi, v. c. ad Ge. I. 404.

post Commentarios in Aeneidem, haud scio an ipsi continuo adsentiendum sit. Quemadmodum enim in Commentariis ad Bucolica et Georgica aliquoties ita mentio fit Commentariorum in Aeneidem, tamquam qui jam in lucem editi essent: ad eundem modum saepius in his illorum mentio occurrit. v. c.

ad Aen. II. 172. SIMULACRUM. *Inter consecratas res, id est aedes sacras, etiam simulacra accipiunt, quod in Bucolicis* [Ecl. VII. 31.] *scriptum est.*

ad Aen. III. 420. SCYLLA. *Sane alia Scylla fuit, de qua in Bucolicis* { Ecl. VI. 74.] *plenius dictum est.*

ad Aen. IV. 103. *Coemptio enim est ubi libra atque aes adhibetur, et mulier atque vir in se quasi emptionem faciunt; quod ante jam in primo Georgicorum* [vs. 31.] *» Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.«*

ad Aen. IV. 462. BUBO. *In hanc autem avem conversus est Ascalaphus Acherontis, vel, ut quidam volunt, Stygis filius, ira Cereris, cum Proserpinam prodidisset, malum granatum de pomario Ditis gustavisse; quod plenius in primo Georgicorum, initio,* [vs. 39.] *dictum est, ubi est. » Nec repetita sequi.«*

ad Aen. VIII. 368. EFFULTUM. *Sicut supra* [Ecl. VI. 53.] *dictum est, apud Veteres dicebatur, super quod unusquisque jacuisset.*

ad Aen. VIII. 677. FERVERE. *Alii dicunt antique per tertiam conjugationem correpta media syllaba positum, ut* [Georg. III. 221.] *» La-*

»*Lavit ater corpora sanguis.*" *pro* lavat; *de eo in tertio Georgicorum in ipso loco plenius dictum est.*

ad Aen. IX. 215. FERAT INFERIAS. *Hoc est, cenotaphion faciat, et impleat honorem sepulcri. De inferiis autem plenius in quarto Georgicorum* [vs. 545.] *invenies.*

ad Aen. XI. 68. *Sane Hyacinthus puer fuit Eurotae, vel, ut quidam volunt, Oebali filius; cetera de hoc in Bucolicis* [Ecl. III. 63.] *dicta sunt.*

Sed fieri potest, ut haec scholia a recentiori manu profecta sint et in Servii Commentarios intrusa, qui omnium doctorum judicio plurimis locis misere interpolati sunt.

De pretio, quo haberi debeant Serviani Commentarii, tacet omnino Burmannus Junior, de quo fortasse non tacuisset ipsius Patruus, quippe qui horum potissimum gratia Virgilii editionem suscepisse videatur. Heynius, qui in notis ad Virgilium non raro Servii interpretationes sequitur et calculo suo probat, tamen severe de istius Commentariis judicavit: »*Usus saltem*, inquit ille l. c. T. V. p. 536. *ad interpretandum poëtam esse potest exiguus aut nullus, nisi accesseris ad poëtam ita jam literarum peritia et usu instructus, ut quae tollenda an relinquenda sint, perspectum habeas.*" quibuscum conveniunt ea quae ad Aen. VII. 150. dixerat: »*Serviana corruptelis et Grammaticorum nugis scatent. Sed omnino pauca sunt in ista farragine, quae, nulla exploratio-*

tione praevia, tollere ac suscipere se posse adolescentes sibi persuadeant, velim. Habent Serviana laudem suam, sed non hanc, quam mihi ipsi aliquando persuadere volebam, ut ad interiorem poëtae interpretationem multa inde lucrarer." Equidem non negaverim, esse multa in Servii Commentariis, quales eos nunc habemus, quae praeviam explorationem requirant, et esse, quae parum exercitato nebulas offundant (1): sed, vel in-

(1) Philippus Beroaldus scripsit Annotationes contra Servium, (quas et Fabricius in Virgilii editione Basil. p. 1825—1852. repetiit, et Gruterus in Face Critica T. I. p. 257—304) in quibus peculiari studio Servii errores notavit. Audi tamen quid ille, Servium reprehensurus, scribat: « *Servius*, inquit, *qui doctissimus a Macrobio nuncupatur, commentarios scripsit in Virgilium maximae elegantiae, nec minoris eruditionis. Unde inter commentatores auctoritatem sibi summam comparavit. Verum, ut inquit Varro, nemo unus omnia potest scire, et juxta illud Horatianum quandoque bonus dormitat Homerus. Nam cum plurima a Servio bene et erudite dicta sint, nonnulla tamen reperiuntur parum curiose pensiculata et ab historiae fide discrepantia, idque potissimum in his rebus, quae ad Geographiam pertinent, licet animadvertere; namque ea scripsit Servius, quae eruditorum aures ferre nec possint nec debeant. Sed persuasum mihi est, commentarios Servii incuria temporum esse depravatos mutilatosque, nec tales ab ipso, quales nunc passim leguntur, esse publicatos."* Et in fine p. 304. « *Servium laudo et laudandum esse censeo, atque inter eruditos numerandum, in cujus commentarios nihil ego scribere ausus forem, nisi existimarem eos fuisse mutilatos, et incuria temporum atque inscitia hominum depravatos."* Contra Beroaldum Servii Commentarios defendit Fr. Florid. Sabi-

ingrati simus, ita mea fert opinio, vel reputemus, recentiores interpretes sua pleraque e Servio hausisse, sine quo fuisset, ut multa non intellecta mansissent. Et si quis ex aequo de horum Commentariorum praestantia et utilitate judicium ferre velit, is quaeso velit reminisci, laborem istum, qualis nunc quidem est, plurimis locis et fere ubique misere interpolatum esse, adeo quidem, ut potius farrago ex variorum interpretum Commentariis in unum consarcinata, quam justae formae Commentarius dici mereatur. Et sic quidem plerique Viri Docti de hisce Commentariis judicarunt: Scaligeri et Cannegieteri testimonia jam memoravimus in Introductione p. 8. Praeter hos, consentiunt Barthius ad Statii Theb. X. 638. in Adv. L. V. c. 22. p. 253. L. XI. c. 2. p. 514. et L. XXVI. c. 16. p. 1271. Tanaq. Faber Epist. Crit. L. I. Ep. 50. p. 168. et Ep. 62. p. 210. et ad Phaedrum p. 14. D. Heinsius apud Munckerum in Diss. de Hygino p. 35. Scriver. ad Mart. VIII. 3. Bynkersh. Obs. Jur. Rom. L. I. c. 22. p. 91. et L. II. c. 10. p. 148. Wesseling. Prob. p. 363. Cuper. Observ. L. II. c. 8. p. 202. Jac. de Rhoer Fer. Daventr. L. I. c. 13. et tandem Heynius, qui T. V. p. 536. haec ait: » *Commentarium in Aeneidem prius exaraverat Servius, tum in Eclogas, ultimo loco in Georgica. Ex trinis his Commentariis habemus farraginem, bonis malisque, seriis*

ac

binus in Lectionibus Subsic. c. VIII — XVIII. quae sunt in eodem Gruteri volumine p. 1121 — 1143.

ac nugis, adeo commixtam, ut, quid ad Servii auctoritatem referre malis, interdum vix in promtu habeas. Sane multa inesse ex antiquioribus Interpretibus servata, dubitare vix licet; nec minus tamen innumera a serioribus attexta. Habuit enim idem fatum Servius, quod Graeci grammatici, ut essent, modo qui antiqua contraherent vel omitterent, modo qui excerptis alia, plerumque deteriora, admiscerent aut e margine insererent. Nullus est Codex, qui omnia, quae sub ejus nomine habemus, complectatur. Quid? quod narrant adeo Codices nondum inspectos extare ampliores iis, qui expressi sunt: v. Burmann. Praef. p. 27. adde de Brosses Salluste T. III. p. 393. (1)" Quae si reputamus, non mirum debet videri, si in Servio Servium ipsum citari comperimus, quemadmodum in hisce tribus scholiis:

ad Ecl. I. 12. Turbatur. *Sane vera lectio est,* turbatur, *ut Servius dicit, ut sit imper-*

so-

(1) Adsentitur Cramerus in notis ad Scholiast. Juvenal. VIII. 16. « *Utinam vero*, inquit, *exsurgat tandem aliquis, qui nobis purgatum locupletatumque det Servium. Patent in eam rem subsidia plurima, nondum excussa, ipsa quoque, ni fallor illa, quae secundae editioni comparaverat P. Daniel, translata post ejus mortem in bibliothecam Bongarsianam et cum hac deinceps in Bernensem publicam, ubi hujusmodi multa me olim vidisse recordor, moerentem tum, tempore me excludi, quin diligentius inspicerem, inque usuram verterem.*" Vide quoque Jo. Casp. Orellium in Epist. Critica ad Madvigium, praemissa Ciceronis Oratori, Bruto et Topicis ab Orellio denuo editis Turici 1830. p. XLIX. seqq.

sonale, quod ad omnes pertinet generaliter.

ad Ecl. III. 20. Tityre. *Sane, ut Servius dicit super hoc loco, quidam superfluam volunt esse allegoriam, dicentes etc.*

ad Ecl. IX. 1. Quo te. *Haec Ecloga continuum, ut Servius dicit, non habet carmen, sed de diversis locis Theocriti aliqua ad eam contulit* (1).

Quodsi igitur insulsa magistrorum scholasticorum spurcities et monachorum barbaries, qua Servianas lucubrationes contaminatas esse dolemus, faciat, ut nebulas interdum pro Junone amplectamur, iniquum sit, istud Servio imputare velle. Imputavit tamen vir quidam doctus, qui in Memoires pour l'Histoire des sciences et des beaux arts Tom. V. p. 7. (Amsterd. 1703. 8.) haec scribere non dubitavit: » *Servius Commentateur de Virgile est le moins éstimable des anciens Commentateurs. Soit ignorance, soit credulité, il est rempli de faits reconnus pour faux.* " quem merito reprehendit P. P. Justus in Specimine Observat. Critic. (Viennae 1765. 4.) p. 33. qui: *Non inscitia*, inquit, *non credulitas eas Servio eruditissimo Grammatico plagas inflixit, sed recentiorum Grammaticorum manus: quod Servio ipsi imputare velle, hoc demum non ignoscendae inscitiae*

(1) Sic haec scholia in antiquioribus editionibus Danielis et Commelini leguntur, sed Burmannus ubique verba *ut Servius dicit*, in sua editione omisit.

scitiae esset. Unus audiatur Turnebus Advers. L. XXV. c. 9. » *Scio, inquit, plurimum semper Servio esse tribuendum.*" *Et praeclare de eo sensit Henricus Stephanus de Abusu Ling. Graec. p. 78.*

Minus inique de Servii laudibus judicaverunt Barthius ad Statii Theb. II. 504. Cannegieterus de Leg. Num. Pomp. 15. 45. et 57. et vero etiam Clericus, qui in Art. Crit. P. III. S. 2. c. 5. §. 2. haec ait: » *Nullus est vir doctus, praesertim ex iis qui* πολυγράφοι *fuere, cui non sit aliquid aliquando objectum; ex quo liqueret non fuisse ei semper perspecta omnia, de quibus loquutus esset, aut non satis diligenter pensitata. Verum hic de errore, qui quasi naevus in publica facie adparet, non agimus; sed de frequentibus peccatis, iisque crassioribus quam ut in ea vir doctus delabi possit. Talia innumera sunt in Commentariis, quae Donati et Servii nomina praeferunt, ex quibus non immerito Viri docti eos interpolatos fuisse collegerunt. Ejusmodi est peccatum, quod adtulimus ex Servianis Commentariis, hujus Art. Crit. P. I. c. 1. §. 3. p. 26. ubi Hyrcaniam in illis* [ad Aen. IV. 367.] *dici silvam Arabiae ostendimus. Ceteroquin innumera sunt, quae non vulgarem eruditionem sapiunt, et quae scribi non potuerunt, nisi a doctissimo viro, qui multos Scriptores legerat, quorum ab aliquot saeculis monumenta periere. Quod quia nemo nescit, pluribus non persequar. Idem de Donati reliquiis dixerim,*

li-

licet non sint, me quidem judice, reliquiis Servii aequiparandae."

Possit quis, mea sententia, optime de Servii Commentariis mereri, si unam ex antiquissimis Servii Commentariorum editionibus, quae optimae notae videretur, repeteret, neglectis omnibus iis accessionibus et additamentis, quorum undique conquirendorum studio recentioris aevi editores quasi insaniisse videntur; sive ei, quod Barthius ad Claudian. de Consul. Mallii vs. 42. dedit, praecepto obsecutus, *veteri more renovato, locis legitimis album, adulterinis nigrum colon praefigeret.* Ad qualem laborem commendari posse videtur editio Florentina anni 1472. in folio, quae (teste Burmanno in Praef. p. 24.) ex MS. Mediceo maximam partem expressa aut restituta est, et, ut in fine editionis illius testatur subscriptio, *a Petro Cennino, Bernardi filio, emendata, qui cum antiquissimis multis exemplaribus contulit; inprimisque illi curae fuit, ne quid alienum Servio adscriberetur, neu quid recideretur aut deesset, quod Honorati esse pervetusta exemplaria demonstrarent.*

Si quis hanc in se suscipere velit provinciam, eum moneo, primum, ut de novis quidem accessionibus et supplementis parum sollicitus sit: deinde, ut Broukhusii consilium sequatur, qui (sicuti Burmannus p. 29. ex inedita hujus Epistola memorat) Almeloveenio de Servio edendo cogitanti, suasit, ut Philippi Beroaldi Annotationes in Servium,

opus

opus hactenus non suo pretio habitum, ad calcem libri repeteret.

Non sine laetitia cognosco ex Orellii Epistola Critica ad Madvigium p. LIII. novam Servii editionem exspectandam esse a Philippo Wagnero: nec possum quin sperem, imo confidam, hanc talem omnino futuram esse, qualem Orellius eam fore auguratur, id est, *longe emendatiorem*.

§. 5.

JUNIUS PHILARGYRIUS (1).

Servio statim subjecimus Junium Philargyrium, cujus Scholia in Virgilii Eclogas et Bucolica sero demum erudito orbi innotuerunt. Haec enim quum a

(1) Sic nomen scripsit Fulvius Ursinus; Barthius dubitat an rectum sit: « *Georgicorum*, inquit in Advers. L. XX. c. 2. *et Bucolicorum enarrator in codicibus excusis vocatur Junius Philargyrus. At ego id nomen supposititium semper suspicatus sum, cum φιλαργυρία animi fere vitium sit apud Graecos nec idoneum in nomina virilia adigi. Ego auctor librariis criticisque esse velim ut* PILARGURUM *postea Junium illum appellare malint: quod nomen servile in inscriptionibus Tesserarum reperitur, ab Aldo Manutio Filio editarum, et nunc nuper illustratarum a Laurentio Pignorio in Commentario de Servis.* » Antea autem Barthius in Adv. L. I. c. 17. haec dixerat: « *Junius Philagrius sive Pilargurus, utrumque enim nomen servile memini legere, quin et tertium quod vulgo habet.* » Rutgersius V. L. VI. 15. scribit *Philargyrus*. Apud Scholiastam Leidensem ad finem Eclogae decimae et ad initium Libri primi Georgicorum *Junilius Flagrius*, ceterum in ipso Commentario, ubi hujus interpretationes citantur, solo praenomine *Junilius* vocatur.

a nemine Scholiastarum, qui ipsum aetate secuti sunt, memorata essent, diu in Bibliothecarum pulvere latuerunt, absque ut quisquam Philargyrii nomen audivisset, multoque minus sciret hunc aliquando Virgilii carmina interpretatum esse. Reliquorum igitur scriptorum silentium fecit, ut haec, priusquam invenirentur, a nemine desiderata, vel in Bibliothecarum latebris quaesita fuerint. Primum edita sunt, ut docet Burmannus p. 34. a Fulvio Ursino post Kalendarium Farnesianum, notasque ad Catonem, Varronem et Columellam, Romae 1587. producta ex fragmento vetustissimo Serviano, quod literis Longobardicis exaratum dono acceperat a Paulo Manutio et ex Codice Virgiliano Angeli Politiani. Deinde saepius repetita sunt in Danielis et Commelini editionibus. Post horum vero operam, Philargyrii scholia fere intacta jacuerunt, donec in Jani Rutgersii manus inciderunt: qui, astricta hujus Commentarioli brevitate delectatus, aliorum doctorum diligentiam excitavit. Ita ille in Var. Lect. L. VI. c. 15. scribit: »*Legebam nuper, et certe legisse jucundum fuit, Junii Philargyri Commentariolum, quo et Bucolica et Georgica Virgilii explicavit. Est in eo astricta quaedam brevitas, sed talis tamen quae omittat nihil quod ad eruendum auctoris sensum facere videatur. Nam reliqua, quae sinistra Commentatorum liberalitas autoribus elargiri solet, quod omittit, judicio imputandum est. Inolevit pridem malus mos, ut interpretes eruditionis ostentandae caussa ea passim congerant, de quibus scriptores ne per somnium quidem cogitarunt. Atqui quod com-*

commissatoribus accidit, ut, dum quicquid ciborum apponitur, gustare volunt, et in praesens vera cibi voluptate careant, et in posterum neque eos cibos concoquunt, neque male concoctis bene nutriantur; idem illud lectoribus talium taediorum evenit. Dum enim alienas nugas consectantur, ipsam auctoris mentem transvolant. Quo fit, ut si quid recte a scriptoribus dictum sit neque capiant, neque convertere in usum suum possint. Quare recte Pedianus et Servius et hic ipse Philargyrus, et quidquid exstat veterum Commentatorum, qui erudita brevitate doctis lectoribus prodesse malunt, quam ingenti Commentariorum mole ineptos delectare. Ut autem quam grata Philargyri lectio nobis fuerit, ostendamus, quosdam locos hic apponam, quos in eo emendasse mihi visus sum." Rutgersii commendatio fecit, ut eodem illo tempore Barthius et postea Janus Broukhusius huic scriptori diligentem manum admoverent: Barthii notae sunt in Advers. L. XX. c. 2. L. XXV. c. 21. et passim ad Statium: Broukhusii reperiuntur in Burmanni editione Virgilii T. I. p. LXXV. seq. Nec parvi hunc Commentariolum aestimasse videtur Burmannus, quippe qui non dubitaverit hunc in suam Virgilii editionem recipere: qui tamen, quum videret, esse multa in Philargyrio quae in Servio item exstabant, servavit tantum ea ubi vel minimum differebant, resectis iis quae ad verbum, ut videbatur, erant descripta.

Facile autem apparet, Philargyrii Commentarios non tales ab auctore conscriptos esse, quales eos nunc ha-

habemus. Quandoquidem enim eadem passim scholia plane iisdem verbis in utriusque Commentariis legantur, alterutrum videtur certum esse: sive, quae Servio debeantur, multa Philargyrii Commentariis immixta esse, sive, quae a Philargyrio scripta sint, in Servii Commentarios transiisse. Posteriorem sententiam equidem verosimiliorem esse judico: primum enim scimus Servii Commentarios, ut supra diximus, ex variorum interpretum notis constipatos esse, quod ex iis potissimum locis apparet ubi ad eundem versum binae vel tres interpretationes afferuntur, quae, modo eandem modo contrariam opinionem exhibentes, non ab eodem interprete proficisci potuerunt: tum etiam, si omnia ista, quod Burmannus fecit, in Philargyrii Commentariis deleas, quae nunc iisdem verbis apud Servium leguntur, tam pauca restabunt, ut haec vix dici mereantur scripta esse ab aliquo, qui data opera Virgilium interpretari vellet; sic enim, si numero computamus annotationes, ad Eclogam primam restabit una annotatio, ad secundam tres, ad tertiam sex, ad quartam una, et ita porro; cujusmodi brevitatis studium, quis est qui non absurdum arbitretur. Burmannus itaque et reliqui editores in Philargyrium paulo iniquiores fuisse censendi sunt, qui Servium alieno doctrinae apparatu ornare, quam suum cuique tribuere maluerint.

Haec pridem mea mens erat, nec verebar futuros esse, qui contenderent me sine argumento suspicari Commentarium Philargyrii aliquando ampliorem fuisse. Ecce, nuperrime incido in Codicem MStum Bibliothecae Leidensis, a nemine, quantum scio, usur-

usurpatum, quo continentur Scholia antiqua, hactenus incognita, ad Virgilii Eclogas et Georgica, quorum auctor, cujus nomen ignoratur, saepius Philargyrii interpretationes memorat, quae etiamnunc in hujus Commentariolo non inveniuntur. Quâ re detectâ nunc omnino non dubito dicere, Philargyrii laborem, ut nunc est, nihil aliud esse nisi excerpta tenuia et vix umbram levem referre Commentarii qualis olim fuerit (1).

Verum ea quoque, quae nunc Philargyrii nomine prostant Scholia, passim esse truncata et abrupta, ita ut facile sit videre, praecessisse quaedam, quae nunc desiderentur, suspicatus est Broukhusius, ex his duobus potissimum locis:

ad Georg. I. 103. MIRANTUR GARGARA MESSES. *Est et alter sensus. Cum ea sit anni temperies, ut hyems serena sit, et solstitium humidum, fructus optime proveniunt.* etc.

ad Gerg. III. 128. REFERAT. *Non enim potest unus equus duas patrias habere. Et,* referat, *sicut ibi positum* [Georg. III. 397.] »*Et salis occultum refert in lacte saporem.*" *et* [Aen. IV. 329.] »*Qui te tantum ore referret.*"

In

(1) Potuissem h. l. singulas interpretationes recensere, quas Anonymus iste Scholiasta e Philargyrii Commentario memoravit. Sed malo abstinere, ne bis eadem dicenda sint. Infra enim, ubi de hoc Scholiasta dicam, mens est aliquam istorum Scholiorum partem publicare.

In utroque loco manifeste apparet, praecessisse aliquid; quis enim credat interpretem his verbis annotationem posse ordiri: *Est et alter sensus*, vel sic: *Non enim* cet.? Ex hujusmodi igitur lacunis facile est videre, Philargyrii notas non integras ad nos venisse; nisi fortasse suspicari malis, Philargyrium non data opera Commentarios in Virgilium scripsisse, verum hic illic alieno Commentario suas passim annotationes subjecisse.

De aetate, qua vixerit Philargyrius, admodum dubia res est: neque enim hujus nomen a quoquam Veterum memoratur, nec ipse quidquam suae aetatis indicium in toto Commentario prodit. Dubito dicere, hunc Servio fuisse antiquiorem, qui, quum tot interpretum auctoritatem passim citaverit, hujus nomen ne semel quidem memoravit. Aeque minus ille Servium citat, quod non dubito quin facturus fuisset, si Servii Commentarios cognovisset. Si autem tollenda est difficultas, quare nec hic illius, nec ille hujus mentionem fecerit, statuendum erit, alterum alterius fuisse aequalem, ita quidem ut ambo, in diversa utpote regione, eodem seculo vixerint, absque ut vel hujus labor illi, vel illius labor huic potuerit esse notus. Et in definienda Philargyrii aetate haesisse quoque videtur Saxius, qui in Onom. Lit. T. I. p. 471. Philargyrium statim quidem Servio subjicit, nec tamen non, uter aetate praestiterit, dubitat. Hujus opinionis auctor est Fulvius Ursinus, primus hujus Commentarioli editor, qui Philargyrium ad Valentiniani tempora retulit: in eam opinionem adductus inscriptio-

ne, quam in Codice invenit, *ad Valentinianum.* Teste Heynio T. V. p. 584. (nam ipsam Ursini editionem frustra quaesivimus) » *Illud certe constare*, putabat Ursinus, *eum non longe a Servii aetate abfuisse et Virgilii chirographo usum esse, ut ex ejus commentario apparet, in quo multa proferuntur ex iis scriptoribus, qui temporibus non nisi antiquissimis extabant.*" Equidem hac in re ignorantiam fateri, quam temere hariolari malo. Illud autem certum est, fuisse eum post Asperum et Celsum, qui tamen et ipsi incertae aetatis scriptores sunt. Uterque enim saepius in Philargyrii Commentariolo ad partes vocantur.

Philargyrium interdum nugatum esse, insigni exemplo ostendit Barthius ad Stat. Theb. IV. 204. » *Ederam*, inquit, *ab haerendo Philargyrius* [ad Ecl. III. 39.] *produxit, contra omnem rationem, adeo quidem nugax, ut haerendi etiam verbo aspirationem inde demtam velit* (1). *Haec enim ejus*

(1) Eandem hujus vocis etymologiam cum duabus aliis reperies apud Festum: *Hedera*, inquit, *dicta quod haereat; sive quod edita petat, vel quia id, cui adhaeserit, edat.* Cf. Osann. ad Apulejum de Orthogr. p. 65. Ceterum haud ullus est inter antiquos Scholiastas, quin subinde in Etymologiis nugatus sit. Sunt autem etiam, quas, quamquam falsas, tamen ingeniose excogitatas esse fateberis. Sic Commentator Vetus a Cruquio editus ad Horat Ep. I. 1. 244. docens Boeotos hebetes fuisse habitos, addit: « quasi βοῶν ὦτα ἔχοντες," ad quae verba corrigendum censeo, quod nunc in vulgatis et vel in Fabricii editione misere mutilatum est, Acronis scholion ad eundem versum: *Boeoti hebetes sunt habiti et qui inde exorti sunt.*

ejus manifesta sententia est, non animadvertentis, tanti tantus cum esset Poëtae enarrator, diphthongum minime demi alteri, minus etiam voci alteri accudi posse." Alibi tamen, in Advers. lib. L. c. 7. non dubitat ipsum *optimum interpretem* vocare. Et mea quoque sententia Philargyrius docti interpretis nomen meretur. Hujus enim Commentariolus, etiam praeter ista quae Servio tribuuntur, multa continet, quae et scitu digna sunt et aliunde non cognoscuntur. Quam vero in Servii Commentariis nemo non miratur, divitem illam Historiae, Antiquitatis et Grammaticae scientiam, eam in Philargyrii Commentariolo frustra quaeres. Neque hoc mirum est: Servius enim omnia et sui et superioris aevi subsidia perscrutandi occasionem habuisse videtur, sive hoc tribuendum sit prosperiori vitae conditioni, sive opportuniori habitationis loco, sive denique majori literarum studio; talem vero studiorum perficiendorum occasionem fortasse non habuit Philargyrius, qui, si Asperi et Celsi Commentarios excipias, antiquiorum interpretum lucubrationibus caruisse videtur.

Majorem autem sine dubio, quam qua nunc habetur, doctrinae laudem nactus fuisset Philargyrius, si hujus Commentarium, qualis iste olim a doctissimo interprete scriptus fuit, integrum, ad nostra tempora pervenire, fata sivissent. Est itaque omnino sperandum, fore aliquando ut plenius hujus Scholiastae apographum inter inaccessos Bibliothecarum thesauros reperiatur: quod si repertum fuerit, non dubito quin et Virgilianorum poëmatum in-

interpretatio et vero universae Literae plurimum lucri facturae sint.

§. 6.

SCHOLIASTA BARTHIANUS.

Casp. Barthius, cujus indefessa quosvis cum editos tum scriptos Veterum libros perscrutandi diligentia nullius non laudem meretur, in antiquo Virgilii codice reperit aliquot scholiorum reliquias, quae ab editis interpretum scholiis differunt. Reliquias, inquam: longe enim potissima pars ab impuro nebulone erasa erat, quem nisi taeduisset ulterius scalpellum ducere, et hae reliquiae eandem sortem expertae fuissent. Sed audiamus ipsum Barthium, qui Advers. L. XXXIII. c. 13. haec ita narrat: »*Exarata calamo exemplaria Maronis, quae in nostram potestatem venerint, superioribus libris conscripsimus. Antiquissimum eorum longeque pretiosissimum incomparabile damnum subiit in prioribus Aeneidos libris, qua quidem ad glossas et commentationes. Nam cum margines spatiaque interlinearia undique scaterent interpretationibus ex priscis Grammaticis contractis, (ut facile videre est ex reliquiis posteriorum librorum) nebulo quidam impurus scalpelli ducendi artifex singularis tam ingeniose malus fuit, ut ita omnes ad unam eraserit, uti vix vestigia literarum ulla compareant. Neque ego ulla ratione credidissem hominem quempiam tam accurate tale*

quid

quid praestare posse. Ille quidem merito suo etiam apud manes male audiat; nos vero quaedam isthic adnotabimus quae in Duodecimo libro superesse curiosa rasoris infelicitas voluit:

(ad Aen. XII.) vs. 1. INFRACTOS. *Utrumque potest intelligi*, *et* non fractos, *et* valde fractos. *Potius vero* valde fractos *intelligit; nam priusquam in summo discrimine essent, non erant fracti* (1).

» » vs. 6. TUM DEMUM MOVET ARMA LEO. *Postquam volnere fuerit lacessitus et sanguinem suum viderit* (2).

» » vs. 9. GLISCIT. *Crescit, augmentatur, sensim * nam et* glires *dicuntur quod per somnum crescunt, quos pingues efficit somnus* (3).

» » vs. 19. O PRAESTANS ANIMI. *Est prudens senis dictum, quia clam dicit inferiorem esse Aenea virtute, quapropter illum vult abducere a furore; est vero ex seno Ennio* (sic) *translatum* (4).

(ad

(1) Alterum tuetur Servius ad h. l.

(2) Priora verba item exstant apud Servium ad h. l.

(3) Tollatur illud comma post *augmentatur* et ponatur post *sensim*. Ceterum ubi Barthius asteriscum posuit, suspicor deësse vocnlam *hinc*, vel *unde*. Apud Servium ad h. l. haec prostant: GLISCIT. *Crescit, et latenter, unde et* glires *dicti sunt, quos pingues efficit somnus.*

(4) Apparetne ex hac glossa, in Ennii verbis, quae a Cicerone in Acad. Quaest. II. 27. et a Donato ad Terentii Eunuch.

(ad Aen. XII.) vs. 41. Fors. *i. e. eventus rerum. Saepe invenitur pro adverbio positum.*"

Et ita porro: neque enim omnes istius Commentarii reliquias hic volumus exhibere. Satis sit, posse e paucis apparere, quantam jacturam literae in reliquorum librorum interitu fecerint. Vix enim dubito quin hujus Scholiastae opera, si servata esset, nonnihil habitura fuisset, quo et aliorum scripta emendari et Serviani Commentarii corrigi potuissent.

§. 7.

SCHOLIASTA VERONENSIS.

Incerti auctoris Scholia, quae Angelus Majus ante aliquot annos ex Codice Veronensi palimpsesto edidit, quamvis plurimam partem lacera sint et propterea Virgilii quidem interpretationi parum prodesse videantur, non dubito dicere, quantivis nobis pretii esse, ubi de antiquis Virgilii interpretibus disputamus. In hac enim Scholiorum collectione deprehendimus passim annotationes, ex Commentariis antiquiorum Scholiastarum excerptas, de quibus antea, quum diserta mentio non exstaret, dubitandum erat an revera Commentarios in Virgilium scripsissent. Exempli causa afferri potest Scaurus; quem, quum

praeb. III, 5. 12. memorantur, pro *O pietas animi* legendum esse *O praestans animi*? Ceterum pro *seno Ennio* Barthius suspicatur hic *sexto Ennii* scribendum esse. Hesselius p. 290. fragmentum retulit ad Ilionam, sive Polydorum.

quum ipsius nomen non nisi in unico Servii scholio memoraretur, merito dubitavit Heynius inter Virgilii interpretes referre: hic vero quum scholia legantur, quae Scauri nomen prae se ferunt, facile credimus ipsum sibi in Virgilii interpretum numero locum vindicare. At vero, et hoc majoris etiam aestimandum est, nova inde quoque comperimus interpretum nomina, quae hacterius plane inaudita erant. Operae pretium duxi singula, quae de antiquiorum interpretum lucubrationibus in hac Scholiorum Collectione reperiuntur, et vel levissima indicia diligenter suo quaeque loco memorare: quo facto apparebit, quod ab initio diximus, post Heynii aetatem, argumento quod tractamus, nonnihil ponderis accessisse.

Quod attinet ad Commentarii formam, qualis ille a Majo editus est, monemus, hunc hac in re potissimum a reliquorum Scholiastarum Commentariis diversum esse, quod plerumque integra antiquiorum interpretum scholia, praefixo cujusque nomine, exhibeat. Exempla afferre, jam hic superfluum judicamus: afferentur, ubi de Cornuto, Aspero, Hateriano et Longo disputabimus. Cave vero credas, illum, qui haec scholia collegerit, nihil omnino de se addidisse. Contrarium, ut Majus sagaciter odoratus est in Praef. §. VI. probant primum illae locutiones: *Cornutus sic aestimat* ad Ecl. III. 40. — *Cornutus putat hoc ad Musas pertinere* ad Ecl. VI. 9. — *Probus malo epitheto putat usum poëtam* ad Aen. II. 173. — *Hoc loco adnotant Probus et Sulpicius* ad Aen. IX. 369. — deinde plurima scholia

lia nomine auctoris carentia, quae quidem maximam hujus Commentarii partem conficiunt.

Ad hujus igitur Scholiastae laborem omnia ea scholia referenda sunt, quibus quidem integris nullum nomen praefixum est. Ea tamen, quorum initia truncata sunt, non censeantur esse hujus interpretis; namque in his amputationibus, ut Majus docet §. VI. nomina saepe interpretum periisse, certum est.

Quis fuerit auctor horum Scholiorum (1) et qua aetate haec conscripta sint, omnino incertum est. Indicia, quae auctor aetatis suae injecit, tam levia sunt, ut inde nihil omnino suspicari possimus. Suntque ea duo tantum:

ad Ge. III. 2. Lycaei. *Lycaeus mons Arcadiae, circa quem Pan Deus colitur. Arcadia abundat his etiamnum relligionibus, unde et idem Pan Lupercus colitur.*

ad Aen. VIII. 104. Ante urbem in luco. *In eo loco dicit, qui nunc Velabrum dicitur.*

Maji silentium prodere videtur, ipsum ne suspicione quidem hariolari voluisse. Hoc satis quidem certum est, ista conscripta esse, quum superstites essent, qui nunc perierunt, Asperi, Cornuti, Hateria-

(1) De uno auctore loqui malo quam de duobus, quamquam Majus duos Anonymos sibi deprehendere visus est, quum aliam interdum manum rudiorem et paulo recentiorem in Codice observaret. Sed ex hoc genere non nisi tria scholia esse (ad Aen. II. 165. V. 84. et 487.) docet in Praef. §. VI.

viani, Longi, Probi et Scauri commentarii in Virgilium. Ex operibus enim horum, quibus profecto recentior debet fuisse hicce Scholiasta, passim insignia aliquot fragmenta in hac Collectione servata sunt, quae dubito an auctor aliunde, quam ex ipsis illorum interpretum operibus excerpere potuerit. *Id autem*, haec sunt Maji verba in Praef. §. VII. *ante Servii Donatique aetatem ab eo factum, haud scio an jure idcirco suspicer, quod illorum duorum, qui copiosissimi et paene principes habentur Virgilii interpretes, in ejus collectione nullam video fieri mentionem. Sed enim haec, inquam, quam prudenter scribam nescio.*

Praeter istos, quos nominavimus, antiquiores interpretes, hicce Scholiasta aliorum insuper Commentariis usus esse videtur, quorum tamen nomina reticuit. Licet autem hoc suspicari ex illis locutionibus *quaeritur ab aliquibus*, *solent quidam calumniari*, quales adhibuit:

ad Aen. II. 103. Jamdudum sumite poenas. Jamdudum *hic est quamprimum*, *ut* [Aen. I. 580.] *»Jamdudum erumpere nubem ardebant." Plerique tamen sic distinguunt: »Idque audire sat est jamdudum" . . . sequatur postea quasi ex fiducia . . .*

ad Aen. II. 473. Positis exuviis. *Quaeritur ab aliquibus, utrum bene positum sit* exuviis *in significatione pellis.*

ad Aen. II. 719. Flumini vivo. *Solent quidam calumniari quod dixerit* vivo.

t alibi; quamquam fieri potest, ut auctor in his

cos-

eosdem illos interpretes, sed non addito homine, significaverit.

De pretio thesauri a se inventi, ipsum disputantem audiamus Majum. » Quaeret aliquis", ita scribit in Praef. §. VIII. » quae sit horum Scholiorum » natura et utilitas? Sane horum usus et fructus in » omnes partes valet. Hinc enim primo cognoscimus quibus ex opibus Servius ditatus sit (nam » Donatus multo rarius aliena re utitur et in rhetoricis exercitiis plerumque versatur). Nemo sane » nescit, Servium antiquiorum scripta exhausisse: » quod quum faceret, saepe eum fontium suorum » cepit oblivio, ita ut de suo videatur penu depromere quod alienae arcae surripit. Praeterea » Servius quidem est aetatis suae facile princeps » interpres, sed tamen et saeculi ruditate quadam » tinctus et privata etiam verbositate molestus. In » his vero antiquioribus scriptis brevitas et naturalis inest perspicuitas; atque ibi certe venustissimi » sunt, ubi nullum detrimentum integritatis fecerunt. Prosunt autem non latinitate solum, sed, » quod maxime ad rem facit, poëtae explicatione. » At hodierni interdum interpretes inani voce sonamus, neque intelligimus ipsi sub aucteris, quem » explicamus, verbis quae sit subjecta sententia.

» Interim horum Scholiorum commendationi" ita pergit Majus §. X. » magnum pondus adjiciunt » loci tot auctorum atque operum deperditorum, » ut nova vocabula omittam (1), quos in illis offen-

(1) Inter nova vocabula, quae in his Scholiis offenduntur,

» fendimus. Ex inventis a me antea scriptoribus » neminem fere video, qui tantis opibus veterum » Eruditorum abundet. Quare isti Scholiastae pri» mum docent quanta ipsi doctrina excelluerint; » deinde quod eo tempore scripserint, cum litte» rarum patrimonium adhuc erat incolume; deni» que faciunt ut clarius intelligamus, per barbarica » saecula quam funditus latinitas bonis suis eversa » sit. In his ergo scholiis modo occurrunt scriptores » quorum est illustrissimum nomen; modo penitus » ignoti. Atqui horum postremorum notitiam huic » aetati gratiorem fore auguror, quae reconditorum » thesaurorum cupiditatem tantam prae se fert, ut » copiae bibliothecarum jam exiguae videantur, » quandoquidem eorum qui his inhiant, quam plu» rima est multitudo."

E multis, quibus hic thesaurus abundat, ignotis Veterum scriptorum fragmentis, pauca operae pretium duco hic referre, quibus, tamquam novis gemmis, ditari possint Fragmentorum Collectiones: ad Ecl. VII. 22. Valgius in Elegis:

» *Ille canit quali tu . . . . e ca . . .*
. . . solet numeros dicere, Cinna tuos.
Dulcior ut numquam Pylio profluxerit ore
Nestoris . . . aut . . . pectore dem . . .
. . . credis mihi . . .
Noctem non hilarum posset . . .

. al-

tur, haec recensenda sunt: *Languor* ad Georg. II. 93. — *Pecus* masc. gen. ad Ge. III. 1. — *Athla* fem. gen. ad Georg. III. 4. — *Filastis* ad Aen. II. 85. — *Maturato* adverb. ad Aen. VII. 266. — *Caproclium* ad Aen. X. 241.

. alleris in . . . quantum si gurgite vuscae
Criseas quaerat flumina Castalias . . .

ad Aen. II. 81. Pacuvius in Teucro:

» *Nihil ne a Troja adportat fando.*"

ibid. Lucilius in II.

» *Fandam adque auditam iter ab ima fi . . .*"

ad Aen. II. 82. Varro Argonautarum primo:

Ecce venit Danai multis . . .
Namque satus Clytio Laerni quem Naubolus ex se,
Laernum Naupliades, Proetus sed Nauplion edit,
. . . . Danai . . . . .

ad Aen. II. 670. Plautus in Colace:

» *Si me hodie invitaverit, numquam quicquam...*"

ibid. Titinius in Jurisperita:

» *Numquamne mihi licebit hodie dicere?*"

ibid. Cato in contione:

» *Epirensium bellum fecimus . . . tris missi ad(versus . . . quos . . . censorem habuistis, neque) . . . upli pectore adsecutus.*"

ad Aen. IV. 178. Sallustius in primo historiarum:
» *At per omnem provinciam magnae atrocesque famae, quum ex suo quisque terrore quinquaginta aut amplius hostium milia, novas immanes f . . . oceani accitos corporibus hominum vesci contenderent.*"

ad

ad Aen. V. 251. Coelius:

» *Mean . . . factum meandro duplici . . . lana est qualis á Melibea . . . ut velum.*"

ad Aen. X. 564. Afranius in Prodito:

» *Deliberatum est non tacere amplius. Amyclas tacen . . . isse audio.*"

Haec fere sunt insigniora fragmenta, in quibus directe ipsa Veterum auctorum verba citantur: quae, quamquam misere lacera, vix tamen dubito quin literis non uno nomine profutura sint. Praeterea saepius etiam in his Scholiis (v. Ge. III. 7. Aen. II. 717. III. 707. VII. 681.) sententiae et opiniones ex deperditis Veterum scriptis memorantur: quin et passim (v. Aen. I. 21. 240. II. 173. 714.) fragmenta reperiuntur non additis auctorum nominibus, quae Majus, quum nesciret ex quorumnam scriptis desumta essent, aliis quaerenda reliquit; quae omnia si hic referre vellemus, justo longiores fieremus.

Priusquam ab iis interpretibus discedam, quorum Scholia hodie supersunt, monendum est, non negligenter hic omissum esse Julium Pomponium Sabinum, cujus nomine exstant Commentarii in Virgilii Eclogas, Georgica, Aeneidem, item in minora opuscula quae Virgilio tribuuntur, Culicem, Diras, Copam, Moretum, Cirim et reliqua, primum editi a. 1487. cum epistola Dan. Gaitani. Habent enim isti Commentarii, qui magnam partem ex

ex antiquiorum interpretum lucubrationibus, nunc deperditis, excerpti sunt, tantum quidem doctrinae, tantum antiqui coloris (1), ut Pomponius a nonnullis pro mediae aetatis Grammatico habitus sit (2): passimque in iis reperiuntur notitiae de antiquioribus interpretibus, aliunde non cognitae, ita ut ipsius tamquam probati scriptoris testimonium nobis saepius in partes vocandum fuerit; sed, quandoquidem et ex ipsis Commentariis et aliunde constet Pomponium demum sub initium renascentium literarum vixisse, nullo omnino jure inter antiquos interpretes referri posse censuimus (3). Cff. Vossius de

(1) Audi quam honorificum de Pomp. Sabini labore judicium tulerit Heynius: *Totus*, sic scribit ille. T. IV. p. 448. *Pomponii interpretatio, in Aeneidem saltem, maximam partem ex Servio concinnata est, quem auctor interdum locupletiorem habuisse videtur, uti etiam Probum in Bucolica. Inserta quoque passim loca ex Dionysio Halic., Diodoro et Strabone, latine versa; haud raro nullo auctoris nomine apposito, uti et e Plinio multa intulit; et omnino multa doctrinae pro iis temporibus reconditae vestigia animadvertere licet. — Interea mirari licet, non saepius eos in sequioribus Virgilii editionibus esse repetitos; in iis quidem, qui variorum operas recoxerunt, melius suum locum tutus esset Pomponius, quam sicuti alii Commentatores."*

(2) Hunc errorem in Pithoeo (ad Dialog. de Orat. c. 26.) et in Scheffero (L. II. de Re Vehic. c. 7. p. 129.) reprehendit Burmannus in Praef. ad Virgil. p. 36. Cf. Barthius a Burm. citatus.

(3) Quae auctor passim de suo tempore narrat, manifesta sunt serioris aetatis indicia. Ad Ge. I. 59. scribit: *Epirus nunc dicitur Albania.* Ad Ge I. 333. *Athos, mons Macedoniae, nunc dicitur mons Sanctus, in quo sunt triginta monasteria religionis Christianae.* Ad Ge. II. 497. *Dacia*

de Hist. Lat. L. III. c. 8. Fabricius in Bibl. Med. et Inf. Lat. L. IX. p. 194. Burmann. in Praef. ad Virgil. (p. 36.) Heynius de Edit. Virgil. T. V. p. 447. Saxius in Onom. Lit. T. II. p. 491, et Disputatio quae de Pomponio Sabino edita est Bonnae 1824, Senatus Academici nomine ad indicenda Solennia Natalitia Friderici Guilielmi III. cujus auctorem esse Doct. Naeckium vulgaris est in nostris regionibus fama.

Eadem de causa omisimus Domitium Calderinum Veronensem, quippe quem Pomponii Sabini fere aequalem fuisse et circa a. 1477. decessisse constet. Cf. Scipio Maffeus in Verona Illustrata P. II. col. 114. Tiraboschius Hist. Literat. Ital. T. VI. P. III. p. 1088. et Fossius Catal. Bibl. Magliabech. T. I. p. 449. quos citat auctor Disputationis, quam modo memoravimus, de Pomponio Sabino p. 12. quibus addantur Henninius ad Juvenalem p. 709. seqq. et Salvagnius Boëssius in Prolegom. ad Ovidii carmen in Ibin p. 2. seq.

Et sic quidem eorum interpretum commemoratione defuncti sumus, quorum opera qualiacunque su-

cia nostro tempore dicitur Volochia: incolae Volochi appellantur. Ad Aen. V. 84. *Saepe numero e sepulchris erupere serpentes ut e tumulo Murri apud Silium libro secundo* (vs. 585.), *et Parisiis, urbe Galliarum, e tumulo Carlmanni regis.* Ad Aen. VII. 697. *Lacus et mons Cymini post Sutrium est, tempore nostro lacus vici appellatur: nam illic oppidulum nuper dirutum appellabatur vicus Cymini.*

superesse censentur. Nunc eos memorabimus, quorum Commentarii perierunt. De his autem disputare et propositum nostrum requirit, et eo magis necessarium est, quippe quod ii ipsi maximam partem fontes fuerint e quibus Servius reliquique hauserunt. De singulorum autem aetate quidquam certi statuere, perquam difficile est; probabile tamen videtur, plerosque iis, quos recensuimus, fuisse multo antiquiores, quin et floruisse labente quidem, nondum tamen lapso Latinitatis vigore. Et, quandoquidem ex Commentariis, quos scripserunt, non nisi pauca fragmenta supersint, aeque difficile est de singulorum laudibus et doctrina pronuntiare; nisi de quibus exstent judicia Veterum. Sed hi sunt pauciores. Plerorumque vero nomina hic illic, non addito judicio, memorantur. Sufficiat itaque eos nominasse, et, quae de ipsorum Commentariis supersunt, fragmenta collegisse. Praeivit hac in re Burmannus, qui, etsi nostra quidem opinione passim labatur, diligenter tamen eorum nomina conquisivisse censendus est. Et vero Burmanni disputationem tanti facio, ut operae pretium ducam, ipsam h. l. integram inserere. Sic igitur ille scribit in Praefat. ad Virgil. edit. p. 39. » Sed praeter » Servium, Philargyrium, Val. Probum ac Dona» tum, haud parvo numero apud Grammaticos ve» teres memorantur Virgiliani Interpretes, quorum » lucubrationes aut penitus nobis interciderunt, vel » Servii ac Donati reliquiis intermixti habentur.

» Sic L. Annaeum Cornutum in Maronis Commen» tariis laudat Sosipater Charisius lib. I. Instit. » Gramm. p. 100. et 102. de quo ita Gellius L. II.

» c. 6. *nonnulli Grammatici, qui Commentaria* » *in Virgilium composuerunt, in quibus est Cor-* » *nutus Annaeus.* et L. IX. c. 10. vocat *hominem* » *sane pleraque non indoctum, neque inpruden-* » *tem.* Meminit etiam ejus non uno in loco Servius. » Laudatque Cornutum hunc, et ex ejus adnotatio- » nibus in Virgil. locum producit Macrob. L. V. » Saturn. c. 19. in cujus tamen indice perperam » *Aurelius Cornutus* vocatur. Vid. de eo Scalig. » ad Euseb. p. 197.

» Celsum in Commentario ad Maronem memorat » idem Charisius L. II. p. 180. 191. et 197. ubi *Arun-* » *tium Celsum* appellat. Nescio an idem Aruntius » sit, qui cognomine *Aruntii Claudii* occurrit apud » Diomedem L. I. p. 307. A Prisciano quoque cita- » tur saepe nunc sub *Aruntii*, nunc simpliciter sub » *Celsi* nomine; ut et apud Servium.

» Gnifonem in Maronis Georgica citat Charis. L. » II. p. 184. qui tamen non potest esse Marcus ille » Antonius Gnifo, cujus meminerunt Macrobius et » Quinctilianus, et cujus vita exstat apud Sueton. » de Illustr. Gramm. c. 7. licet illic Vinetus eum- » dem faciat.

» Julii quoque Hygini, *non ignobilis Gram-* » *matici, in Commentariis, quae in Virgilium fe-* » *cit*, meminit Gellius L. I. c. 21. Et L. XVI. c. 6. » *Julium Hyginum* citat, *in quarto librorum,* » *quos de Virgilio fecit.* ubi quae ex Hygino ad- » fert Gellius, eadem quoque producit Macrob. L. » VI. Sat. c. 9. Ejus etiam mentio non raro occur- » rit apud Servium.

» Sic Velium Longum in L. II. Aen. profert Cha-

H ris.

» ris. L. II. p. 153. *de quo Velius Longus in se-*
» *cundo Aeneidos satis commentatus est.* et Ma-
» crob. L. III. Saturn. c. 6.

» Ex quo eodem scriptore L. III. c. 6. colligi
» etiam posset, ASPRUM Grammaticum quaedam in
» Virgilium scripsisse.

» Sic ADAMANTIUS MARTYRIUS, cujus nonnulla ex-
» stant apud Cassiodor. de Orthogr. V. p. 2295.
» etiam in Virgilium commentatus est. Ejusque me-
» minit Pierius in notis, ut ad Ecl. II. 15. et 18. et
» VIII. Aen. 642. et X. 205.

» ALEXANDER etiam, nescio quis, inter veteres
» Virgilii interpretes, citatur a Servio ad L. VIII.
» Aen. 330. idem forte, ac Alexander Grammaticus, a
» Donato in vita Virgilii memoratus; ubi et alii oc-
» currunt, ut ASCONIUS PEDIANUS, MELISSUS et NISUS
» Grammaticus, ut jam nihil addam de Virgilii ob-
» trectatoribus, ac CARVILIO PICTORE, cujus Ae-
» neidomastix ibidem recensetur, quemadmodum
» VIRGILIOMASTIX apud Serv. ad Ecl. II. 22. *Hunc*
» *versum male distinguens Virgiliomastix vitu-*
» *perat.* et Aen. V. 521. *Culpat hic Virgilio-*
» *mastix.*

» MARTIUS etiam SALUTARIS, Commentator Virgi-
» lii, laudatur a Charis. L. II. p. 181.

» Et GRILLIUS ad Virgilium de accentibus, a Pri-
» sciano L. I. p. 560.

» TITIANUM quoque et CALVUM Themata omnia
» de Virgilio elicuisse, et ad dicendi usum confor-
» masse, testatur Servius ad L. X. Aen. 18. qui
» etiam auctorem DECLAMATIONUM in Virgilium me-
» morat L. V. 532. et NIGIDII Commentarium Gram-
ma-

» maticalem, procul dubio in Virgilium, ad L. I. » Georg. 120.

» Alios alii Grammatici saepe in scriptis suis ad» ducunt, sed de quibus singulis operosius agere a » nostro instituto alienum est.

» Passim etiam Pierius et Heinsius in notis suis » ad partes vocant Arusiani Messii Elocutionum li» bellum necdum editum, quo exemplis Virgilianis » ubique usum Elocutionum adstruit ille Gramma» ticus, cujus auctoritate saepe optimas Maroni » vindicarunt lectiones. Hunc Neapoli cum aliis » Grammaticis ineditis descripsit aliquando Hein» sius, et in Commentario Virgiliano frequenter ejus » testimonio utitur. Vide quae de hoc Arusiano » Messio dixi in Comment. de vita N. Heinsii, Ad» versariis ejus praefixo, p. 9.

» Sed praecipue inter veteres, qui Virgilium » emendarunt, et in ordinem digesserunt, censendi » sunt Tucca et Varius, qui Aeneidos opus, ab » Augusto flammis ereptum, castigarunt ac dispo» suerunt, ut notum ex Sulpitii Apollinaris Epi» grammatibus in Aeneidem Virgilianam, quae in » Pithoei Catalectis L. I. leguntur. Eos quoque in» ter Criticos numerat ac cum Probo conjungit » Eugenius praefatione in Dracontii Hexaemeron,

Quod si Virgilius, et vatum summus Homerus,
Censuram meruere novam post fata subire,
Quam dat Aristarchus, Tucca, Variusque, Probusque.

» Hi complura Virgilii hemistichia, inperfecta ab » eo relicta, suppleverunt, nonnulla etiam detraxe-

 runt.

» runt. ut ostendit H. Stephanus Diss. de Criticis » p. 48. et Petrus Nannius L. VI. Miscellan. c. » 10." (1) Hucusque Burmannus, quem diximus, nostra quidem opinione, hic illic errasse. Sed docti viri errores non possum notare priusquam diligentiam laudem, qui post mortem patrui, tam insigniter de Servio meruit, quique primus Catalogum interpretum, a Ge. Fabricio confectum, Veterum testimoniis undecunque conquisitis confirmare studuit: in eo tamen paulo licentior, quod nonnullos, qui in libellis suis Grammaticis verba ex Virgilio laudassent, propter haec male in Commentatorum Virgilianorum numerum retulerit. Quod enim supra ex Heynii monito praefati sumus, hoc loco repetendum est: *si diligentius inquiras, paucissimos esse, quos data opera in Virgilium commentatos esse constet.* Et contra, alios, qui nominandi erant, Burmannus reticuit. Sed plura hic persequi, non est necesse: de singulis enim deinceps dicemus.

§. 8.

L. Ann. Cornutus.

L. Annaeus Cornutus, si Veterum scriptorum testimoniis fides habenda sit, non dubium est quin Commentarium scripserit in Virgilii carmina. Audi mo-

(1) Scribe potius cap. XI. p. 131 seqq.)
(in Gruteri Lampade T. I.

modo Gellium, qui L. II. c. 6. ait: » *Nonnulli Grammatici aetatis superioris, in quibus est Cornutus Annaeus, haud sane indocti neque ignobiles, qui Commentaria in Virgilium composuerunt, cet.* Macrobius L. V. c. 19. memorat Cornuti adnotationem ad Aen. IV. 698. quin et Charisius p. 102. nominatim citat librum X. Commentariorum Cornuti. Praeterea Servius, etsi non diserte narret Cornutum Commentarios in Virgilium scripsisse, saepius Cornuti nomine explicationes et emendationes commemorat. Quibus testibus nunc etiam novus accedit, Scholiastes Veronensis.

Qualis ille Commentarius fuerit, non facile est judicare, quandoquidem injuria temporis totus perierit, praeter pauca quaedam fragmenta. Ex quibus, si quid video, apparet, Cornutum a reprehendendi studio non fuisse alienum, illudque potissimum in Commentario suo egisse, ut inquireret, num quid vere dictum a poëta sit an secus et num verba, quae usurpantur, rei conveniant nec ne: ita tamen ut subinde etiam explicaret vel emendaret, passimque Grammaticam tangeret. Gellii locum, cujus initium modo memorabamus, integrum exhibebimus. Sic igitur ille inquit L. II. c. 6. » *Nonnulli Grammatici aetatis superioris, in quibus est Cornutus Annaeus, haud sane indocti neque ignobiles, qui Commentaria in Virgilium composuerunt, reprehendunt quasi incuriose et abjecte verbum positum in his versibus* [Ecl. VI. 75.]

Can-

Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis.'

Vexasse *enim putant verbum esse leve, et tenuis ac parvi incommodi, nec tantae atrocitati congruere, quum homines repente a bellua immanissima rapti laniatique sint. — Item aliud hujuscemodi reprehendunt* [Georg. III. 4.]

— Quis aut Eurysthea durum
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

Illaudati *parum idoneum esse verbum dicunt, neque id satis esse ad faciendam scelerati hominis detestationem: qui, quod hospites omnium gentium immolare solitus fuit, non laude indignus, sed detestatione exsecrationeque totius generis humani dignus esset. — Item aliud verbum culpaverunt* [Aen. X. 314.]

Per tunicam squallentem auro latus haurit apertum.

Tamquam si non convenerit dicere auro squallentem: *quoniam nitoribus splendoribusque auri squalloris illuvies sit contraria.*"

Hae reprehensiones, quae, si non omnes, partim saltem a Cornuti manu profectae sunt, Grammaticum produnt sane non ineruditum. Sed qui aliorum vitia notare student, quid mirum si subinde ipsi labantur? Id quoque accidit Cornuto, quem hanc ob rem atro carbone notavit Macrobius L. V. c. 19. „*In libro quarto in describenda Elisae mor-*

morte ait, quod ei crinis abscissus esset, his versibus [Aen. IV. 698.]

> *Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem*
> *Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.*

deinde Iris a Junone missa abscidit ei crinem et ad Orcum fert. Hanc Virgilius non de nihilo fabulam fingit, sicut vir alias doctissimus, Cornutus existimat, qui adnotationem ejusmodi apposuit his verbis: » Unde haec historia, ut crinis auferendus sit morientibus, ignoratur: sed assuevit poëtico more aliqua fingere, ut de aureo ramo." *Haec Cornutus. Sed me pudet, quod tantus vir Graecarum etiam doctissimus literarum ignoravit Euripidis nobilissimam fabulam Alcestim: in hac enim fabula in scenam Orcus inducitur gladium gestans, quo crinem abscindat Alcestidis et sic loquitur* [vs. 73.]

> *Ἡ δ' οὖν γυνὴ κάτεισιν εἰς Ἅιδου δόμους.*
> *Στείχω δ' ἐπ' αὐτήν, ὡς κατάρξομαι ξίφει·*
> *Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,*
> *Ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσῃ τρίχα.*

Praeter Gellium et Macrobium insignia aliquot fragmenta servavit Servius, quae operae pretium duco colligere. Sunt ista hujusmodi:

ad Ge. I. 277. Pallidus orcus. *Quia pallidos facit: nam ipse niger est. Probus* 'Orchus (scr. Horcus) *legit. Cornutus vetat adspirationem addendam.*

ad Aen. I. 45. Infixit. *Cornutus ait:* Inflixit *verius, ut sit vehementius.*

ad

ad Aen. I. 150. VOLANT *Multi non* volant, *sed* volunt, *invenisse se dicunt. Sed Cornutus: » Verendum, ait, ne praeposterum sit faces velle, et sic saxa; cum alibi maturius et ex ordine dictum sit:* [Aen. VII. 340.] » *Arma velit poscatque simul, rapiatque juventus."*

ad Aen. I. 488. SE QUOQUE PRINCIPIBUS PERMIXTUM AGNOVIT ACHIVIS. *Aut latenter proditionem tangit, ut supra diximus; licet excusetur ab ipso in II.* [vs. 431.] » *Iliaci cineres et flamma extrema meorum." Aut virtutem ejus vult ostendere: nimiae enim fortitudinis est, inter hostium tela versari, ut Sallustius* [Catil. c. 61.] » *Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est." Cornutus tamen dicit versu isto* [Aen. II. 396.] » *Vadimus immixti Danais" hoc esse solvendum* principibus. *Quomodo se potuit in pictura cognoscere? Solvitur sic: sive quod nomina transscripta, sive ex factis, facile possit agnoscere; sed melius ad virtutem bellatoris referendum est.*

ad Aen. IX. 348. MULTA MORTE. *Cornutus* nocte *legit, et annotavit: utrum* nocte *pro* morte? *an, cum multa nox esset?*

ad Aen. IX. 675. DUCIS IMPERIO COMMISSA. *Hunc locum male intellexit Donatus, dicens,* commissam portam *i. e. creditam Pandaro et Bitiae, qui duces non erant. Cornutus vero melius sensit, dicens: » portam,*

tam, quae ducis imperio commissa fuerat, hoc est clausa, eam aperuerunt."

ad Aen. X. 547. DIXERAT ILLE ALIQUID MAGNUM. *Proverbialiter dictum est, ac si diceret: non mirum, sic occisum esse eum, qui sibi plurimum arrogabat.* Μὴ μέγ' εἴπῃς. *Cornutus* (1) *ut sordidum improbat.*

Charisius, qui nominatim Librum X. Commentariorum Cornuti memorat, hoc servavit fragmentum: p. 102. 19. DIDUN. *Attejus Philologus librum suum sic edidit inscriptum*, An amaverit Didun Aeneas, *ut refert Plinius* (2) *consuetudinem dicens facere hanc Callisto, hanc Calypso, hanc Jo, hanc Alecto. Itaque et L. Annaeus Cornutus in Maronis Commentariis Aeneidos X. » Didus, ait. Hospitio Didus exceptum esse Aeneam."*

Sunt, qui putent Cornutum Commentariis suis epistolam praemisisse ad Silium Italicum, ipsique istos

(1) In Servii editionibus est *Corinthus*. Sed Cornuti nomen restituendum esse conjecit Ruhnkenius, ac probavit Koenius in Praef. Gregorii Corinthii de Dialectis p. VIII. ed. Schaef. Ceterum recte ibid. monuit Koenius, in Graecis istis priorem voculam una syllaba augendam esse ut Sophocleum sit hemistichium ex Ajace Flagellifero, vs. 386. Μηδὲν μέγ' εἴπῃς.

(2) Non video Plinium in Nat. Hist. hujus rei facere mentionem; apud quem Attejus Philologus modo semel memoratur, inter auctores, quibus in L. IV. usus est. Verosimile est, ita Peerlkampius me monuit, pro *Plinius* legi oportere *Virgilius* vel *P. Virgilius*. Atteji liber igitur ita inscriptus fuerit: « *An amaverit Didun Aeneas ut refert Virgilius."*

tos dedicasse. In his est Doct. De Martini, qui in Disput. de Cornuto p. 96. suspicatur, ex eâ epistolâ desumta esse verba quae prodit Charisius:

p. 100. 37. Civitatium. *Annaeus Cornutus ad Italicum de Virgilio lib. 10.* « *Jamque exemplo tuo etiam principes civitatium et poëtae incipient similia fingere.*"

Fieri potest, ut recte conjecerit Vir Doct. Sed dubito an probe attenderit Charisium nominatim *lib. 10.* Cornuti operis memorare. Quam rem si ille nihili putavit, opinari debuit, cuivis istorum librorum epistolam praemissam fuisse; quae ipsa quidem suspicio non magnopere improbanda videtur, quandoquidem sciamus Veteres saepius singulos libros majoris cujusdam operis singulis amicis mittere et dedicare consuevisse.

Fragmentis, quae ex Gellio, Servio et Charisio memoravimus (1), tandem quoque addemus ea, quae nuper e Scholiis Veronensibus a Majo editis innotuerunt. Neque enim haec, quamquam misere la-

(1) Pomponius Sabinus citat quidem aliquoties *L. Annaeum*: sed cave credas hunc esse L. Annaeum Cornutum, imo est *L. Annaeus Florus.* Ad Ecl. I. 67. hoc prostat scholion: penitus toto. *L. Annaeus sic ait:* « *Caesar omnibus terra marique captis, respexit Oceanum, quasi hic orbis Romanus non sufficeret, alium cogitavit: classe igitur comparata, Britanniam petiit.*" quae verba leguntur apud Florum L. III. c. X. §. 16. — Ad Ecl. IV. pr. *L. Annaeus sic ait:* « *Dalmatae plerumque sub sylvis agunt, inde in latrocinia promptissimi. Hos jam pridem Martius incensa urbe detruncaverat, postea Asinius Pollio gregibus, armis, agris mulctavit: hic secundus fuit Pollio*" quae verba iterum sunt apud Florum L. IV. c. XII. § 10.

lacera et truncata sint, reticenda videntur. Sunt autem hujusmodi:

ad Ecl. III. 40. In medio. *Cornutus sic aestimat: Dicit* in medio *sicut illud* [Ge. III. 16.] *» In medio mihi Caesar erit," pro eminebit.*

ad Ecl. VI. 9. Non injussa cano. *Cornutus putat hoc ad Musas pertinere: sed illud magis accipiendum, Cynthius aurem vellit et admonuit: nempe quod nutu Augusti admonitus sit ut bucolicas scriberet.*

ad Aen. III. 691. Comes infelicis Ulixi. CORNUTUS (1). *Num indecore hoc dicitur, quum sit Ulixes hostes Aeneae?*

ad Aen. IV. 178. Illam terra parens ira irritata. CORNUTUS . . . (quid) . . . *a posset.*

ad Aen. V. 488. Volucrem. LONGUS. *Adnotat Cornutus, quod indecenter sacram matri suae avem sagittis figendam constituerit.*

ad Aen. XII. 470. . . . *t in Corn.* (2) *et* . . . *uit. Ego reli*. . .

Plures fuisse Cornutos, post Fabricium in Bibl. Graeca T. III. p. 557. docte exposuit De Martini l. c.

(1) Sic solet Scholiasta Veronensis antiquiorum interpretum annotationes citare, ut supra diximus p. 103. Id autem quoties facit, vix dubium est, quin ipsa illorum verba retinuerit.

(2) Majus ad h. l. « Videtur explicandum *Cornutus*, vel *interpretatio Cornuti.*"

l. c. p. 8 — 19. isque Cornutum Grammaticum, Virgilii Persiique commentatorem, non diversum opinatur a Cornuto Philosopho Stoico, Persii praeceptore.

§. 9.

Aemilius Asper.

Asper, cujus jam bis mentionem fecimus, et inter Terentii et inter Sallustii Scholiastas, sine dubio inter antiquiores Virgilii interpretes referendus est; qui quidem Cornuto, ut videtur, recentior, aliis tamen bene multis aetate antecesserit. Aetas ipsa a nemine Veterum diserte memoratur; quae causa fuit, ut Saxius in Onom. Lit. T. I. p. XXIV. ipsum inter eos Grammaticos retulerit, qui in aetatis caligine versantur. Satis sit dixisse, Asperi nomen memorari ab Ausonio Epist. XVIII. 26. a Charisio p. 113. Prisciano p. 879. 902. 1254. ab Augustino de Util. Credendi c. 17. et ab Hieronymo adv. Rufin. p. 367. qui, veterum aliquot scriptorum Commentatores recensens, hunc primo omnium loco nominat; quamquam ex istis omnibus testimoniis nihil quidquam de Asperi aetate comperimus, nisi quod Asper, horum quidem seculo, non fuerit recentior.

Commentarii, quos Asper in Virgilium conscripsit, hodie omnes perierunt; frequenter tamen a reliquis Virgilii interpretibus memorantur, quemadmodum Probo, Servio et Philargyrio. Operae pretium duco fragmenta, quotquot servata sunt, colligere.

Pri-

Primum itaque excitandus est Probus, in cujus, ut nunc edita prostant, scholiis haec leguntur:

ad Ecl. VI. 32. SEMINA TERRARUMQUE ANIMAEQUE MARISVE. *Aemilius Asper cum hunc locum annotaret, sic ait: Haec membra naturae sic solet jungere, ut in tria dividat; nam et alibi* [Aen. I. 58.] *„maria ac terras coelumque profundum."*

paulo infra. *In eodem etiam libro Varro* [in Fragm. p. 156.] *interpretatur vitellum appellatum, quia nutriat vitalia; nam et quod ait Virgilius* [Aen. I. 58.] *„Ni faciat, maria* etc." *non, ut Asper putat, mundum in tres partes divisit.*

Sed praecipuus fons est Servius, in cujus Commentariis multas quoque Asperi annotationes, non nominato auctore, latere opinor. Scholia, in quibus Asper diserte memoratur, haec sunt:

ad Ge. II. 324. VERE TUMENT TERRAE. *Asper simpliciter accipit, ut* terrae *nominativus pluralis sit. Donatus vero* cet. — *Sed melius Asperum sequimur.*

ad Ge. IV. 168. FUCOS. *Fucus est, secundum Aemylium* (sic), *major ape, crabrone minor, dictus eo, quod sit apibus nocens: quod cum ipse nihil gignat, aliena consumit* (1).

ad

(1) Hoc scholion omittere nolui, quamquam vix credere possum hoc inter Asperi fragmenta referendum esse. Fieri potest, ut Servius ad hunc locum solo praenomine vocaverit auctorem, quem ceteroquin ubique absque praenomine citat. Probabilius tamen videtur legendum esse *secundum*

ad Aen. VI. 789. HUC GEMINAS. *Totum animum tuum huc dirige, et huc specialiter intuere. Sic Asper.*

ad Aen. VII. 169. SOLIO. *Solium secundum Asperum per Antistoichon, quod solum unum capit: quasi* sodium *a* sedendo. *Nam et* sella, *quasi* sedda *dicta est.*

ad Aen. VII. 337. TIBI NOMINA MILLE. *Id est facies: ut* [Aen. II. 558.] » *Et sine nomine corpus.*" Mille *autem secundum Euripidem: in cujus tragoedia dicit Furia non esse unius potestatis, sed plurimarum, se esse Fortunam, se Nemesin, se Fatum, se esse Necessitatem. Ita dicit etiam Asper.*

ad Aen. VII. 543. ET CONVEXA PER AURAS. *Probus, Asper, Donatus, dicunt, hoc loco* per *bis accipiendum, ut alloquatur Junonem* per coeli convexa *et* per auras.

ad Aen. VIII. 383. NERI. *Pro* Nerei. *Omnia enim, quae in* eus *exeunt hodie, apud majores in* es *exibant: ut* Nereus, Neres: Tydeus, Tydes: *et genitivum in* is *mittebant, ut* Tydis, Neris. *Sed quia plerumque* s *in Latinitate detrahitur, remanebat* i. *Hinc est:* « *filia* Neri", » *Immitis* Achilli." *Item in Sallus-*

dum Plinium, quod, ut Burm. monet, in quibusdam Codd. et Edd. extat, licet hanc ipsam quidem sententiam in Plinii libris reperire nequiverim. Suadet vero istam lectionem scholion Philargyrii ad h. v. qui diserte Plinium citat, docentem *fucos non habere aculeum et quasi imperfectas apes esse:* quae verba sunt apud Plinium L. XI. c. 11.

lustio [Fragm. Hist. L. I. p. 934. ed. Cort.] »*Ad bellum Persi Macedonicum.*" *Sic Asper.*

ad Aen. IX. 4. SEDEBAT. *Ut Asper dicit*, erat; *quae clausula antiqua est, et de usu remota.*

ad Aen. IX. 31. ALTUS PER TACITUM GANGES. *Sane bene addidit* per tacitum altus, *hoc est, per profundam altitudinem. Nam licet crescat, intra ripas tamen est, nec, ut Nilus, superfunditur campis. Unde Asper distinxit:* Altus per tacitum.

ad Aen. IX. 418. PER TEMPUS UTRUMQUE. *Asper dicit* per *tempus utrumque, hoc est,* inter *tempus utrumque, ut e contra* [Aen. VII. 33.] » *Hunc inter fluvio Tiberinus amoeno.*" *i. e.* per *hunc.*

ad Aen. IX. 678. ARMATI FERRO. *Aut bene instructi armis: aut, ut Asper dicit, ferrea corda habentes, i. e. dura et cruenta cogitantes: ut Ennium sit secutus qui* [p. 148. ed. Hess.] *ait:* » *Succincti corda machaeris.*"

ad Aen. X. 188. CRIMEN AMOR VESTRUM. *Secundum Asperum* crimen *erit causa, ut* [Aen. II. 65.] »*Et crimine ab uno Disce omnes*" *ut sit sensus: o Phaëthontiades sorores, et o Cycne, causa vestrum, i. e. vestrae mutationis, amor est.*

ad Aen. X. 539. INSIGNIBUS ARMIS. *Asper sic legit, et utitur Sallustii exemplo, qui* [Fragm. Hist. L. VI. p. 1006. ed. Cort.] *ait:* » *Equo atque armis insignibus.*" *Probus vero* insignibus albis *dicit legendum.*

ad

ad Aen. X. 566. IGNEM PECTORIBUS ABSISSE. *Asper dicit, ignem hunc, nativum intelligendum calorem, venientem ex ferocia, ut sit: Cum vim suae crudelitatis efflaret.*

ad Aen. X. 673. QUOSVE NEFAS. *Asper* quosne *legit, et annotavit:* Ne *pro* ve, *quasi expletiva particula.*

ad Aen. X. 737. HAUD TEMNENDA VIRI. *Asper* viris *legit; ut sit: aliis haud temnenda, alioqui ipse ait:* [vs. 732.] *»fugientem haud est dignatus Oroden Sternere."*

ad Aen. XI. 358. VENIAMQUE OREMUS AB IPSO, CEDAT. *Asper hic distinguit, i. e. hanc veniam oremus ut cedat.*

ad Aen. XI. 801. NIHIL IPSA, NEC AURAS, NEC SONITUS MEMOR. *Haec est antiqua lectio. Namque apud majores trahebatur interdum a Graeco genitivus singularis. Hinc est et* paterfamilias *et* materfamilias: *quae duo tantum nomina remanserunt. Nam nec* hujus auras *dicimus, nec* hujus custodias *secundum Sallustium, lib. IV. Hist.* [p. 981. Cort.] *qui ait: »Castella custodias thesaurorum,"* pro custodiae; *ita enim etiam Asper intelligit: licet alii* custodias *accusativum velint.*

Sequitur Philargyrius, in cujus Scholiis tria fragmenta servata sunt:

ad Ecl. II. 70. SEMIPUTATA. *Asper: «Tarditatem queritur, inquit, quia statim post vindemiam putant vites."*

ad Ge. IV. 453. NON TE NULLIUS. *Asper,* non nul-

nullius, *inquit, i. e. non levis numinis.*

ad Ge. IV. 520. Quo MUNERE. *Asper*, quo munere, *ob quam rem, vult accipi.*

Porro Macrobius duo exhibet fragmenta.

L. III. c. 5. *Adeo autem omnem pietatem in sacrificiis, quae diis exhibenda sunt, ponit, ut propter contrariam causam Mezentium* [Aen. VII. 648.] *vocaverit contemtorem deorum: neque enim, ut Aspero videtur, ideo* contemtor divum *dictus est, quod sine respectu deorum in homines impius fuerit; alioqui multo magis hoc de Busiride dixisset, quem, longe crudeliorem,* illaudatum *vocasse* [Ge. III. 4.] *contentus est.*

L. III. c. 6. *Nec frustra in eodem loco* [Aen. VIII. 270.] *dixit: » Et domus Herculei custos Pinaria sacri." quidam enim aram maximam, cum vicino conflagraret incendio, liberatam a Pinariis ferunt; et ideo sacri custodem domum Pinariam dixisse Virgilium. Asper κατὰ διαστολήν, inquit, Potitiorum, qui ab Appio Claudio praemio corrupti sacra servis publicis prodiderunt.*

Dubitari autem possit, utrum ad Asperi, an potius ad Velii Longi fragmenta, referendus sit Statiani Scholiastae locus, in quo memoratur Velius Asper Longus:

ad Achill. II. 41. PHOLOË. *Velius Asper Longus, Pholum tradit adversum Centauros ab Hercule adjutum. Cum Herculem recepisset hospitio, Asper tradit, dum sa-*

 gil-

gittas Herculis stupet, qui tot Centauros occiderat, unam ex illis in pedem cecidisse, vulnere (leg. cujus v.) *sanari non potuit.*

ad utrumcunque vero haec referre malueris, scito, hoc scholion in Servii Commentarios intrusum esse: ad Aen. VIII. 294. Pholumque. *Alii Pholum non abhorrere a vera historia tradunt: Pholus enim, dum miratur sagittas Herculis, quibus tot Centauros interfecerat, una ex illis in pedem ejus decidit, cujus vulnere sanari non potuit.*

quo exemplo videmus verum esse id, quod supra diximus, conspici nunc in Servii Commentariis multa scholia, ex Lutatii labore arcessita (1).

Postremo alia quaedam ex Asperi Commentariis fragmenta memorabimus, servata a Pomponio Sabino; quae partim ex Probo et Servio jam cognita erant, partim, quantum scio, aliunde non nota. Pomponius Sabinus haec scribit:

ad Ge. I. 239. Verteret. *Volveret se. Zonae regiones et plagae coeli sunt, quas Aemilius Asper 5 digitis comparavit. In pollice Zona est septemtrionalis et inhabitabilis propter rigorem. In sequenti digito est Zona australis: nam cum Sol ad eam pervenit, aestivum facit tempus: quae*

(1) Sane probabilius videtur Servianum ex Lutatiano quam Lutatianum e Serviano transfixum esse, quandoquidem in altero citetur auctoris nomen, in altero tantum dicatur *alii tradunt.*

quae temperata est, quoniam inter rigorem et ardorem media est. In digito medio Zona est aequinoctialis, in hanc bis anno declinat Sol, et duplex aequinoctium facit: inhabitabilis esse creditur propter nimios ardores. In quarto digito Zona est hyemalis; cum ad illam Sol transcendit, hyemem facit: et haec est etiam temperata, quia media est inter aequinoctialem adustam et australem frigidam. In minimo digito quinta Zona depingitur, australis: quae adeo depressa est, ut infra horizontem descendat.

ad Aen. I. 88. Eripiunt subito nubes coelumque diemque. *Aemilius Asper in hoc loco ait: Haec membra natura* (leg. naturae) *sic solet jungere.*

ad Aen. VI. 114. Vires ultra sortemque senectae. *Aemilius Asper ait: Duo dixit Virgilius, quod et senex esset et debilis. Helenus, inquit, senectuti fortunam accedentem et oppositam sortem occupavit.*

ad Aen. VI. 134. Bis stygios innare lacus. *Aemilius Asper inquit: Bis, quia Aeneas it et redit: ergo bis navigavit per Stygiam paludem.*

ad Aen. VI. 724. Principio coelum. *Aemilius Asper, cum hunc locum annotaret, sic ait: Membra naturae sic solet jungere Virgilius, ut in tertia* (leg. tria) *dividat: nam et alibi*, [Aen. I. 58.] » *maria ac terras coelumque profundum*", *Ennium secutus*,

I 2 *qui*

qui [p. 208. ed. Hem.] *ait*: „*Qui tuo lumine mare, terram, coelum contines.*"

ad Aen. IX. 678. Armati ferro: *Aemilius Asper ait*: ferro armati i. e. *ferrea habentes corda. Sed melius, armati gladiis: et ideo subjungit* capita.

ad Aen. X. 539. Insignibus albis. *Asper legit* insignibus armis: *ut Sallustius* [Fragm. Hist. L. VI. p. 1006 ed. Cort.] „*Equo atque insignibus armis.*"

ad Aen. X. 564. Amyclis. *Videtur illud Aspri satis probabile: Cum saepe falso nuntiaretur adventus hostium, lege cautum fuit ab Amycleis, ne quis umquam de hoste nunciaret. Contigit hostes venire, qui propter silentium urbem diripuere.*

ad Aen. XI. 358. Veniamque oremus ab ipso. *Scilicet Turno. Per indignationem loquitur, et in contemptum praesentis Latini Turno dat omnem potestatem, ut puta, oremus a Turno veniam, ut cedat et remittat jus proprium regi et patriae. Ideo bene Asper distinguit* incedat. (leg. *in* cedat.)

ad Aen. XI. 696. Tum validam. *Apronianus legit:* valida securi congeminat vulnus. *Aemilius legit:* validam securim congeminat. *Si est, distingue in* congeminat: *et postea sit*, vulnus rigat ora cerebro.

ad Aen. XI. 801. Nec auras. Auras *genitivi casus est; sic legit Asper. Apud antiquos Graecus genitivus et in usu erat, ut:* Maja, Majas: *remansit in consuetudine* haec familia,

lia, hujus familias: *ut* paterfamilias. *Varro* [. .] paterfamiliai *dixit*. *Sisenna* [ap. Varronem de L. L. VII. p. 98.] *in multitudine*; Patresfamiliarum.

ad Aen. XII. 845. Dirae. *Filiae sunt Noctis et Erebi; et sunt, Tisiphone, Alecto et tertia Megera; quae potestatem habet et apud superos, et apud inferos: in aëre et terra illae duae Furiae non possunt: sed Asper ait: Megeram tantum vim habere apud inferos.*

Haec fragmenta, quae ex Probi, Servii, Philargyrii, Macrobii et Pomponii Sabini laboribus colligere operae pretium duximus, primum probant Asperum scripsisse continuum in Virgilii carmina Commentarium, deinde suadent nobis suspicari literas, ipso amisso, insignem fecisse jacturam.

Aliter tamen sensit Heynius; cui, quod sane mirum est, haec fragmenta non persuaserunt ut crederet Asperum scripsisse continuum Commentarium; imo, suspicatus est Asperum *posuisse grammatica et poëtica observata vel praecepta, subjectis pro exemplo Virgilianis verbis vel phrasibus*, adeoque opinatur *vix magnum fieri posse desiderium amissi operis*. In eam vero opinionem summus ille vir adduci se passus est a Benedictinis Auctoribus, qui in Tom. III. Tractatus de Diplomatibus p. 152. publicantes Asperi fragmentum a se repertum in palimpsesto Gallicano, non dubitarunt tale judicium ferre. Apud ipsos haec leguntur: » *Un fragment du Virgile d'Asper, que nous avons découvert sur plusieurs feuilles gâtées, coupées et renver-*

sés

sées en divers sens, sur lesquelles on a écrit les Hommes illustres de S. Jerôme et de Gennade, et qui font partie du célèbre Ms. Merovingien 1278 de l'abbaie de S. Germain des Prés. Au haut de la page 114 on lit Aspri, et vis-à-vis de la page 119 Vergilius. Le reste du fragment déchifré se trouve à la première colonne de la page 128 en commençant par la dernière ligne. Pour abréger, Asper a écrit en sigles les vers de Virgile. Voici le fragment:

LENTAEQUE. g. p. et g. c. f. s. Et ut: Itur in antiquam silvam st. a. f. p. p. s. i. s. i. f. t. e. e. f. r. s. a. i. m. o. ferro sonat alta bip. f. e. a. a. s. r. n. c. c. o. s. c. p. p. c. v. g. (1). Hoc inter CXHMATA AOΓOU suo loco referemus item ad notandum σχῆμα quod alkmanicon vocatur, ubi proposito singulari adsumitur non suo loco plurales (sic).

Porro in notis huic disputationi subjectis sic de Aspero judicant Maurini: » *Celui-ci n'a pas fait un commentaire suivi sur Virgile. Mais à l'occasion des principes qu'il pose, il fait passer en re-*

(1) Ad intelligentiam horum siglorum sciendum est hos significari Virgilii versus Ge. II. 12—13. « *lentaeque genistae Populus et glauca canentia fronde salicta.*" Aen. VI. 179—182. « *Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum, Procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex, Fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos.*" Aen. XI. 135—138. *Ferro sonat alta bipenni Fraxinus: evertunt actas ad sidera (pinus); Robora nec cuneis et olentem scindere cedrum, Nec plaustris cessant vectare gementibus (ornos).*"

revue des vers des Bucoliques et des Georgiques et de l'Eneide."

Hanc vero existimationem, mea quidem opinione, illa fragmenta, quae ex Servio, Philargyrio et reliquis scriptoribus collegimus, evincere potuerant non valde probabilem esse: ipsam autem omnino falsam esse nunc probant scholia quae ex Asperi Commentariis a Majo publicata sunt, servata a Scholiasta Veronensi. Sunt ista hujusmodi: ad Ecl. VII. 33. SINUM LACTIS. ASPER. *Sinum est vas vinarium, ut Cicero* [...] *significat; non, ut quidam, lactarium. Plautus in Curculione* [I. 1. 75.] „*Cedo, puere, sinum.*" *Et respondetur*; „*Quasi tu lagenam dicas in qua Chium vinum solet esse.*" *Sinum ergo vas patulum* ... *e sinus vocitatum. Hic autem sinum lactis vas quodcunque lacte onustum. Varro de vita P. R. L. I.* [in Fragm. p. 56.] „*Lepestam vas dicebant ubi erat vinum in mensa positum, aut galeolam aut sinum. Tria enim haec similia sunt, pro quibus nunc acrataforon ponitur.*" *Atta in Megarensibus*: „*Nempe* . . . *sinus apud mensam, ubi sermo solet suboriri seditiosus*" (1).

ad

(1) Hinc sua habet Servius: *Sinus*, inquit, *genus est vasis, Varro de Vita Populi Romani*, „*Aut lepestam, aut galeolam aut sinum dicebant.*" *Tria enim, pro quibus nunc acrataforon dicitur. Atta in Megalensibus*: „*Nempe ad mensam, ubi sermo de sinu solet suboriri.*"

U-

ad Aen. II. 305. RAPIDUS MONTANO FLUMINE TORRENS. ASPER. *Montano, magno; aut quod monte decurrat. Rapidus et torrens dicitur, qui aestate arescens, hieme attollitur, quem Graeci χειμάῤῥουν vocant. Sed nos ei nomen ab aestate posuimus, Graeci ex hieme* (1).

ad Aen. III. 691. COMES INFELICIS ULIXI. CORNUTUS. *Num indecore hoc dicitur, quum sit Ulixes hostis Aeneae?* ASPER. *Non indecore, sed pathetice. . . . magnifice, quoniam eadem erroribus et periculis patiebatur Aeneas.*

ad Aen. III. 701. APPARET CAMERINA PROCUL. ASPER. *Camerina Siciliae oppidum . . . r. . . teret pestem . . . ensibus (in ca) . . . e exhaurire eam instituerunt: quae cum attingeretur, tetrum odorem reddebat. Tum consilio capto ad Oraculum Apollinis abierunt. Ibi responsum est:* Μὴ κίνει Καμερίναν· ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων (2).

ad

Ubi post *enim* exciderunt *haec similia sunt.* Quae verba nunc docemur omnino referenda esse ad Varronis locum, quemadmodum hunc Priscianus p. 714 jam citaverat.

(1) Servius: *Torrens. Fluvius, qui aestate siccatur; unde et nomen accepit, cui Graeci per contrarium dedere vocabulum: nam χειμάῤῥουν dixerunt, a tempore quo crescit.*

(2) Servius: *Camerina. Palus est juxta ejusdem nominis oppidum: de qua, quodam tempore cum siccata pestilentiam creasset, consultus Apollo, an eam penitus exhaurire deberent, respondit:* Μὴ κίνει K. α. γ. α. Hoc Oraculi responsum in proverbium abiisse docet Steph. Byzant.

ad Aen. IV. 146. PICTIQUE AGATHYRSI. ASPER. *Pictos stigmosos*, ut [Ge. II. 115.] »*Pictosque Gelonos.*" *In prothesi Laodamiae* (1) *ac Papyrin* . . . . »*haec terga habeant stigmata.*"

ad Aen. IV. 178. ILLAM TERRA PARENS IRA INRITATA. CORNUTUS . . . (*quid*) . . . *e posset.* ASPER. *Ait* . . . *in Deos saevire. Famam creavit, per quam quia introducuntur invicem certantes et adulter* . . . *et belligerasse haec nobis innotescerent. Famam Virgilius singulariter aut Sallustius* . . . *plurali numero, ut in primo historiarum* (2): «*At per omnem provinciam magnae atrocesque famae, quum ex suo quisque terrore quinquaginta aut amplius hostium milia, novas immanes f.* . . *oceani accitos corporibus hominum vesci contenderent.*"

ad Aen. VII. 341. EXIN. ASPER. *Statim. Haec sine ulla lectionis intercapedine pronuntianda sunt; quia ἰοφοπρόσωπον induxit hoc ex nocendi festinatione, ideoque illam perfecto officio induxit loquentem* [Aen. VII. 545.] *Sic et primo* [vs. 689.] *Cupido matri non respondit. Et gorgoneis venenis infectam abusive, non quo-*

nia

(1) Peerlkampius opinatur hic latere nomen *Protesilaodamiae*, quae erat fabula Naevii, v. Voss. ad Fragm. Tragic. p. 72.

(2) Sallustii locus, antehac ignotus, nunc demum e Scholiis Veronensibus innotuit. v. supra p. 108.

niam Gorgonis angues habeat, sed quoniam et Gorgos serpentibus armata fuisset.

ad Aen. VII. 485. TYRRHUSQUE PATER. ASPER. *Nomen Tyrrhi ab Historicis traxit. Tyrrhum enim aiunt fuisse pastorem, apud quem Lavinia delituit tum quum Ascanium timens fugit in silvas. Hic Latini vilicus traditur fuisse.*

ad Aen. VII. 683. GELIDUMQUE ANIENEM. ASPER. *Anio . . . et . . . ad tertium miliarium.*

ad Aen. VIII. 106. TEPIDUSQUE CRUOR. ASPER. *Cruor proprie dicitur. Nam quamdiu in corpore est, sanguis est; quum fluit,* cruor; *quum exiit,* tabus *est* (1).

ad Aen. IX. 360. REMULO. ASPER. *De quaestionibus vel maxima. Remulus inquit, dat; nec addit nomen accipientis . . . . (quod* ῥῆμα. *Illud nobis proficit, quod Vergilius quando dicit alicui datum, nec dicit nomen . . . , videtur ostendere cognominis fuisse* (2). Haterianus *hic (Tiburti) Remulo se. . . .*

ad Aen. IX. 363. POST MORTEM. ASPER. *Et hoc obscurum. Sed hoc modo fiet lucidum. Primum Rutulos accipere debemus*

Rhamn.

(1) Aliter Servius; cui tamen haec fortasse dederunt ansam disputandi.

(2) Servius: « *Nam quotiens aperte non ponitur nomen filii vel nepotis, cognominem eum esse intelligimus avo vel patri, quorum nomen aperte positum invenimus.*»

Rhamn. . . . ex eodem schemate erit dictum, si ita vis intelligere [Ge. I. 38.] « Quamvis Elisios miretur Graecia saltus" . . . . . λάρδανος ἀνὴρ dixit Homerus [Iliad. II. 701. XVI. 807.] Certe forsitan et illud sic dictum [Aen. IV. 661.] « Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus." Dardanus enim pro Dardanio, et sic (leg. ut sit) Aeneas; ubi genus positum pro specie. Erit ergo talis sensus: Pon . . . Remuli nepotis quem occiderit Rhamnes, potiti sunt Rutuli. Hic Rutulus Rhamnes est.

ad Aen. IX. 373. Sublustri noctis in umbra. ASPER. Utrum non (nubila) inlustrique? Nam sub pro parum ponitur. Lucilius: « Facti subpudet (tu di...") inlustri positum. Vergilius [Aen. I. 454.] « Namque sub ingenti lustrat dum singula templo." Probus hic posuit aptissimum exemplum ex Horatio [Carm. III. 27.] « Nocte sublustri nihil astra praeter Vidit et undas." (1).

ad Aen. IX. 386. Jamque imprudens. IN ASP. Id est imprudens et ignorans se evasisse. An quod supra [vs. 384.] alte . . . « Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda impediunt." Ergo imprudens morari Eurya-

(1) Servius: « Sublustris nox est, habens aliquid lucis. Horatius III. Od. 27. « Nocte sublustri nihil astra praeter Vidit et undas."

ryalum hoc pot. . . . me intervidat sensus calor.

ad Aen. IX. 402. OCIUS ADDUCTO. ASPER. *Adnotandum . . . quam metro . . . ntes . . . facit. Ergo adnotemus adfectatam structuram qua ad lo . . . ora . . . dispar orationis adquiri*, *ut* [Aen. II. 369.] « *Luctus ubique pavor et plurima mortis imago.*" *Et* [Aen. VI. 254.] « *Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.*"

ad Aen. X. 6. QUIA NAM. ASPER. ἀρχαϊσμός. *Jam in quinto* [vs. 13.] *notatur, ubi dixit:* « *Heu quia nam tanti cinxerunt aethera nimbi*". . .

ad Aen. X. 559. ALITIBUS. ASPER. *Hoc quidem apud Homerum* [Iliad. XXI. 120.] *de eo, qui in flumine trahebatur, recte positum est; at de eo, cujus sit in campo corpus, (si flumine) . . . dictum ratione. Sic in quibusdam dum nimio studio Vergilius ad Homerum trahitur, neque temporis neque loci habet curam.*

ad Aen. XII. 460. URENTEMQUE GYAS. ASPER. . . . *quod . . . honore . . . sacris (sedibus) . . . insigne . . . ndit.*

Post horum igitur tam insignium fragmentorum publicationem, non dubito quin quisque facile cum Majo facturus sit, qui in Praef. ubi disputat de inventi a se thesauri virtutibus, ita scribit §. VIII. » *Profecto et illa nota nunc eluitur, quam Aspro parum cognito celeberrimus Heynius aspersit, cum*

cum dixit, vix magnum antiqui Aspri desiderium esse ostentandum. Rursum Heynius falso existimavit, commentarios Aspri nihil aliud paene fuisse, quam posita ab eo grammatica et poëtica observata, vel praecepta, subjectis pro exemplo Virgilianis verbis vel phrasibus. *Quo in errore Heynius duces Maurinos (Tractat. Diplom. T. III. p. 153.) sequutus est. Nunc autem Asper et continuum Virgilii interpretem praecipuaque laude cluentem se praebet, et omni genere eruditionis abundantissimum.*"

Haec autem Scholia si cum Servianis conferantur, manifesto comprobatur, Servium saepius ex Asperi Commentariis disputandi materiam sumsisse, quin et interdum annotationes fere ad verbum descripsisse. Sed omnino dolendum est, quod sint ista passim adeo lacunosa, ut vix intelligi possint. Asper bis citat Cornutum, ad Aen. III. 691. et IV. 178. unde licet conjicere, ipsum hoc fuisse aetate juniorem: et ad priorem quidem locum Asper quasi respondet dubitationi Cornuti, unde videri possit suas annotationes Cornuti Commentario subjunxisse. Alibi, ad Aen. IX. 360. citat Haterianum: igitur et hoc fuerit recentior.

Ceterum, ubi de antiquis Sallustii interpretibus disputabam, dixi, posse dubitari, an plures olim fuerint Aspri. Nunc video Benedictinos Auctores l. c. p. 153. idem suspicatos esse. Eamque suspicionem suo invento comprobari statuit Majus, ubi in Praef. §. VI. scribit: »*Quin et ego duos Aspros, seniorem scilicet et juniorem, in Veronensi palimpsesto mihi occurrisse suspicabar, cujus in mul-*

multis quidem locis legebam ASP. *vel* ASPER; *at Aen. IX. 386.* ·IN· ASP. *Hac autem nota mihi quidem significari videbatur* Junius *aut* junior Asper *quandoquidem littera* V *latere potest in* N. *Quodsi* interpres Asper *aut* interpretatio Aspri *significatur; cur nam ibi demum ea nota* ·IN· *ponitur, quae in superioribus locis semper omittitur.*" Quae Maji disputatio si vera habeatur, statuendum erit duos fuisse Aspros qui in Virgilium commentati sint.

Attamen si haec nostra scriptio, quod vix sperare possumus, sub Maji oculos ventura sit, doctissimum Italum rogatum volumus, quare opinetur hoc siglum ·IN· ASP. non posse significare *interpretatio Aspri*, quum tamen ad Aen. XII. 470. ubi extat ·IN· CORN. non dubitet explicandum esse *interpretatio Cornuti*? (1)

§. 10.

Alexander.

Alexandrum ubi inter Virgilii interpretes referendum esse censemus, unice sequimur auctoritatem Pomponii Sabini, qui ad Ecl. II. 32. diserte scribit hunc *exposuisse Virgilium.* Nam, quamquam Alexandri nomen memorabatur quidem in editis Probi Scholiis:

ad Ecl. II. 24. AMPHION DIRCAEUS. *Amphionem et Zethum Euripides, et apud nos Pacu-*

(1) Vide supra p. 123.

cuvius, Jovis ex Antiopa, Nyctei filia, ait ήatos, cantando coluisse armenta vocare. Testantur id Thebae, quas Apollonius in Argonauticis a fratribus ante dictis muro esse clausas ait. Sed Zethus humeris saxa contulit operi, Amphion cantu vocavit: siquidem sensus animalium facilius quam saxa vincuntur. Pamnyasis (1) *et Alexander lyram a Mercurio muneri datam dicit, quod primus Cynaram liberaverit. Dircaeum autem dixit pro Thebano, a fonte Dirce.*

non tamen ideo licebat suspicari, hunc Virgilii carmina interpretatum esse: imo, non sine caussa potuisset quisquam suspicari, Alexandrum, a Probo una memoratum cum Graeco mythologiarum scriptore, Panyasi, quidvis aliud potius quam Scholia in Virgilium scripsisse.

Nec meliora poteramus discere e Servio, quippe qui nullam omnino hujus interpretis mentionem fecerit. Memoratur quidem Alexandri nomen semel in Servii Commentariis, quales eos nunc habemus, in fine hujus scholii:

ad Aen. VIII. 330. IMMANI CORPORE TYBRIS. *Hic Tuscorum rex fuit, qui juxta hunc fluvium*

(1) Scribendum opinor *Panyasis*. Vix enim dubium est quin significetur Mythologiarum scriptor Πανύασις, cujus auctoritate et alii passim usi sunt et Apollodorus in Bibliotheca L. I. c. 5. L. III. c. 10. et 14. de quo vide Heynium ad Apollod. T. II. p. 360.

vium pugnans occidit, et ei nomen imposuit: vel, ut quidam volunt, a Glauco, Minois regis filio, occisus est. Alii volunt istum ipsum regem latrocinatum esse circa hujus fluminis ripas: — Alii Tyberim, Jani et Camesenae filium, ibi in bello periisse tradunt: — Alii, ut supra [ad Aen. III. 500.] *diximus, volunt eos, qui de Sicilia venerunt, Tybrin dixisse ad similitudinem fossae Syracusanae: — Sed hic Alexandrum sequitur, qui dicit Tyberinum, Capeti filium, venantem, in hunc fluvium cecidisse et fluvio nomen dedisse.*

Sed, si hoc scholion paulo accuratius inspicias, facile, ut opinor, fateberis, posteriorem hujus partem non scribi potuisse a Servio, verum ab alius manu venisse, qui docere voluerit, Servium, ubi dixerat *hic Tuscorum rex fuit, qui juxta hunc fluvium pugnans cecidit, et ei nomen imposuit*, Alexandri narrationem secutum esse.

Interim satis mirum est, Servium, qui alios plerosque antiquiores interpretes, e quorum scriptis ipse profecit, memorare solet, nullam omnino Alexandri mentionem fecisse. Si enim Pomponio Sabino fides habenda sit Alexander non solum Servio fuit antiquior, sed etiam, ut diserte scribit ad Aen. VI. 100. *Servius ab Alexandro cepit* istius versus interpretationem.

Commentarii autem, quos Alexander in Virgilium scripsit, nunc penitus interierunt, sed videntur superstites fuisse aetate Pomponii Sabini, qui inde ali-

aliquot servavit fragmenta. Has reliquias colligere, et cum Servii Commentariis comparare, operae pretium erit: quo facto quippe apparebit, et, quales istae Alexandri interpretationes fuerint, et, quemadmodum hae, si minus a Servio descriptae, huic tamen subinde disputationis ansam praebuerint. Sic igitur scribit Pomponius Sabinus:

ad Ecl. II. 32. Pan primus calamos. *Fistula antiquo tempore fuit septem ordinibus calamorum compacta, ut est in marmoreis scyphis Romae. Septem fuere, propter inaequalitatem varietatemque vocum. Alexander, qui Virgilium exponit, ait, ab hac similitudine Apollinem fecisse citharae septem chordas.*

ad Aen. V. 864. Sirenum. *Sirenes tres, filiae fuerunt Acheloi amnis et Calliopes; harum maxima Parthenio appellata: unde Parthenope urbs, quae et Neapolis dicitur: habitasse scribit Alexander Leucasiam insulam, quae est ante Lucaniam.*

ad Aen. VI. 14. Daedalus. *Daedalus filius Mitionis, ut Diodorus* [IV. 76.] *ait; ut Alexander, filius Eupalmi* (1).

ad Aen. VI. 26. Minotaurus. *Alexander et Diodorus* [IV. 61.] *hoc plus addunt, ex tali caede orta peste, Athenienses misisse ad oraculum Delphicum, et respon-*

(1) Scribe *Eupalami*, ut est apud Apollod. L. III. c. 15. et Diodor. L. IV. p. 296. Quin et Serv. ad h. l. *Quidam hunc Daedalum* Eupalami *filium, arte fabrili nobilem* tal.

sponsum, uti pro piaculo annis 7 pueros 7 et totidem puellas ad cibum Minotauri mitterent.

ad Aen. VI. 100. OBSCURIS VERA INVOLVENS. *Quae vera futura erant. Probus ait:* vera, *lucida. Alexander, a quo cepit Sergius, pro:* veris obscura miscens, *ut:* [Aen. III. 61.] » *Date classibus austros*" (1).

ad Aen. VI. 107. DICITUR. *Intelligitur* esse, *ut scribit Alexander.*

ad Aen. VI. 111. RECEPI. *Alexander ait: Acyrologia est:* recipi *enim dicitur, quod a periculo servatur, ut:* [Aen. I. 178.] » *Frugesque receptas.*"

ad Aen. VI. 113. FEREBAT. *Imperfecto usus est, quia ostendit diu tulisse: inquit Alexander* (2).

ad Aen. VI. 122. QUID THESEA MAGNUM. *Alexander legit:* Magnum quid memorem Alciden; *quia alibi* [Aen. V. 414.] *dicit:* » *Is magnum Alciden contra stetit*" (3).

ad

(1) Quae apud Servium ad h. l. leguntur, revera conspirant cum iis quae Pomponius Sabinus scribit Servium ab Alexandro cepisse. Servii verba haec sunt: *Vera et obscura confundens: est autem Hypallage, veris obscura inserens.*

(2) Servius ad h. l. *Ut ante morte praeventus sit, quam ferre desierit. Et mire imperfecto usus est tempore, ac si diceret: adhuc, si viveret, ferret.*

(3) Servius: MAGNUM QUID MEMOREM ALCIDEN. *Melius sic distinguitur; licet quidam legant:* Quid Thesea magnum: *ut epitheton ei dent, qui*

ad Aen. VI. 199. PASCENTES ILLAE VOLANDO. *Apud antiquos in auguriis cum aves non gustarent cibum, malum portendebant. Alexander dicit:* pascentes, *volantes* (1), *ut* (2) » *Aëra pascunt. Avernus lacus graviter olet.*

ad Aen. VI. 265. LOCA TACENTIA. *Aeternum apud inferos silentium. Alexander dicit, silentia loca inferorum, non quod illic strepitus et gemitus non sit, sed tenebrosa* (3): *translatio est a tenebris noctur.*

qui per se non est magnus: nam Herculem etiam sine epitheto magnum intelligimus; sed melius est magnum *dare Herculi, quam sacrilego.*

(1) Servius: *Hinc jam optimum significatur augurium, quod pascebant: nam Romani moris fuit, et in comitiis agendis et in bellis gerendis, pullaria captare auguria — Multi* pascentes *distinguunt. Alii dicunt* pascentes volando *et referunt ad naturam columbarum, quae exsilientes pascere consuerunt. Alii* volando, *ambulando, dicunt.*

(2) Cujusnam poëtae haec duo verba sint, reperire non potui. Fieri potest, ut Pomp. Sab. dum versum ex Ecl. I. 60. *Ante leves ergo pascentur in aëra cervi* citare vellet, memoriâ lapsus, scripserit *aëra pascunt.* Ibi et Servius interpretatur: « avium more ante *cervi volabunt.* » Reliqua verba *Avernus lacus graviter olet* pertinent ad explicandum ea quae apud Virgil. vs. 203. sequuntur *ad fauces graveolentis Averni,* adeoque ista verba ab hoc scholio separanda esse opinor, quibus quippe aliud scholion contineatur.

(3) Servius: LOCA NOCTE SILENTIA. *Aut hoc est, quod supra* [vs. 264.] *ait:* « *Umbraeque silentes.*" *aut vult ostendere, esse partem mundi, in qua perpetuae sint tenebrae.*

turnis, quando silent omnia, quia id tempus quietis.

Haec sunt fragmenta, quotquot de Alexandri labore supersunt: quae, ni fallor, ostendunt, bonum omnino librum in hujus Commentariorum interitu, periisse; eaque, si cum Servii annotationibus conferuntur, facile mihi persuadent ut credam, Servium, etsi in suis ad Virgilium scholiis nusquam Alexandri Commentarios memoret, his tamen subinde usum fuisse.

De Alexandri persona, quod dicam, nihil habeo. Burmannus, ut supra vidimus p. 123. suspicabatur hunc eundem esse atque Alexandrum grammaticum, memoratum a Donato; eamque suspicionem Heynius secutus, ita scripsit: *Male de Alexandro Polyhistore cogitant viri docti. Probabilius est, fuisse eum, quem Maro puerum amasse et grammaticum dimisisse narratur in Donati Vita Virg. §. 20.* [« *Verum inter omnes maxime dilexit Cebetem et Alexandrum, quem secunda Bucolicorum Ecloga Alexin appellat: donatum sibi ab Asinio Pollione. Utrumque non ineruditum dimisit: Alexandrum grammaticum, Cebetem vero et poëtam.*"] (1)

§.

(1) Conveniunt fere quae Servius annotavit ad Ecl. II. 15 *Tres dicitur amasse Virgilius: Alexandrum, quem donavit ei Pollio: et Cebetem puerum, cum Leria puella, quos a Maecenate dicitur accepisse.* Quo loco pro *Leria puella* legendum esse *Aleria Plotia*, quemadmodum haec a Donato §. 21. appelletur, dudum docuit Vossius, monente Burm. In Donato autem Heynius scribit *Plotia Hieria.* Apud Pompon. Sabin. ad Ecl. II. 14. perperam vocatur *Plitia Hieria.*

§. II.

Apronianus.

Turcius Rufius Apronianus Asterius, cujus nomen in celebratissimo Virgilii Codice Mediceo, sub Bucolicis adscriptum reperitur, a Viris Doctis censetur fuisse Virgilii operum emendator. Dubitant illi vero an ejus labor ulterius quam Bucolicorum opus processerit: alioqui enim, sic inquiunt, sub finem Georgicorum et Aeneidis non minus subscriptio illa apposita esse debuerat (1). Missis aliorum argumentis, mea quidem sententia, rem conficere videtur Pomponius Sabinus, qui, ut ad Bucolica, ita etiam ad Georgica et ad Aeneidem passim Aproniani emendationes laudat.

Alia quaestio est, num Apronianus inter Commentatores Virgilii referri debeat. Ad quam, nisi haberemus aliquot ipsius lucubrationum reliquias, servatas a Pomponio Sabino, haud ita facile esset respondere, quandoquidem nusquam nominatim Aproniani Commentarius memoretur. Atqui enim Pomponius Sabinus, praeter lectionis varietatem, hic illic etymologias et interpretationes Aproniani laudat.

Heynius, qui (p. 404.) fatetur se non reperire unde eas hauserit Pomponius, ait (p. 530.) se non assequi quo jure Apronianus inter Virgilii Commentatores referatur.

Equidem vero, pace summi viri dicam, propter has

(1) Conf. Heynius in Codd. MSS. Elench. §. IV. p. 403.

has ipsas interpretationes, quas Pomponius Sabinus Aproniani nomine laudat, nequaquam dubito ipsum inter Virgilii interpretes collocare. Nec, unde istas sumserit Pomponius, longe quaerendum opinor. Res enim, me quidem judice, ita in promtu est, ut omnino non intelligam quomodo fieri potuerit ut Heynius hanc non intellexerit. Usurpavit enim Pomponius Sabinus ipsum illum Aproniani manu correctum Codicem, quem adeo bis nominatim memorat ad Ecl. IX. 50. et 61. Jam vero quum ille Aproniani Codex idem sit qui nunc, quod Florentiae in Mediceo-Laurentiana Bibliotheca servetur, Mediceus vocatur; quumque hic, ut ii testantur, qui ipsum viderunt, in margine exhibeat Scholia, eâdem manu, quâ correctiones in textu factae sunt, exarata: quid dubii remanet?

Extitisse autem ad marginem Medicei Codicis, id est illius qui olim Aproniani Codex vocabatur, glossematia quaedam, quae probabiliter ipsius Aproniani manu scripta fuerint, diserte docet Heinsius in Dissert. de Codice Mediceo Virgilii (quae prostat in Burmanni edit. Virgil. T. I. p. XXXVI—XLI.) his verbis: « *Margini glossematia nonnumquam ac interpretamenta, sed rara, adlinebantur, minuto quidem ac diverso scriptionis charactere, qualem nos* cursorium *sive* cursivum *appellamus, ipsa tamen Maroniani contextus scriptura vix recentiora, ac supparem fere aetatem prodentia, ut haec quoque ab Asteriana manu proficisci vix dubitemus.*"

At-

Atque haec quidem glossematia esse eadem illa, quae a Pomponio Sabino memorentur, omnino suadet illud, tonsurâ libri laceratum, glossemation, quod conspicitur in margine Exempli scripturae istius Codicis ab Heinsio publicati:

SITONTRACIAEREGIOES
NEPhILLIDISPATREDIC
DEMOPhONTAADAMA

hoc ipsum enim etiam inter Aproniani annotationes a Pomponio Sabino memoratur; quo opitulante hoc truncatum scholion sic suppleri posse video:

SITHON THRACIAE REGIO EST *a Sitho-*
NE PHYLLIDIS PATRE DIC*ta quae*
DEMOPHOONTA ADAMA*vit*.

Minoris, quam par fuerat, haec glossemata aestimavit Pet. Franc. Fogginius, qui Codicem Mediceum typis describi curans, nullam omnino horum rationem habuit (1); causam praeferens, quod cum parvi momenti, tum pleraque mutila essent (2). Vel-

(1) Nec Scholia prostant in scripturae speciminibus, quae dederunt Mabillon. de Re Diplom. p. 352. et Benedictini Monachi in *Nouveau Traité Diplom.* T. III. p. 51. tab. XXXV. II. IV. Num Abbas Sestinius horum Scholiorum mentionem faciat, nescio dicere, quum hujus Dissertationem nancisci non potuerim. Prodiit ista hoc titulo: *Dissertazione del Codice Aproniano, dall' Abbate Sestini. Firenze* 1722. 4°.

(2) Titulus libri est: *P. Vergilii Maronis Codex antiquissimus a Rufio Turcio Aproniano V. C. distinctus et emendatus qui nunc Florentiae*

Vellem tamen addidisset Fogginius, nec timuisset, ne haec frustra libri nitorem minuissent. Vix dubito quin, si non omnia, pleraque saltem, quae in Codice mutila essent Scholia, eadem ratione ex Pomponio Sabino suppleri potuissent.

Ut vero plenissime persuasum habeas, Apronianum non solum emendatoris sed etiam interpretis personam egisse, legito fragmenta, quae, quotquot a Pomponio Sabino servata sunt, operae pretium duxi colligere. Sunt ista hujuscemodi:

ad Ecl. I. 6. DEUS. *Augustus, quem appellat Deum a beneficio accepto: vel Roma, ut ait Apronianus.*

ad Ecl. II. 15. NONNE MENALCAM. *Per Menalcam intelligit Cebetem puerum, qui, quamquam teste Aproniano Aegyptius esset, non carebat gratia.*

ad

tiae in Bibliotheca Mediceo-Laurentiana adservatur, bono publico typis descriptus anno CIↃDCCXLI. Florentiae 1741. 4°. In Praefat. p. XIII Fogginius sic scribit de istis Glossis: « *Eclogae multis tum interlinearibus, ut vocant, tum marginalibus notis inlustratae sunt, quas deinde ceteris libris bis tantummodo, aut ter offendas, sed hasce notas, licet a manu non mediocris antiquitatis factas, apponendas fore non duxi nequum, quod cum parvi momenti sint, frustra libri nitorem minuissent, eoque magis quod pleraeque sint mutilae. Scilicet Codex quadrata quidem, sed multo ampliori, qua nunc est forma, olim fuisse, ambigi nequit tum harum amputatione marginalium notarum, tum etiam ex titulis librorum in plurimis paginis, cum liber tonderetur, aut ablatis omnino, aut detruncatis.*"

ad Ecl. III. 18. LYCISCA. *Nomen est canis, vel fictum a poëta ex lyco, id est lupo, vel ut Apronianus ait, quasi* Lacessa, *ut sit ex Laconia, quoniam ex ea regione optimi veniunt canes.*

ad Ecl. III. 60. A JOVE PRINCIPIUM. *Vult Apronianus, ut per Jovem et Apollinem intelligamus Octavium Caesarem, qui Jovi et Apollini templa fecerit.*

ad Ecl. VII. 6. DEFENDO. *Apronianus ait:* Defendere *hic est vindicare. Nam frigus arbusculas novellas laedit.*

ad Ecl. VII. 17. MEA SERIA. Necessaria, *inquit Apronianus.*

ad Ecl. VII. 21. LIBETRIDES. *Ut meminit Varro* [de L. L. VI. p. 69.] *dicuntur a terrestri loco Musae, ut Olympiades, Pimpliades, Thespiades, Heliconides. Apronianus ait:* Libetris *fons est Heliconis, sacer Musis.*

ad Ecl. VII. 33. SINUM LACTIS. *Sinus, ut ait Apronianus, vas est, cujus diminutivum sitella.*

ad Ecl. VII. 53. CASTANEAE HIRSUTAE. *Id est spinosae, ut ait Apronianus, ut alibi* [Ge. III. 444.] *» Hirsuti secuerunt corpora vepres."*

ad Ecl. VIII. 7. ILLYRICI AEQUORIS. *Illyrii populi a Chaonibus et Thesprotis incipientes, usque ad Histrum et Danubium. Latitudo est a Macedoniae et Thraciae montibus, usque ad Paeonas in Jonium mare. Nomen habent ab Illyreo Polyphemi filio,*

lio, qui genitus fuit e Cyclope et Galatea, ut ait Apronianus.

ad Ecl. IX. 50. NEPOTES. *In Codice Aproniani hoc scriptum erat* Nepotes hi.

ad Ecl. IX. 61. STRINGUNT. *In Codice Aproniani sic scriptum erat.*

ad Ecl. X. 66. SITHONIASQUE NIVES. *Sithonis, Thraciae regio est, a Sithone Phyllidis patre dicta, quae Demophoonta adamavit: in qua regione natus fuit Orpheus, ut ait Apronianus.*

ad Ecl. X. 67. LIBER. *Liber vocatur interior cortex arboris, ut inquit Apronianus.*

ad Ge. II. 246. AMAROR. *Imitatio es Lucretii, qui* [IV. 223.] *ait: » Denique in os salsi venit humor saepe saporis, Cum mare versamur propter, dilutaque contra Cum tuimur miseri absynthia tangit amaror." Apronianus legit* sensu amaro.

ad Ge. II. 295. NEPOTES. *Vincit longam posteritatem nepotum: sic intelligendum putat Apronianus.*

ad Ge. III. 39. ROTAM. *Apronianus vult intelligi propter Ixionem.*

ad Aen. I. 636. LAETITIAMQUE DEI. *Dii. Ruffus Apronianus* Dei *legit hac ratione, quod non tantum interdiu, sed noctu bibitur: et sic intelligit munera et laetitiam Bacchi.*

ad Aen. II. 51. FERI. *Id est equi: nam L. VII.* [vs. 489.] *ferum appellat* cervum. *Apronianus legit* Ferit, *pro percussit curvam alvum in compagibus.*

ni-

ad Aen. II. 56. TROJAQUE NUNC STARES, PRIAMIQUE ARX ALTA MANERES. Staret *et* maneret, *legit Apronianus.*

ad Aen. II. 62. CERTE. *Adverbium est, sic legit Apronianus.*

ad Aen. II. 76. ARGOLICA DE GENTE. *Hoc non ponit Apronianus, et non putat esse Vergilii.*

ad Aen. II. 691. OMINA FIRMA. *Probus ait: Atque haec omina firma, nisi enim petiisset omina, numquam confirmari optasset. Et Apronianus* auxilium *legit, ut sit, Da deinde auxilium pater, et firma omina.*

ad Aen. III. 336. PERGAMAQUE. *Sed Apronianus* Pergamiam *legit. Utrumque mihi placet.*

ad Aen. IV. 9. ME INSOMNIA TERRET. *Id est Vigilia. Haec insomnia, hujus insomniae, dicitur vigilia attonita, quae animum suspendit cogitationibus phantasmaticis: hoc apud Ennium* [p. 331.] *et Pacuvium* [ap. Charis. p. 78.] *invenies. Plinius* [. .] *summotum ab usu scribit. Sed hoc loco * g. legendum putat Apronianus, id est phantasmata quae perturbant quietem* (1).

ad Aen. IV. 27. VIOLEM. *Apronianus ait legendum esse* violo *et* resolvo: *et sic scriptum fuisse a Vergilio, pro* violem *et* resolvam.

ad Aen. IV. 273. NEC SUPER. *Secundum Apronianum.*

ad Aen. IV. 298. FAMA FURENTI. *Apronianus ait* furentis: *sicque intelligit, eadem fama furentis Didonis detulit armari classem.*

ad

(1) Pro * *g* substituendum suspicor *n. g.* id est *neutrum* *genus*. In Aproniani nempe codice legitur *insomnia terrent.*

ad Aen. IV. 314. TUAM TE. Te *legit Apronianus, ut sit, per dextram, id est, te: vel deëst* de, *melius: ut sit, quando nihil mihi reliqui praeter te, quia perdidi omnem pudorem.*

ad Aen. IV. 436. EXTREMAM. *Extremam hanc veniam oro ut impetres ab Aenea, id est beneficium: id est, ut protrahat discessum suum, donec discam dolere: si concesserit, numquam ero immemor talis beneficii. Sic legit Apronianus. Tucca et Varus, referente Sergio*, Dederis *legunt: cum dederis veniam, cumulatam morte remittam, id est relinquam acceptum ab eo beneficium, morte cumulando. Ita intelligit Apronianus. Hanc opinionem Sergius damnat.*

ad Aen. IV. 464. PIORUM. *Sic legit Apronianus, quia pii, id est casti, sunt sacerdotes.*

ad Aen. IV. 528. LENIBANT. *Hic versus non legitur ab Aproniano.*

ad Aen. IV. 551. FERAE. *Legunt quidam* fere *adverbium, ut, Non licuit more jam meo, quo fere consueveram, vivere. Apronianus legit, ut* ferae *sit casus genitivi; et hoc mihi placet, Non licuit me vivere more ferarum, quae conjugia non curant.*

ad Aen. IV. 552. SICHAEI. *Sic legit Apronianus.*

ad Aen. IV. 663. MEDIAM. Mediam *legit Apronianus: nam qui se transfodit, medius videtur esse gladii. Silius L. I.* [VS. 307.] « *Concidit exacti medius per viscera teli.*"

ad

ad Aen. V. 143. TRIDENTIBUS. *Id est acutis, legit Apronianus. Ab Ennio* [..] *tractum est.*

ad Aen. V. 620. MARII DORYCLI. *Forte* Ismarii Dorycli, *Thracii, ab Ismaro monte Thraciae; mihi non placet: nam antiqui codices* Marii *habent, et haec Beroe Trojana in Sicilia manebat. In Bucolicis Apronianus ait, Maros mons Thraciae, ubi Maro vinum dedit Ulyssi et Probus in Commentariolo Georgicorum* [II. 37.] *facit mentionem.*

ad Aen. VI. 1. SIC FATUR LACRIMANS. *Probus, His duobus versibus, inquit, finitur hic liber in Tuccae et Cornelianis commentariis, et Vergilium ita etiam finisse manifestum est, et inchoasse sextum librum* Obvertunt pelago proras. *Nescio tamen cur factum sit, ut Phici.* (sic) *aliter habuerit. Apronianus autem principium esse docet* Sic fatur lacrimans.

ad Aen. VI. 126. AVERNO. *Ad Avernum, sic legit Apronianus.*

ad Aen. VII. 412. SED NUNC. *Apronianus legit:* Et nunc tantum manet Ardea nomen.

ad Aen. VII. 583. ILICET. *Statim. Apronianus legit* Scilicet.

ad Aen. VII. 773. PHOEBIGENAM. *Genitum Phoebo. Multi legunt* Peniɛenam. *Probus et Apronianus legunt* Phoebigenam.

ad Aen. IX. 214. MANDET HUMO. *Apronianus distinguit* mandet humo: *vel dicas* humo

so-

solita, *id est qua solitum erat humare homines.*

ad Aen. IX. 230. CASTRORUM ET CAMPI MEDIO. *In medio castrorum, quae pro urbe erant, campus fuit. Apronianus legit:* Campis in medio castrorum; *mihi placet* campi.

ad Aen. X. 18. DIVÛM. *Apronianus non* divûm, *sed* rerum *legit.*

ad Aen. X. 791. OPTIME. *Legit Apronianus; alii* optima.

ad Aen. XI. 3. TURBATA MENS. *Apronianus legit:* mens turbata praecipitat funera.

ad Aen. XI. 149. REPOSTO PALLANTE. *Alii legunt* pallante, *ut sit* reposito feretro. *Legunt alii, ut Apronianus,* Pallanta, *ut sit: Euander venit in medios et venit ad Pallanta posito feretro.*

ad Aen. XI. 696. TUM VALIDAM. *Apronianus legit:* valida securi congeminat vulnus.

ad Aen. XII. 394. DEDIT. *Apronianus legit* dedit, *Sergius* dabat, *et damnat* dedit; *mihi placet: nam is qui amore perditur, omnia dat amori suo.*

Haec sunt, quantum quidem scimus, omnia fragmenta, quae de Aproniani labore apud Pomponium Sabinum supersunt: ex quibus jam nunc constet Apronianum, ubi Codicem suum emendaret, non substitisse in corrigendis poëtae verbis, sed subinde quoque brevia quaedam scholia addidisse, adeoque plane non immerito inter antiquos Virgilii Scholiastas posse referri.

Ceterum, si quis aliquando praestantissimum istum

stum Codicem retractaturus sit, haec, quae ex Pomponii Sabini Commentariis dedimus, excerpta, prodesse poterunt ad supplenda Aproniani Scholia, quae nunc, ut Fogginius docuit, post libri tonsuram, magnam partem detruncata sunt.

De Aproniani persona, praeter Heinsium in Dissert. laud. exposuerunt Noris. Cenotaph. Pisan. p. 446. Tillemont Hist. des Empereurs T. IV. cap. 18. Fontanini Hist. Litt. Aquilei. p. 234. Reland. Fast. Cons. ad a. C. 494. Wilthem. App. ad Diptych. Leod. et Ariol. ad Sedulium in Prolegom. c. V. p. 71. laudati ab Heynio: quibus addatur Burmann. in nota ad Henr. Valesium de Critica L. I. c. XXXIV. p. 181 seq. Horum autem opera citare, quam excerpere, nunc quidem malo.

Satis sit indicasse Aponianum non immerito sibi locum inter Virgilii interpretes vindicare.

§. 12.

Aruntins Celsus.

Celsus procul dubio inter eos referendus est qui olim in rem grammaticam non sine laude operam suam collocarunt, quapropter hujus nomen a Prisciano aliisque Grammaticis frequenter in partes vocatur. Praeter Commentarios in Plauti (1) et Terentii (2) fabulas, etiam in Virgilium scholia scripsisse videtur, quae tamen aeque temporum injuria pe-

(1) Vide Cap. V. §. 1. (2) Vide Cap. VI. §. 5.

penitus interierunt. Est quidem nulla Veterum mentio, quae diserte memoret Celsum commentatum esse in Virgilium; sed, praeëunte Fabricio, non dubitavimus ipsum inter Virgilii interpretes referre. Sunt enim tria Charisii loca, quae vel sola, etiam sine aliorum auctoritate, mihi persuadere potuissent. Sunt ista hujusmodi:

p. 180. 30. Ilicet. *Maro undecimo* [vs. 468.] » *Ilicet in muros tota discurritur urbe.*" *ubi Celsus: nunc pro* illico, *id est, statim; antiqui pro* eas licet. *Ilicet pro* nunc.

p. 191. 3. Pariter. *Pro pariliter. Cicero* [Lael. 16.] *ut Maximus* (1) *notat. Similiter et Maro undecimo* [vs. 592. 673.] *ubi Celsus: pro aequaliter.*

p. 196. 31. Tuto. *Maro undecimo* [vs. 381.] » *Quae tuto tibi magna volant.*" *ubi Aruntius Celsus: Non est, inquit, ut falso et raro: haec enim Latina sunt.*

Accedit Quintiliani auctoritas qui Celsi sententiam de Virgiliano versu memorat, Instit. Orat. L. VIII. c. 3. » *Sed* divisio *quoque affert eandem injuriam pudori, ut si* intercapedinis *nominativo casu quis utatur. Nec scripto modo id accidit, sed etiam sensu plerique obscaene intelligere,* mi-

(1) Hic est Statilius Maximus, quem Charisius p. 175. et 193. dicit librum scripsisse *de Singularibus apud Ciceronem*, in quo ipsum de iis disputasse quae in Cicerone ἅπαξ vel σπανίως λεγόμενα reperiantur, suspicati sumus in disputatione de antiquis interpretibus Ciceronis §. 12. ubi, cum aliis, et hoc fragmentum memoravimus.

nisi caveris, cupiunt: ut apud Ovidium [Met. I. 502.] *» Quaeque latent, meliora putat." ac ex verbis, quae longissime ab obscoenitate absunt, occasionem turpitudinis rapere. Si quidem Celsus cacophaton apud Virgilium putat* [Ge. I. 357.] *» Incipiunt agitata tumescere." quod si recipias, nihil loqui tutum est."*

Praeterea Philargyrius in suis Commentariis saepius Celsi explicationes non aliter memorat, quam ut hominis qui ante ipsius aetatem data opera Virgilium interpretatus sit; quod ultro etiam Charisii auctoritatem insigniter auget. Philargyrii loca haec sunt:

ad Ge. II. 332. Gramina. *Celsus ait* germina *reliquisse Virgilium. Loquitur enim de omnium arborum fetu.*

ad Ge. II. 479. Qua vi maria alta. *Celsus Oceanum significari ait, qui aestu suo diffidit terram inter Mauritaniam et Hispaniam. Ut hoc sit* obicibus ruptis.

ad Ge. III. 188. Inque vicem. *Celsus* inque vicem *sic intelligit, ut sit nonnumquam sine capistris. Vel, ut sit utraque parte ductus facilis.*

ad Ge. III. 298. Dum mox. *Celsus* dum mox *pro* donec *interpretatur: sed, ut puto,* mox *abundat.*

ad Ge. III. 313. Castrorum. *In usum castrorum; quod inde tormenta fiant, itemque cilicia, quae Celsus ait retulisse Varronem* [de R. R. L. II. p. 93.] *ideo sic appellari, quod usus eorum in Cilicia ortus sit.*

Adde Servium qui Celsi nomen simul cum aliis Virgilii interpretibus, Probo et Cornuto, memorat:

ad Ge. I. 277. PALLIDUS ORCUS. *Quia pallidos facit. Nam ipse niger est. Probus* Orchus (scr. Horcus) *legit: Cornutus vetat adspirationem addendam. Hesiodus* [in Op. et Dieb. 804.] *Orcum quinta luna dicit natum. Celsus, ut jurisjurandi deum pallidum dictum, quia jurantes trepidatione pallescunt.*

Haec tamen Heynio nondum persuadere potuerunt, qui adeo dubitavit Celsum in Virgilii interpretum numerum referre, ita tamen, ut nec negaret, nec affirmaret. » *Quae*, haec sunt ipsius verba, *Quae sub nomine Celsi laudantur, cum ad Georgica spectent omnia, in Cornelii Celsi libro de Re Rustica locum habere potuisse, ut nec neges, ita nec affirmes cum Bianconio Epp. de Celso, Ep. VII. Quae in Charisio occurrunt p. 180. et 191. potuere in aliis libellis grammaticis occurrere.*" Equidem vero, quae a Quintiliano, Philargyrio et Servio sub Celsi nomine laudantur, non ausim contendere, esse ex hujus libro de Re Rustica; multoque minus, ea, quae in Charisio occurrunt, ex aliis grammaticis libellis desumta esse putaverim. Primum enim pleraque hujusmodi sunt, ut non aptius in ullo alio libro quam in Commentario, data opera ad Virgilii interpretationem conscripto, scribi potuisse videantur. Tum vero, si haec ex alio quodam libello sumsisset Charisius, dubito an sem-

semper scripturus fuisset *ubi Celsus* (1).

Bianconius, qui quidem non dubitavit quin Celsus, a Servio et Philargyrio memoratus, sit ille Medicorum princeps, A. Cornelius Celsus, primo adspectu opinatus est ipsum in Virgilii Georgica, quod carmen maxime admiraretur, Scholia scripsisse et sic exemplum magistri sui Hygini secutum esse. Mox tamen, ubi cogitaret omnem scholia scribendi rationem ad magistrorum scholas referendam esse, statuit, pro tali negotio, cui Hyginum vacare voluisse non negat, Celsum fuisse doctiorem. Quapropter, re plenius perspecta, contendit, Celsum in opere, quod de Re Rustica scripserit, hic illic in Virgilii opinionem inquisivisse et subinde hujus poëtae versum citasse vel explicuisse, easque explicationes inde desumtas esse a Servio et Philargyrio, ubi haec carmina interpretarentur (2).

Quid

(1) Solet enim Charisius, ut supra diximus c. III. §. 2. sic fere usurpare voculam *ubi*, ut, si cujus nomine ad eum modum, antiqui scriptoris interpretationem citet, is scriptorem illum peculiari opere interpretatus esse, conjici possit.

(2) Italice scriptum Bianconii librum, quem audio rarum esse in his regionibus, frustra quaesivi. Germanicam versionem cum Praefat. Krausii, Lipsiae editam a. 1781. suppeditavit mihi bibliotheca fratris dilectisimi. Hoc igitur Catone contenti simus In Epist. VII. p. 92. haec leguntur: *Da ich ferner vom Servius und Philargyrius verschiedene Auslegungen über einige Verse des Virgils von einem Celsus angeführt finde, so habe ich niemals gezweifelt, dass solcher nicht der unserige sey, desto weniger, weil sie nur über einige Verse der Georgicorum sind. Ich glaubte anfänglich, dass er über dieses Werk, als eine ihm vorzüglich liebe Materie,*

L 2

Quid aliis accidat, nescio; sed mihi quidem doctissimus Italus non persuasit. Neque enim crediderim omnia, quae a Veteribus scripta sunt Scholia, magistrorum usui inserviisse. Deinde vero minime placet, quod dicit, Celsum pro tali negotio doctiorem fuisse. Cui enim, licet esset doctissimus, dedecori possit esse poëtam et praecipue διδακτικὸν poëtam, interpretari? Et quis credat laudem auctoris ab argumento pendere quod tractet, non a ratione qua illud tractetur. Denique, si times statuere Celsum tam exiguo labori vacare voluisse, qui praestantissimorum librorum scriptione aequalium admirationem movisset, age, quid prohibet opinari, ipsum in juventute adeoque priusquam tantam nominis famam consecutus esset, hujusmodi studio vel suum ingenium acuere vel aliorum usui inservire voluisse?

Praeterea, quod Bianconius ut satis certum esse sta-

Scholien verfertiget hätte, so wie es gewiss zu seyn scheinet, dass dergleichen Hyginus über dem Virgil, der gleichsam sein Lehrer war, gemacht hatte Da ich aber nachher überlegte, dass die Scholien meistens Noten zum Gebrauch der alten Schullehrer, welche sich Grammatiker nennen, waren, so will ich gar gern den Hyginus darunter zählen; allein ich werde niemals das Herz haben, unsern Cornelius, der zu einer solchen Beschäfftigung zu gelehrt war, dahin zu rechnen. Nach mehrerer Ueberlegung glaube ich, Celsus werde in seinen Büchern vom Ackerbau eine Meinung des Virgils untersucht, oder eine Stelle desselben angeführt haben, und nachher werde Servius und Philargyrius, bey der Gelegenheit, da sie dieses göttliche Gedicht commentirten, diese Stellen berührt, und uns solche zu unserm Glücke erhalten haben."

statuit, Celsum, qui in Servii et Philargyrii Commentariis memoretur, esse illum Medicorum Ciceronem, qui scriptis de Medicina, de Re Rustica, aliisque libris inclaruerit, id ego non ita certum esse affirmavero, neque tamen sine aliis Veterum testimoniis omnino negavero.

Fieri potest ut duo diversi fuerint scriptores, qui Celsi nomen haberent. Ut sic fere opiner, facit aliud Philargyrii scholion, quod nondum memoravimus, in quo Celsi verba citantur, quae, habita argumenti ratione, videntur sumta esse ex Celsi libris de Re Rustica. Sed in hoc scholio Philargyrius auctorem vocat *Cornelium Celsum:* in reliquis citaverat *Celsum.* Ex addito praenomine suspicor Philargyrium voluisse alterum ab altero distingui. Est autem illud scholion hujusmodi:

ad Ge. IV. 1. Coelestia dona. *Sive quod Jupiter melle nutritus sit in insula Creta, sive quod in aëre concipiatur. Nam, ut ait Cornelius Celsus, apes ex floribus ceras faciunt, ex rore matutino mel.*

Quae si recte procedant, ex iisdem de Re Rustica libris petita esse putem fragmenta quae Pomponius Sabinus laudat:

ad Ge. I. 197. Vidi lecta diu. *Cornelius Celsus ait: Ubi mediocris est fructus, optimam quamque spicam legere oportet et separatim ex ea semen reponere. Cum messis amplior provenerit, eligendum semen magnitudine et pondere jam subsedit: nam id plurimum potest. Nisi hac diligentia uteris, frumenta degenerant,*

ad

ad Ge. IV. 281. SED SI QUEM PROLES. *Nunc docebit, quomodo possint apes reparari. Columella ait: Certum est hoc eodem tempore progenerari posse apes, juvenco perempto, Democritus et Mago Carthaginiensis, nec minus Vergilius, prodiderunt. Mago quidem ventribus etiam bubulis idem fieri affirmat: quam rationem diligentius prosequi, supervacuum puto, consentiens Celso, qui prudentissime ait, non tanto interitu pecus istud amitti, ut sic quaerendum sit.*

Hos enim Celsi libros Pomponio Sabino cognitos fuisse, satis probat haec ipsius annotatio:

ad Ge. IV. 149. NUNC AGE NATURAS APIBUS. *Aristoteles, in libris de Animalibus, subtilissime de Apibus scribit; apud Latinos mira brevitate absolvit Varro; Junius Higinus diligentissime tractavit, non praetermissis etiam quae ad fabulas poëtarum pertinent; Cornelius Celsus lepore quodam et elegantia illustravit; Virgilius ornatissime carminibus explicuit; Columella temperatissime scripsit, modumque adhibuit.*

Nolo tamen diffiteri me sic omnino nescire quo referam aliud quoddam Celsi fragmentum, ab eodem Pomponio Sabino servatum, quod multo magis Grammaticae quam Rei Rusticae argumentum spirat:

ad Aen. VI. 81. SPONTE SUA. *Propter preces et sacrificia. Cornelius Celsus ait: qui suae spontis est.*

§.

§. 12.

Titus Gallus et Gaudentius.

Virgilianorum interpretum numero, quamquam is per se jam satis magnus erat et nuper etiam a Majo auctus est, duos insuper addendos esse, arbitror ex inedito Scholiasta Leidensi. Sic alii fortasse ab aliis subinde detegentur, si quando, qui adhuc in tenebris jacuerunt, neglecti Bibliothecarum thesauri, a justis harum rerum aestimatoribus ad examen revocabuntur.

Titum Gallum et Gaudentium Commentarios in Virgilium scripsisse, ad hoc usque tempus non alia de causa ignorabatur, quam quod utriusque labor dudum perierit et a nullo subsequentis seculi interprete, cujus quidem Scholia edita sunt, commemoratus sit. Jam vero, post reperta a me in Bibliotheca Leidensi inedita Anonymi cujusdam Scholia, nequaquam dubium est quin uterque locum sibi inter Virgilii interpretes vindicet. In his enim Scholiis non solum nominatim Galli et Gaudentii memorantur Virgilianorum versuum explicationes — quae res videri potuisset aliquid dubii relinquere — sed auctor horum Scholiorum diserte declarat se in con-

conficiendo suo labore usum esse Titi Galli, Gaudentii et Junii Philargyrii, sive ut in illo MS. scribitur, Junilii Flagrii, Commentariis. Ad finem enim Eclogae X. haec in isto Codice conspicitur subscriptio: *h̄ omā decōmen tariis romanorū cgregavi. idē titi galli. & gaudentii & maxime junilii flagrii mediola nentiū.* Hoc est: *Haec omnia de Commentariis Romanorum congregavi, id est, Titi Galli et Gaudentii et maxime Junilii Flagrii Mediolanensium.*

Hac autem subscriptione quid significetur, facile intelligerem, nisi ad finem libri I. Georgicorum alia prostaret subscriptio: *titus gallus d&rib; cōmentariis gaudentii h̄ scripsit.* Hoc est: *Titus Gallus de tribus Commentariis Gaudentii haec scripsit.* Adeo enim hae subscriptiones inter se pugnare videntur, ut quod ex altera satis certo didicisse nobis videbamur, id ex altera plane falsum esse appareat. Atqui prior subscriptio docuerat Scholia ista ab Anonymo quodam ex Titi Galli, Gaudentii et Flagrii Commentariis congregata esse: id autem secus esse, ex altera docemur subscriptione, quae quippe declarat, haec non *ex Galli labore* ab alio quodam, sed *ab ipso Gallo* conscripta esse.

Facilius fortasse esset de vera harum subscriptionum sententia disputare, si de Galli et Gaudentii aetate quidquam certi constaret. Hanc autem expiscari non potuimus. Memorantur quidem aliquot horum nominum Episcopi a Fabricio in Biblioth.

Med.

Mad. et Inf. Latin. T. III. p. 29—43. et p. 67—72. Sed in neminem horum, ut opinor, cadere potuit Virgilianorum carminum interpretatio, si reliquorum, quae ab ipsis scripta esse feruntur, operum titulos respicias.

Quodsi autem conjecturae locus concedatur, mihi quidem, sic rem se habere, suspicari subit: Gaudentius, incertae aetatis homo, scripsit Scholia in Virgilium, et quia in Eclogas, Georgica et in Aeneidem scripsit, dici potest tres Commentarios scripsisse. His postea usus est Titus quidam Gallus, Gaudentio recentior, et ita usus est, ut, quum multa inde in suos Commentarios transferret, religioni duxerit ad finem libri I. Georgicorum hanc addere subscriptionem: *Titus Gallus de tribus Commentariis Gaudentii haec scripsit.* Jam et Titi Galli et Gaudentii Commentarios nactus, deinde Anonymus quidam, ex his, sicut et ex Philargyrio, sua congregans, ita ad verbum fere Titi Galli codicem secutus est ut ne ista quidem verba *Titus Gallus de t. C. G. haec scripsit* omiserit.

Alii fortasse aliter rem se habere suspicabuntur. Ego ut sic suspicarer, fecit, quod Peerlkampius nuper in Epistola ad Descurium p. XXIII. monuit, parum fere fidei habendum esse hujusmodi, quae in Codicibus reperiuntur, subscriptionibus: quum librariorum mos fuerit omnia, quae in MS. legebantur, describendi, ne subscriptionibus quidem omissis.

Utcunque autem istas subscriptiones explicare mavis, semper inde apparebit, quod ostendere volebam, Titum Gallum et Gaudentium Scholia in Vir-

Virgilium scripsisse: ex quorum laboribus aliquot fragmenta reperies in eo, quod ad finem hujus disputationis publicabimus, specimine scholiorum ineditorum ex Codice Leidensi.

§. 14.

Haterianus.

Haterianum aliquando in Virgilium commentatum esse, haec probant fragmenta, quae A. Majus publicavit e Codice Veronensi:

ad Aen. VII. 337. TIBI NOMINA MILLE. HATERIANUS. Nomen *hic pro* facie *positum*, *ut in II.* [vs. 557.] » *Jacet ingens litore truncus, avulsumque humeris caput et sine nomine corpus.*" *pro . . . Sensus est talis: Tibi mille facies, mille ad nocendum artes; id est in nullam non faciem nocendi causa . . . Huc illud quoque suffragatur* [XII. 891]: « *Verte omnes tete in facies.*"

ad Aen. IX. 360. REMULO. ASPER. *De quaestionibus vel maxima. Remulus, inquit, dat; nec addit nomen accipientis . . . (quod β)ῆμα. Illud nobis proficit, quod Vergilius quando dicit alicui datum, nec dicit nomen . . . videtur ostendere cognominis fuisse. Haterianus hic (Tiburti) Remulo sc. . . .*

ad Aen. IX. 390. INFELIX. *Melior Ha(teriani) di-s(tinc-*

s(tinctio) ita ut et Nisus potius infelicem dicat, quam Euryalum. Major enim . . .

ad Aen. IX. 397. FRAUDE LOCI ET N. S. T. T. HATERIANUS. Fraude loci *potest per se legi; deinde subjungi:* et noctis subito turbante tumultu; *ut duplex terror fuerit et ex loci fraude et ex noctis tumultu repentino. Sed et alio modo haud absurda distinctio:* Fraude loci et noctis. *Deinde:* subito turbante tumultu. *Nam . . . terror quem incutiebat et nox et locus ignotus et tumultus obvallantis comitatus.*

ad Aen. X. 242. QUEM DEDIT IPSE INVICTUM IGNIPOTENS. HATERIANUS. *Id est enim igni. Separa ergo* igni, *ut intelligas etiam* igni invictum, *id est adversus ignem.* Igni *enim ablativus casus . . .* igni invictum, *id est . . . m . . . invictum.*

Praeter haec fragmenta, quibus ipsum Hateriani nomen praefixum erat, alia ejusdem auctoris latere credibile est in iis scholiis, quorum initia truncata sunt. Majus saltem, quum ex superioribus sibi exploratum habeat, hunc interpretem ad distinguenda poëtae verba praecipuum studium contulisse, vix dubitat ipsi haec duo scholia adscribere:

ad Aen. X. 566. . . . *Exigua hic distinctio. Potest enim sic legi:* » *Quinquaginta oribus ignem pectoribusque arsisse Jovis*" *ut ποιητικῶς ignem Jovis dixerit fulmen, ut* [Aen. I. 42.] » *Ipsa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem.*" *Potest et sic di-*

distingui: » Quinquaginta oribus ignem pectoribusque arsisse" ut hic sit mora. Deinde: . . ratur: Jovis cum fulmina contra tot paribus streperet clypeis."

ad Aen. XII. 712. . . . . *Alia ambiguitas. Nam aut colligendum est » Invadunt Martem clypeis atque aere sonoro" post conjectas . . . aut dividendum illo modo est, aut » Invadunt Martem sonoro . . . utem . . . sonoro, at inferius referatur . . . ntur in fraudem clypeis et sonoro aere tellus daret gemitum.*

Ceterum non constat, quis fuerit Haterianus, vel qua aetate vixerit. Majus, qui alibi nihil quidquam de eo invenit, sic scribit in Praef. §. VI. » *Haterianus ter quaterve evidenter legitur in Veronensi palimpsesto: tum et saepius verba ejusdem, amisso nomine, ibidem videntur occurrere. Is in distinguendis interpungendisque poëtae membris operam suam collocavit. Hateriani nullum, quod sciam, scriptum extat; immo ne nomen quidem mihi hactenus erat exauditum.*"

§. 15.

Julius Hyginus.

Julius Hyginus, idem fortasse cujus nomine hodie exstat *Fabularum* liber et *Poëticon Astronomicum*, praeter complures alios libros, qui passim a Servio aliisque Grammaticis citantur, scripsit Commentarios in Virgilium. Hoc enim quominus dubite-

temus, facit diserta Gellii commemoratio, cujus seculo illi superstites fuisse videntur.

De Hygini aetate et scriptis docte disputaverunt Schefferus et Munckerus: sed, ut supra diximus (1), etiam post horum Virorum operam, difficillimum est quidquam certi statuere. Nec quisquam est, credo, qui certo dicere possit utrum ab uno, an vero a pluribus ejusdem nominis hominibus scripti sint omnes isti libri, quorum tituli passim apud Grammaticos memorantur. In his sunt, quos propter argumenti conjunctionem non omnino alienos dixeris ab interprete Virgilii. Sic Gellius L. I. c. 14. citat librum *de vita rebusque illustrium virorum;* cujus partem fuisse suspicor, eam, quae ab eodem L. VII. c. 1. citatur, scriptionem *de vita et rebus Africani.* Servius ad Aen. V. 389. memorat librum *de famil. Troj.* et ad Aen. VII. 412. 678. VIII. 597. 600. *de urbib. Italic.* et ad Aen. VIII. 638. *de Orig. urb. Ital.* et ad Aen. III. 553. *de situ urb. Ital.* qui tamen tres libri, fieri potest ut varia ejusdem operis capita fuerint. Referente Charisio p. 115. et Columella L. I. c. 1. Hyginus etiam *de Agricultura* scripsit: cujus operis partem fuisse opinor librum *de Apibus*, memoratum a Pomponio Sabino ad Ge. IV. 149. 270 et 281. Praeterea alii alios titulos referunt (2).

Si

(1) Cap. XI. §. 2.

(2) Hygino, Virgilii interpreti, sat magnum scriptorum numerum tribuit Scriverius in Commentatiuncula de Hyginis, ex qua Munckerus in Dissert. de Hygini aetate et stylo, haec retulit: « CAJUS JULIUS HYGINUS AUGUSTI LIBERTUS. *Huic duo nomina propria sunt a patrono Cajo Julio Caesare Oc-*

Si cogitamus, quam larga in hujusmodi scriptis fue-

Octaviano Augusto. Tertium valde variat in MSS. utique in iis occurrit Hyginus, Higinus, Iginus, Hygenus *et* Yginus, *quomodo his terve apud Servium scribitur. De Hygini scriptis vide Indicem Gellii: de hoc Cajo Julio Augusti liberto Suetonium de claris Grammaticis.* Iginus *nomen aliquoties in veterum monumentis occurrit: L. Iginus Plinta, Q. Iginus Merops, et Q. Iginus Stevinus. Ex illis omnibus placet mihi* Hygenus *seu* Higinus; *undecunque tamen sit nescio. Hoc scio etiam in Vett. monumentis legi, et maxime in Veronensium marmoribus. Scripsit hic, ut opinor,* de origine et situ urbium Italicarum, *sive* de urbibus Italicis; *quo titulo citantur a Servio Virgiliano interprete, et Macrobio.* Commentaria *et ejus esse censeo* ad Aeneida, *quorum Gellius et Servius meminerunt. Ejus et esse* Mythologicon *potest, et utile illud* Astronomicon Poëticon *de mundi et sphaerae enarratione ad M. quemdam Fabium; quem esse Quintilianum, quod vult Raphaël Volaterranus, persuadere mihi nondum potui.* De diis penatibus *et* proprietate deorum *laudat libros Macrobius. Praeterea Hyginum scripsisse de signis coelestibus opus, in IV. libros distinctum, tradunt urbana commentaria. Charisius* de Agricultura *citat et* in Cinnae propemptico. *Non omittenda heic insignis allucinatio viri caetera doctissimi Raphaëlis Volaterrani, qui libellos* Gromaticos, *sive* de limitibus constituendis, *adscribit huic Cajo Julio Hygino; cum alium omnino esse constet ex ipso illo Hygino, qui sic inquit:* « Nuper ecce quidam evocatus « Augusti, vir militaris dis« ciplinae, professionis quo« que nostrae capacissimus, « quum in Pannonia agros ve« teranis ex voluntate et li« beralitate imperatoris Tra« jani Augusti adsignaret. » *Insignis, inquam, allucinatio. Ex hoc loco vir ille conjecturam facere potuit, non sub C. Julio Caesare Octaviano Augusto, verum sub Trajano vixisse, qui annis post natum Christum plus centum imperare coepit. At Julius Higi-*

fuerit Virgilium subinde explicandi occasio, facile quis posset in eam sententiam abduci ut crederet, Hyginum non data opera in Virgilium scripsisse; sed, quae passim a Grammaticis Hygini nomine memorentur, Virgilianorum versuum explicationes, ex aliis ipsius operibus esse desumtas. Et sane ego dubitarem, nisi Gellius nominatim Hygini *Commentaria in Virgilium* memorasset. Alibi idem Gellius saepius, quamquam non nominato opere unde desumsit, Hygini opinionem de Virgilianis versibus sic excitat, ut non dubitem quin haec quoque ex iisdem Commentariis sint. Et ad eosdem referenda esse censeo quae Gellius L. XVI. c. 6. citat ex *quarto*, sic inquit, *librorum, quos de Virgilio fecit.* Gellii loca, quamquam satis longa, integra tamen exhibebimus. Sunt ista hujusmodi:

L. I. c. 21. » *Versus istos ex Georgicis Virgilii* [II. 246.] *plerique omnes sic legunt:* » At sapor indicium faciet manifestus, et ora Tristia tentantum sensu torquebit amaro." *Hyginus autem, non herclé ignobilis grammaticus, in Commentariis, quae in Virgilium fecit, confirmat et perseverat non hoc a Virgilio relictum; sed quod ipse invenerit in libro, qui fuerit ex domo atque familia Virgilii:* » Et ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror." *Neque id soli Hygino, sed doctis qui-*

ginus annis jam multis ante Christum natum illustris erat, ut Chronica Eusebii testantur."

L. X. c. 16. *Reprehendit Hyginus Virgilium, correcturumque eum fuisse existimat, quod in libro sexto scriptum est. Palinurus est apud inferos, petens ab Aenea, ut suum corpus requirendum et sepeliendum curet: is hoc dicit* [Aen. VI. 365.] »Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram Injice, namque potes, portusque require Velinos." *quo, inquit, modo aut Palinurus novisse et nominare potuit portus Velinos, aut Aeneas ex eo nomine locum invenire, quum Velia oppidum, a quo portum, qui in eo loco est, Velinum dixit, Servio Tullio Romae regnante, post annum amplius sexcentesimum, quam Aeneas in Italiam venit, conditum in agro Lucano et eo nomine appellatum est? nam qui ab Harpalo, inquit, regis Cyri praefecto ex terra Phocide fugati sunt, alii Veliam, partim Massiliam condiderunt. Inscitissime igitur petit ut Aeneas portum Velinum requirat, quum id nomen eo tempore fuerit nusquam gentium. Neque simile, inquit, illud videri debet, quod est in primo carmine* [Aen. I. 2.] *»Italiam fato profugus Lavinaque venit Litora." et aeque in sexto libro* [vs. 17.] *»Chalcidicaque levis tandem superadstitit arce." quoniam poëtae ipsi quaedam κατὰ πρόληψιν historiae dicere ex sua persona concedi solet, quae facta ipse postea scire potuit: sicut Vir-*

gi-

gilius scivit de Lavinio oppido et de colonia Chalcidicensi; sed Palinurus qui potuit, inquit, scire ea quae post annos sexcentos facta sunt? nisi quis eum divinasse apud inferos putat, proinde ut animae defunctorum solent. Sed et si ita accipias, quamquam non ita dicitur, Aeneas tamen, qui non divinabat, quo pacto potuit requirere portum Velinum, cui nomen tunc, sicuti diximus, nullum usquam fuit? (1).

Ibidem. *Item hoc quoque in eodem libro reprehendit, et correcturum esse Virgilium putat nisi mors occupasset: nam quum Thesea, inquit, inter eos nominasset, qui ad inferos adissent ac redissent, dixissetque* [Aen. VI. 122.] » Quid Thesea magnum Quid memorem Alciden? et mi genus ab Jove summo est" *postea tamen infert* [vs. 617.] » Sedet, aeternumque sedebit Infelix Theseus." *qui autem, inquit, fieri potest, ut aeternum apud inferos sedeat, quem supra cum iis comme-*

(1) Non nominato auctore, hinc sua duxit Pompon. Sabinus: « *Objicitur hoc Virgilio; nam et eo tempore Velia non erat: sed quia Palinurus loquitur, permittitur ut anima postquam reliquit corpus, particeps sit omnium futurorum.*" Apud eundem, ad Aen. VI. 838. haec corrupta exstant: « *nam eam condidere, et Massiliam illi fugati fuere ab Harpalo praefecto * Circi.*" quae ex hoc Gellii loco possunt emendari.

memorat, qui descenderint illuc, atque inde rursum evaserint; praesertim quum ita sit fabula de Theseo atque si Hercules eum evellerit de petra, et in lucem ad superos eduxerit.

ibidem. *Item in his versibus errasse Virgilium dixit* [Aen. VI. 838.] »Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas, Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli; Ultus avos Trojae, templa et temerata Minervae.” *Confudit, inquit, et personas diversas et tempora: nam neque eodem tempore neque per eosdem homines cum Achaeis et cum Pyrrho bellatum est. Pyrrhus enim, quem dicit Aeaciden, de Epiro in Italiam transgressus cum Romanis depugnavit adversus M. Curium, in eo bello ducem. Argium autem bellum, id est, Achaicum, multis post annis a L. Mummio imperatore gestum est: potest, inquit, igitur medius eximi versus, qui de Pyrrho importune immissus est, quem Virgilius procul dubio exempturus, inquit, fuit* (1).

L. XVI. c. 6. *Hyginus Julius, qui jus pontificium non videtur ignorasse, in quarto li-*

(1) Iterum hinc sua duxit Pomponius Sabinus; « *Reprehenditur Virgilius quod dixerit* ipsumque Aeaciden: *nam* » *Mummius qui vicit Achajam, et ipsum Argos, et Mycenem, non vicit Pyrrhum, sed Curius. Hoc carmen putant e textu delendum esse; nam Virgilius procul dubio si correxisset, fuisset exempturus.*”

> *librorum, quos de Virgilio fecit, appellari* bidentes *scripsit hostias, quae per aetatem duos dentes altiores haberent. Verba illius ipsa posui:* Qui bidens est, *inquit*, hostia, oportet habeat dentes octo, sed ex his duo ceteris altiores, per quos appareat ex minore aetate in majorem transcendisse. *Haec Hygini opinio an vera sit, non argumentis, sed oculis judicari potest.*

Haec sunt fragmenta quae Gellius servavit, ex quibus facile est videre, quantam jacturam fecerimus in horum Commentariorum interitu. Ceterum Hygini opinionem de voce *bidentes* item memorat Macrobius Saturn. L. VI. c. 9. » *Hyginus*, inquit, *qui jus pontificium non ignoravit, in quinto librorum, quos de Virgilio fecit*, bidentes *appellari scripsit hostias, quae per aetatem duos dentes altiores haberent: per quos ex minore in majorem transcendisse constaret aetatem.*" in quibus verbis nequaquam dubito, quin pro *quinto* substituendum sit *quarto*; satis enim manifeste apparet Macrobium haec, ut multa alia, ex Gellio hausisse.

Hygini Commentarios num Servius cognoverit, non apparet. Hic quidem saepius alia illius opera memorat, quemadmodum supra diximus; nusquam vero diserte Commmentarios in Virgilium nominat. Fortasse tamen illuc referendum est hoc scholion: ad Aen. XII. 120. Velati lino. *Atqui Feciales*

> *et Pater Patratus, per quos bella vel foedera confirmabantur, numquam utebantur vestibus* lineis. — *Caper tamen et Hyginus hoc loco dicunt, lectionem es-*

se corruptam: nam Virgilium ita reliquisse confirmant Velati limo. *Limus autem est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes teguntur pudenda poparum.*

Nec magis certum est, an Pomponius Sabinus ipsos Hygini Commentarios habuerit; quas hic enim passim Hygini nomine citat de Virgilianis versibus opiniones et sententias, partim quidem potuit e Gellio et Servio ducere, partim in aliis Hygini scriptis traditas fuisse verosimile est. Audi, qualia sint:

ad Ge. II. 246. Amaror. *Apronianus legit*, sensu amaro. *Higinus tamen et Gellius* amaror: *et melius est.*

ad Aen. III. 553. Caulonisque. *Caulon in Apennino est, oppidum conditum a Locris: ut Higinus meminit; in eo optimum gignitur vinum* (1).

ad Aen. VI. 122. Quid thesea magnum. *Hyginus hunc locum reprehendit, quod dixerit* magnum; *et paulo post dicat* Sedet, aeternumque sedebit.

ad Aen. VII. 47. Laurente marica. *Maricam ait Pomponius* (2) *fuisse reginam Lyrinatum: ab ea forte Marica sylva in ostio Lyris amnis, ubi sunt Minturnae. Virgilius ait esse nympham, ex qua et Fauno natus est Latinus. Alii volunt Latinum filium Herculis, et ab Hercule Fau-*

(1) Ex Servio ad h. l. discimus Hyginum hoc scripsisse in libro *de situ Urbium Italicarum.*

(2) Scilicet Pomponius Porphyrio, quem vide ad Horat. L. III. c. 17. 7.

Fauno regi Aboriginum commendatum: ideo putatum ejus filium. Hesiodus [Theogon. vs. 1011.] *ait Latinum filium Circes et Ulyssis. Alii volunt ex Ulysse et Circe natos tres: Telegonum, Latinum, et Ausonium. Sed omnem dubietatem Higinus removit, cum ait plures in Latio reges appellatos Latinos* (1).

ad Aen. VII. 180. JANUSQUE. *Janus antiquissimus Italiae rex, cum Camese indicavit, a quo regio Camesena, et ab Jano Janiculum; sic tradit Higinus* (2).

ad Aen. VII. 181. AB ORIGINE. *In versu non potuit dicere* Aboriginum, *sed debemus intelligere. Aborigines dicuntur primi cultores, quasi* sine origine, *ac si essent terra geniti: de quibus dicemus suo loco. Reges Aboriginum memorantur apud Higinum.*

ad Aen. XI. 850. DERCENNUS. *Rex unus ex antiquissimis in Latio, quem plerique Latinum eundem dixerunt, ut Iginus.*

ad Aen. XII. 120. LINO. *Lino tegebantur omnes sacerdotes, praeter Feciales. Sed legendum est* limo, *ut Caper et Higinus sentiunt, et affirmant sic reliquisse Virgilium.* Limus *est vestis, ut est tegmen ab*

(1) Eundem Servius ad h. l. citat, nec tamen addit in quonam libro Hyginus haec docuerit.

(2) Haec, et quae in duobus sequentibus scholiis docentur, si argumenti rationem habeas, vix dubium esse potest unde desumta sint.

ab umbilico usque ad pedes.

Primum et tertium locum sine dubio duxit e Gellio: postremum e Servio. Reliqui esse possunt ex aliis Hygini libris.

§. 16.

Velius Longus.

Velius Longus, fortasse idem ille, quem supra (cap. VIII.) diximus commentatum esse in Lucretium, jure suo a Fabricio et Heynio inter Virgilii interpretes relatus est. Sunt enim Veterum testimonia quae hoc satis probant; quemadmodum Macrobii, qui L. III. c. 6. ait: „*Eodem versu* [Aen. III. 84.] *non omittendum puto cur* saxo vetusto *dixerit exstructum templum. Velius Longus:* „*Immutatio est, inquit, epitheti: vult enim dicere vetustatem templi.*" *Hunc multi alii Commentatores secuti sunt.*" tum Charisii, qui p. 153. ait: „*Amavere pro amaverunt, docuere pro docuerunt, dixere pro dixerunt, muniere pro munierunt, quam figuram alii duplicem existimant; de qua etiam Velius Longus in secundo Aeneidos satis commentatus est.*" denique Servii, cujus hoc est scholion ad Aen. X. 245. CRASTINA LUX — SPECTABIT CAEDIS ACERVOS. Spectabit *est vera lectio; et ordo est: Si mea dicta irrita non putaris, crastina lux ingentes acervos caedis videbit. Nam male quidam* spectabis *legunt, et ad lucem referunt; quod non procedit: nullus enim sic loquitur: O Aenea, si quae dico minime credis, o lux crastina, ingentes caedis acervos vi-*

de-

debis. *Alii more antiquo* lux *pro* luce *accipiunt. Lucilius in tertio: » Hinc media remis Palinurum pervenio nox.*" *pro nocte: . Longus ait: Deëst* venerit: *unde et ipse* spectabis *legit.*"

Plenissime rem comprobant fragmenta quae ex Velii Longi Commentario servata sunt a Scholiasta Veronensi; ex quibus tamen de auctore ipso nihil comperimus, praeterquam quod Cornuto et aliis quibusdam non nominatis interpretibus fuerit recentior. Sunt ista fragmenta hujusmodi:

ad Aen. III. 693. PLEMYRIUM UNDOSUM. LONGUS. *Plemurium fuit emendatum Plemyrium promontorium Siciliae. Dictum autem ἀπὸ πλημμύρειν ideo est, quod undique fluctibus undisque adluatur. Nassos prius appellata Ortygia . . . apposita . . . esse dicta ab eo quod Latona fugiens draconem Pythonem in coturnicem mutata, quae Graece ὄρτυξ dicitur, in eam evolaverit.*

ad Aen. III. 705. PALMOSA SELINUS. LONGUS. *Quasi Opuns, Amathus, unde et Selinuntii, quasi Opuntii et Amathuntii dicuntur. Selynas . . . olympionicas multos fuisse adnotat Milestos* (1).

ad Aen. IV. 149. HAUD ILLO SEGNIOR. LONGUS. Segnior, *deformior, accipiendum, siquidem* segnis *est* sine igne, *i. e. frigidus... nam et* formonsum *non aliunde dicimus quam*

(1) Majus suspicatur latere in hac voce nomen *Melissi*, quem argumento hujus scholii contendit fuisse Virgilii interpretem. Vide infra §. 43.

quam a calido. FORMUM *enim dicebant antiqui calidum. Unde* . . . *segnem pro deformi* . . . *dixit Virgilius.*

ad Aen. IV. 158. VOTIS OPTAT APRUM. LONGUS. *Indolem pueri vult ostendere, ut merito in VIIII.* [633.] *Numanum occidisse videatur.*

ad Aen. V. 488. VOLUCREM. LONGUS. *Adnotat Cornutus, quod indecenter sacram matri suae avem sagittis figendam constituerit. Sed videlicet Homerum* [Iliad. XXIII. 853.] *secutus est. Sed et eodem modo quamcunque aliam avem expositam queri potuit, quia singula genera alitum Diis quibuscunque sacrata sunt. Praeterea columbae in tutela sunt* . . . *a* . . . *er* . . . *ati magna quae* . . . *(quia)* . . . *ratae* . . . *quod leones Matris magnae; contra Deam faciet qui leonem occiderit, nisi qui forte fuerit sacratus.*

ad Aen. VII. 489. PECTEBATQUE FERUM. LONGUS. . . . *n* . . . *admodum in consuetudine intelligitur. Neque enim poterat esse ferus, de quo supra dixit „adsuetum imperiis" et herum communiter a* . . . *oportet figuratum accipere* . . . *ranam jam non ad naturam refert animalis, sed ad morum qualitatem, si tamen dicendi sunt in feris mores, et leo c* . . . *non est* . . . *si fera cibum* . . . *ferum quomodo et de equo in II.* [51.] *„Inque*

que feri curvam compagibus alvum Contorsit."

ad Aen. X. 1. Domus olympi. LONGUS. *Utrum sic domum dixit aperiri, quomodo et Homerus* [Iliad. V. 749. VIII. 393.] Χαλκόβαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ ἃς ἔχον ὧραι. *Et Ennius* [p. 146. Hess.] *non tantum domum, sed etiam cenaculum caeli. Per hoc diem significat; facto enim die omnia reserantur.*

ad Aen. X. 551. Fauno dryope quem nympha creabat. LONGUS. *Quaerunt quidam, quomodo, si ex Fauno et nympha creatus sit, mortalis esse potuerit? Tamquam non Eryx Neptuni et Veneris filius, qui tamen ab Hercule sit occisus: aut tamquam constet, nymphas immortales Deas esse.*

ad Aen. X. 557. Istic. LONGUS. Istic *pro* hic, *ut Plautus in Rudente* [I. 2. 43.] „*Non hercule, adolescens, jam istos dies complusculos Quemquam istic vidi sacrificare.*" *et infra* [II. 7. 14.] „*Istic ubi vis condormisce: nemo prohibet; publicum est.*"

Quantum ex his fragmentis judicare licet, suspicor Longi laborem admodum late patuisse, utpote quem censeo nullam non Grammaticae partem attigisse: quapropter vix dubito dicere, non solum Virgilii interpretationem sed omnino Literas in Longi Commentariorum interitu perquam insignem fecisse jacturam.

§.

§. 17.

Q. Terentius Scaurus.

Scaurum in Virgilii interpretum serie non memorat Ge. Fabricius (1) et Heynius quoque fatetur se non reperire quo jure inter Commentatores Virgilii referatur. Apparet igitur illos Viros haud multum fidei habuisse Servii scholio, ubi Scauri interpretatio Virgiliani loci memoratur. Est hoc scholion hujusmodi:

ad Aen. III. 484. NEC CEDIT HONORI. *Id est tanta dat munera, quanta merebatur Ascanius: hoc enim est* honori non cedere, *parem esse meritis accipientis. Scaurus vero* honore *legit; et intelligit: honore non cedit Heleno, qui patri ejus vel avo donaverat multa.*

Et profecto videri possent illi Viri admodum inconsiderate egisse, si ex hoc uno Servii loco voluissent contendere Scaurum in Virgilium commentatum esse: quasi Scaurus istam suam opinionem in nullo alio libro scribere potuisset.

Nunc vero, repertis Scholiis Veronensibus, non possumus dubitare, quin Scaurus Commentarium in Virgilium scripserit; quamquam duo tantum sunt

(1) Qui adeo in Catalogo auctorum a Servio citatorum (ante editionem Basil.) scribit « *Hunc inter interpretes Vergilii, nescio quo auctore, ponit Lilius Gyraldus.*"

sunt scholia, eaque lacera, quibus dubitata quaestio dirimi possit:

ad Aen. IV. 146. CRETES. SCAURUS. *Quia responso accepto ex insula Creta profecti . . . et ducem secuti Delphum Phocidam tenuisse dicuntur, atque ab eo se Delphos nominasse, ut Phalarc . . .*

ad Aen. V. 95. INCERTUS GENIUMNE LOCI. SCAURUS. *Erudite; nam ait ex medullis corporum anguis nasci, ut equorum . . . et vitulorum apes e visceribus effervescunt . . . danti, qui eos in monumentis defodibant. Sandra* (1) *de antiquitate verborum libro III. ait . . . » dracones genu . . . accipi pro locorum geniis, ideoque loc . . . go bene accipere pii . . ." Unde etiam Persius* [I. 112.] *« Veto quisquam faxit oletum. Pinge duos angues: pueri, sacer est locus" ... apud Ciceronem de natura Deorum ·LT·* (2) *ubi de Cleomene lacedaemonio.*

Ceterum Scaurus insignem locum inter Veteres Gram-

(1) Majus corrigit *Santra*, ut alibi hoc nomen scribitur et in Scholiis Veronensibus ad Aen II. 171. Monente eodem, Santrae de antiquitate verborum liber II. citatur a Festo in v. *nuncupata pecunia* et in v. *recinium*. Liber IV. a Nonio in v. *genialis*.

(2) Majus explicat *libro tertio*, quem librum mutilum esse constat. Rem autem Eruditis considerandam permittit. In codice quidem est ·I T· cujus compendii prior litera modo I. modo L. videbatur. Si I. intelligatur, censet explicandum *item*.

Grammaticos tenet. Ausonius Epist. XVIII. ipsum memorat una cum Clarani, Aspri, Varronis nominibus: eumque saepius in partes vocat Diomedes. Scripta ipsius perierunt, praeter librum *de Orthographia*, quem editum habemus a Putschio p. 2250—2266. Scripserat quoque librum *de Caesellii erroribus*, memoratum Gellio L. XI. c. 15. ubi Scaurus vocatur *Grammaticus vel nobilissimus divi Hadriani temporibus*.

§. 18.

Urbanus.

Urbani nomen est fere inauditum; neque quidquam de eo scriptore constat, praeterquam quod Servio antiquior fuisse videatur. Non tamen dubitamus ipsum inter Virgilii interpretes referre, quandoquidem frequenter ipsius mentio fiat in Servii Commentariis, cujus quidem aetate superstites esse debuerunt Urbani lucubrationes.

Fragmenta, quae Servius inde servavit, hujusmodi sunt:

ad Ge. II. 424. GRAVIDAS CUM VOMERE FRUGES. Cum *abundat; nam hoc dicit: Subministrat fruges vomere i. e. per vomerem. Ennius* [p. 66. edit. Hess.] „*Effundit voces proprio cum pectore sancto.*" *i. e. proprio pectore. Nam* cum *vacat. Urbanus tamen sic accipit: Gravidas cum vomere, i. e. statim post arationem.*

ad Aen. IV. 384. SEQUAR ATRIS IGNIBUS. *Alii Furia-*

riarum facibus dicunt; hoc est: invocatas tibi immittam Diras. Alii sociorum facibus dicunt, ut paulo post [vs. 594.] »*Ferte citi flammas.*" *Melius tamen est, ut secundum Urbanum accipiamus* Atris ignibus, *rogalibus, qui nisi tempestatem significant, ut Aeneae, sicut in quinto* [vs. 7.] *legimus, contigit.*

ad Aen. IV. 469. Agmina Pentheus. *Aut impetus: — aut secundum Urbanum, agmina serpentium.*

ad Aen. IV. 548. Tu prima furentem. *Urbanus hoc dividit, licet alii jungant: et vult, hunc esse sensum: Tu persuasisti, ut nuberem, victa lacrimis meis: tu etiam nunc me his oneras malis. Nam me olim occidissem, nisi te deserere formidarem.*

ad Aen. IV. 624. Nec foedera sunto. *Urbanus dicit, verbo eum juris usum propter odia hereditaria.*

ad Aen. V. 493. Modo. *Id est, nuper: nam ut supra diximus, victor fuit duorum. Urbanus vero dicit* modo, *propemodum, paene: nam secundus fuit.*

ad Aen. V. 517. Vitamque reliquit in astris. *Unde sumserat vitam; ut* [Aen. VI. 728.] »*Hinc hominum pecudumque genus, vitaeque volantum.*" *Sane ex hoc sciendum, hunc totum locum ab Homero esse sumtum. Unde inanis est vituperatio Aeneae, quod suspenderit avem maternam.*

Nam

Nam et res est translata simpliciter: et quamcunque suspendisset avem, in hanc incideret vituperationem. Nulla enim avis caret consecratione, quia singulae aves numinibus sunt consecratae. Quamquam Urbanus dicat, matrem citius potuisse placari.

ad Aen. VI. 609. ET FRAUS INNEXA CLIENTI. *Ex lege Duodecim Tabularum venit, in quibus scriptum est: « Patronus si clienti fraudem fecerit sacer esto." Si enim clientes quasi colentes sunt, patroni quasi patres, tantumdem est clientem, quantum filium, fallere. Et hoc posse fieri ex Horatii* [Carm. II. 18. 24.] *dictis intelligimus, qui, cum loqueretur de avaris potentibus, ait de vicino cliente: « Revellis agri terminos, et ultra Limites clientium Salis avarus? Pellitur paternos in sinu ferens Deos." Urbano tamen hoc displicet: et dicit, rarum esse hoc magisque contrarium, cum magis patronos decipiant frequenter clientes. Vult autem intelligi praevaricatores, qui patroni sunt clientum, quos nunc susceptos vocamus.*

ad Aen. VII. 556. REX IPSE LATINUS. *Urbanus totum hunc locum accipit per interrogationem:* Terrorum et fraudis abunde est? Stant belli causae? *ut Terentii illud* [. .] » *Quia plus cupio, minus credo." et* [Adelph. IV. 5. 64.] » *Quia tam*

tum misère cupio eo vertor magis."

ad Aen. IX. 391. Iter omne revolvens. *Urbanus haecasque verba Nisi vult esse; alii poëtae dant*: Rursus perplexum iter omne revolvens.

ad Aen. X. 661. Illum autem Aeneas absentem in proelia poscit. *Sic melius, quam sicut nonnulli volunt*: Ille autem Aenean absentem in proelia poscit: *quasi ad Turnum possit referri*: Obvia multa virum demittit corpora morti: *quod Urbanus divi arbitratur de nautis in navi inventis; quod non procedit: nam absens dicitur, qui recedit; quod nunc Turno congruit, non Aeneae, qui interest praeliis.*

Praeter Servium etiam Pomponius Sabinus frequenter Urbanum in partes suas vocat. Hic vero non alia fragmenta memorat, quam quae Servius memoravit: praeter unum (ad Aen. V. 488.) quod in Servianis non reperi. Dubito igitur affirmare, Urbani Commentarios Pomponii aetate superstites fuisse: quem adeo suspicor ista debere Servio. Pomponii tamen loca colligemus. Sunt autem haec:

ad Aen. IV. 384. Sequar atris ignibus. *Urbanus sic intelligit, ut Dido declaret genus mortis, id est, occidam me, et regalibus* (leg. rogalibus) *ignibus te persequar absens, id est, mortua. Horatius* [Carm. IV. 12. 26.] »*Nigrorumque memor, dum licet, ignium.*"

ad Aen. IV. 469. Agmina Pentheus. *Urbanus legit* anguina (sic) serpentum.

ad Aen. IV. 548. Tu lacrimis. *In principio hujus quarti voluminis Anna victa lacrimis Didoni suasit ut nuberet. Urbanus sic legit: Tu lacrimis evicta meis, persuasisti nubere: tu etiam oneras me his malis.*

ad Aen. IV. 624. Sunto. *Ut nunquam fuerunt foedera inter Romanos et Carthaginienses.* Sunto, *verbum juris est, ut ait Urbanus: quia loquitur Dido de haeredibus.*

ad Aen. V. 488. Columbam. *Quaeritur quare posuerit* columbam, *cum sit sacra Veneri. Respondet Urbanus, aves omnes consecratas esse Diis, et posuisse columbam, quia mater a filio facilius placaretur.*

ad Aen. V. 493. Modo. *Urbanus pro* propemodum *exponit.*

ad Aen. VI. 609. Clienti. *In XII Tabulis cautum est: Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto. Urbanus intelligit praevaricationes* (leg. praevaricatores), *qui fraudant clientes, non patronos.*

ad Aen. VII. 555. Talia connubia. *Per interrogationem omnia haec ut legantur, vult Urbanus.*

ad Aen. IX. 391. Rursus iter omne revolvens. *Ego rursus revolvens iter fallacis sylvae, qua via sequar te o Euryale: simul haec dicens, vestigia retro legit. Sic Urbanus ait.*

Ex fragmentis, quae memoravimus, apparet, Urbanum in Commentariis suis praecipue grammaticam interpretationem spectasse. Licet vero suspica-

cari ipsum et criticam emendationem non omnino intactam reliquisse.

§. 19.

Anonymi Commentatores.

Tandem hic quoque memorandi sunt antiqui Commentatores, qui, non additis nominibus, passim a Servio citantur. Quemadmodum:

ad Ecl. VI, 11. NEC PHOEBO GRATIOR ULLA EST. *Nec enim pagina ulla Apollini est gratior, quam quae Vari nomen gestat in titulo. Quod ideo dicit, quia hanc Eclogam constat in honorem Vari esse perscriptam. Dicitur autem ingenti favore a Virgilio esse recitata: adeo ut, cum eam postea Cytheris meretrix cantasset in theatro, quam in fine Lycoridem vocat, stupefactus Cicero, cujus esset, requireret, et cum eum tandem aliquando agnovisset, dixisse dicatur et ad suam et ad illius laudem* Magnae spes altera Romae. *Quod iste postea* [Aen. XII. 168.] *ad Ascanium transtulit, sicut Commentatores loquuntur.*

ad Ge. I. 147. PRIMA. *Prima Ceres omne agriculturae genus hominibus indicavit. Superfluo enim quaestionem movent quidam Commentarii, dicentes Osirim vel Triptolemum aratrum invenisse. Nam aliud est, unam rem invenire, et aliud,*

omnem agriculturam docere: quod fecit Ceres.

ad Aen. VI. 860. TERTIAQUE ARMA PATRI SUSPENDET CAPTA QUIRINO. *Varie de hoc loco tractant Commentatores, Numae legis immemores, cujus facit mentionem et Livius* [..].

ad Aen. VII. 543. ET CONVEXA PER AURAS. *Dicit quidam Commentarius* convecta *legendum, ut sit* ipsa convecta; *quod difficile in exemplaribus invenitur.*

ad Aen. IX. 745. VULNUS SATURNIA JUNO DETORSIT VENIENS. *Plerique, sed non idonei, Commentatores dicunt hoc loco occisum Turnum: sed causa oeconomiae gloriam a Poëta Aeneae esse servatam: quod falsum est.*

Adde Pomponium Sabinum, qui non additis nominibus, loquitur de iis *qui exponunt Virgilium ex antiquis*, hoc scholio:

ad Aen. VII. 565. AMSANCTI. *Amsanctus dicitur, quasi circumsanctus, id est, undique sacer. Locus est in Hirpinis, ut Plinius* [Hist. Nat. L. II. c. 95.] *meminit, in quo specus est cum pestifera exhalatione: ideo putatum est illinc esse descensum ad Tartarum: inter montes est, per quos Melphes amnis praecipiti lapsu fertur. Hirpini, Samnitica gens, sunt ita appellati, quod in deducenda colonia oblatus est lupus, quem Samnites hirpum vocant. Qui exponunt Virgilium ex antiquis, idem sentiunt.*

Fie-

Fieri potest, ut Servius ipse horum Commentatorum nomina ignoraverit; sed probabilius mihi quidem videtur opinari, hic intelligendos esse nonnullos eorum, de quibus jam exposuimus.

Quorum nomina hucusque memoravimus, ii nostra opinione interpretum nomen merentur, quippe quos data opera in Virgilium commentatos esse satis probabilis Veterum mentio declaret. Restat eos memorare, qui perperam in Virgilianorum interpretum numero habentur. Non enim hoc nomen isti sibi merito vindicant, Grammatici et Rhetores, qui, quodvis aliud agentes, passim verba ex Virgilio interpretati sunt: nec magis alii, qui sive Elocutionum exempla, sive Declamationes, sive Themata de Virgilio elicuerunt: nec tandem ii, qui hic illic versum culpasse vel emendasse dicuntur.

§. 20.

Tucca et Varius.

In his itaque, quos perperam interpretum numero haberi putem, primo loco nominandi sunt Tucca et Varius, qui, quippe Virgilii aequales, aetate antecesserunt. Reliquos, incertae plerosque aetatis, Heynii exemplo, ad alphabeticum ordinem memorabimus.

Plotium igitur Tuccam et L. Varium parum subtili judicio inter Virgilii interpretes referri, recte opinatur Heynius. Est quidem vetus traditio, qua narratur, his poëtae amicis negotium ab Augusto da-

datum esse, ut Aeneidem emendarent; et sicuti Donatus tradit in Vita Virgil. §. 53. Virgilius iis *scripta sua, sub ea conditione, legavit, ne quid adderent, quod a se editum non esset; et versus etiam imperfectos, si qui erant, relinquerent* (1). Et talem operam, prout Virgilius petiverat, religiose illos praestitisse, mox addit Donatus §. 59. *Nihil igitur*, ita scribit, *auctore Augusto Varius addidit, quod et Maro praeceperat, sed summatim emendavit, ut qui versus etiam imperfectos, si qui erant, reliquerit* (2). Sed ut, hos Duumviros in emendando Virgilio operam suam collocasse, facile credam, non tamen ideo in interpretum numerum referri debent. Emendatoris enim et interpretis persona plurimum fuit valde diversa. Sic Caesarem emendavit, nec tamen interpretatus est Julius Celsus, Terentium Calliopius, Horatium Mavortius, alii alios: de quibus vide Peerlkampium in Epist. ad Descurium p. XXI.

Quam late autem patuerit Tuccae et Varii labor, non omnino constat; quippe cujus non nisi paucissima vestigia apud Grammaticos reperiuntur. Quae Servius memorat, haec sunt:

ad

(1) Hinc sua habet (quem Fabricius citat in Bibl. Lat. T. I. p. 315. x.) Abbas Urspergensis in Chron. p. 51. *Varius et Tucca, Virgilii et Horatii contubernales, poëtae habentur illustres; qui libros Aeneidum postea emendandos susceperunt ab Augusto, ea lege, ut nihil de suo adderent.*

(2) Tuccam tamen et Varium complures versus imperfectos supplevisse, alios detraxisse, ostendunt H. Stephanus in Diss. de Criticis p. 48. sqq. et P. Nannius L. VI. Miscell. c. XI. citati a Burmanno. Vid. supra p. 116.

ad Aen. II. 566. IGNIBUS AEGRA DEDERE. *Post hunc versum hi versus fuerunt, quos Tucca et Varus (1) obliti sunt: » Jamque adeo super unus eram.* etc. usque ad vs. 588. *Talia jactabam.*"

ad Aen. IV. 436. QUAM MIHI CUM DEDERIS. *Hanc lectionem Tucca et Varus probant: nam male quidam legunt* dederit.

ad Aen. V. 871. NUDUS IN IGNOTA. *Sciendum sane, Tuccam et Varum hunc finem quinti esse voluisse: nam a Virgilio duo versus sequentes huic juncti fuerunt: unde in nonnullis antiquis Codicibus sexti initium est:* » Obvertunt pelago proras: tum dente tenaci."

ad Aen. VII. 464. FURIT INTUS AQUAI. *Hanc diaeresin Tucca et Varus fecerunt; nam Virgilius sic reliquerat:* » Furit intus aquae vis."

Praeterea, referente Donato §. 60. *Nisus, grammaticus, audisse se a senioribus dicebat, Varium duorum librorum ordinem commutasse, et, qui tum secundus erat, in tertium locum transtulisse: etiam primi libri correxisse principium, his demtis versibus:* » Ille ego, qui quondam etc. — horrentia Martis."

Sed praeter haec paucissima indicia, et quorum quae Nisus narrasse dicitur, satis ficta videntur, prae-

(1) Grammaticos subinde *Varium* cum *Varo* miscere, docuit Heynius in Excursu ad Eclog. VI. Cf. Vossius de Poët. Latin. p. 27. et Rutgers. in Lect. Venus. c. 3.

praecipuam quidem Tuccae et Varii laboris partem ignoramus; nec tamen probabile est ipsos in Virgilium commentatos esse. Probus quidem, referente Pomponio Sabino, Tuccae Commentarios memorat:

ad Aen. VI. 2. Et tandem. *Probus, his duobus versibus, inquit, finitur hic liber in Tuccae et Cornelianis Commentariis.*

At vero hic non Commentarios Grammaticos, sed Aeneidos apographa sive editiones intelligi oportere, mihi quidem satis persuasum est. Qui itaque Tuccam et Varium inter Virgilii interpretes retulerunt, ipsi videant, quo jure fecerint.

§. 21.

Adamantius Martyrius.

Burmannus non dubitavit dicere, Adamantium Martyrium in Virgilium commentatum esse; sed rectius, ut opinor, vidit Heynius, hunc nullo jure inter Virgilii Commentatores haberi. Illud quidem certum est, nulla testimonia a Burmanno afferri, quibus ea res probetur; sic ille disputat: „*Adamantius Martyrius, cujus nonnulla exstant apud Cassiodorum de Orthogr. V. p. 2295. etiam in Virgilium commentatus est: ejusque meminit saepe Pierius in notis, ut ad Ecl. II. 45 et 48. et VIII. Aen. 642 et X. 205.*"

Cassiodorus autem in libro de Orthographia servavit quidem aliquot fragmenta ex Adamantii Martyrii operibus; nam c. V. inscribitur *Ex Adamantio*

tio Martyrio de V. et B. c. VI. *Ex Eodem de modiis syllabis.* c. VII. *Ex eodem de ultimis syllabis.* c. VIII. *Ex eodem de B litera trifariam in nomine posita:* eaque fragmenta nuper auxit A. Majus in Parergo ad Frontonis editionem T. II. p. 548. sed neque in Cassiodori neque in ipsis Adamantii verbis quidquam est, quod ansam praebere possit suspicioni hunc in Virgilium commentatum esse.

Et quod Pierium attinet: citat ille saepius Adamantii auctoritatem, inprimis ubi de literarum B et V commutatione disputat, sed non alia significare potuit quam ea, quae apud Cassiodorum leguntur.

§. 22.

Aemilius.

Post Adamantii Martyrii commemorationem in Heynii catalogo sequitur: » *Aemilius, apud Pompon. Sab. ad Aen. XI. 696. ubi v. verba in V. L. Nihil de eo aliunde constat.*" In Variis Lectionibus ad eum locum Heynius ait: » *Aemilius qui sit, equidem adhuc ignoro.*"

Mihi vero hoc nomen non peculiarem commemorationem mereri videtur. Suspicor enim a Pomponio Sabino non alium significari quam Aemilium Asperum, qui, ut apud illum modo *Asper*, modo *Aemilius Asper*, vocatur, h. l. videtur solo praenomine *Aemilius* appellari (1).

§.

(1) Pomp. Sabini locum propterea non dubitavimus in-

§. 23.

Arrianus.

Georg. Fabricius, cujus disputationem supra retulimus, memorat quoque „*Arrianum, qui Tiberii temporibus metaphrasin Georgicorum edidit.*" Hunc tamen immerito inter Virgilii Scholiastas referri, fateberis, si dixero Arriani laborem, qui jam pridem intercidit, non alium fuisse quam ut Georgicorum libros Graeco carmine epico donaverit. Cujus notitiae testimonium extat apud Suidam in v. Ἀῤῥιανὸς, ἐποποιὸς, μετάφρασιν τῶν Γεωργικῶν τοῦ Βεργιλλίου ἐπικῶς ποιήσας.

§. 24.

Arusianus Messus.

Arusianum Messum, quem Burmannus inter antiquos Virgilii interpretes haberi voluit, equidem non magis inter Virgilii quam inter Terentii aut Ciceronis aut Sallustii interpretes habendum esse censeo: utpote quem nequaquam Scholiastae nomen sibi vindicare arbitror. Scripsit ille *Exempla Elocutionum ex Virgilio, Sallustio, Terentio, Cicerone per literas digesta;* cui libro hanc, ut videtur, ob causam *Quadrigae* nomen datum est, quod in annotandis, quae apud hos *quatuor* auctores obviae

inter Aemilii Aspri fragmenta recensere §. 9. p. 132.

vitae sunt, phrasibus minus usitatis, occupetur. Speciminis causa initium libelli ponimus:

Abundans illius rei. Virgil. Ecl. II. 20. *Nivei quam lactis abundans.*

Abundans illa re. Cic. pro Cornelio [in Fragm.] *Quis tam abundans copiis.*

Abundat illa re. Idem pro Cluentio 65. *Mulier abundat audacia.*

Abunde est hujus rei. Virg. Aen. VII. 552. *Terrorum et fraudis abunde est.*

Ardet illa re. Idem XI. 782. *Femineo praedae et spoliorum ardebat amore.*

Ardet illam rem. Idem Ecl. II. 1. *Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.*

Ardet in illa re. Sall. Bell. Cat. 5. *Ardens in cupiditatibus.*

Ardet in illam rem. Virg. Aen. VII. 623. *Ardet in excitam Ausoniam.*

et sic fere totum Alphabetum percurritur. Vides itaque, hujusmodi scriptionis auctorem aegre inter Scholiastas, imo vero inter Lexicographos referendum esse.

Citantur in isto libello multa fragmenta Ciceronis et Sallustii, quae in eorum operibus frustra quaeruntur. Multum itaque inde lucrari potuit Ludovicus Carrio ubi Sallustii fragmenta colligeret: ut et Carolus Sigonius et Andreas Patricius, Ciceronis fragmenta colligentes; quorum adeo opera effecisse videtur ut hicce libellus, post delibata inde, quibus potissimum laudem suam merebatur, nunc exhaus-

haustus et fere nullius fructus videatur (1). Atqui enim, ita Niebuhrius (in Edit. Reliquiarum Frontonis) judicat, *Nullus exstat liber, cui de suo minus attulerit auctor: neque enim ejus, praeter lemmata, verbum ibi invenies, uno fortasse excepto loco: sed ibi quoque ita barbarus est sermo, ut a vetere scriptore profecta esse nequeant* (2).

Diu iste libellus in Bibliothecarum pulvere latuit, et deinde longo temporis intervallo mansit privatis virorum doctorum armariis pressus, sicuti queritur Burmannus in Comment. de Vita Nic. Heinsii p. IX. et demum ante aliquot annos in lucem protractus est ab Angelo Majo (ad calcem edit. Frontonis T. II. p. 487.) qui tamen hunc perperam Arusiano Messo tribui, verum potius Frontoni asserendum esse opinatur (3).

An-

(1) Post repertum vero Neapolitanum exemplar, denuo accessisse huic libello, quo utilis esse possit, opinatur Orellius ad Cic. Orat. pro Plancio (peculiariter editam Lipsiae 1825) c. I. p. 11. Cf. etiam Heinrich. ad Cic. Orat. pro Scauro §. 10. p. 3.

(2) Niebuhrius hanc significat enunciationem: « Detraho de te. Cicero pro Scauro: *Nihil Sardos Appio gratius esse facturos, quam si de Scauri fama detraxerint.* Volunt quidam distantiam esse, ut lacerare famam, de illo detrahere sit, sed falso. Nam Cicero." cet.

(3) Maji opinionem refutavit Niebuhrius argumento, quod, si hujusmodi librum scribere voluisset Fronto, longe alios scriptores adhibiturus fuisset: « *Jam vero*, sic argumentatur Niebuhrius, *postquam Frontonis de Romani sermonis auctoribus judicium innotuit, qui de Virgilio et Terentio taceat, Ciceronem antiquioribus certe non prae-*

Ante Majum, atque adeo jam superiore seculo exeunte, hunc libellum edere coeperat Petrus Bondamus, Trajectinae Academiae Professor, teste Saxio in Onom. Lit. T. I. p. 511 (1). Sed coeptam hujus, ut et quam aliis Putschiani corporis Grammaticis (2) destinaverat, editionem, quominus absolvere potuerit, morte fuit prohibitus: Vid. Saxius l. c. T. VIII. p. 97. Cujus quidem duo priora folia, majori forma typis descripta et aliae ad hanc editionem pertinentes ejusdem doctissimi viri Schedae MSS., ut ne reliquis, quos Bibliotheca Leidensis possidet, Bondamianae doctrinae thesauris, deessent, nuper fecit Geelii V. Cl. vigilantissima cura (3). Ce-

ferat, quis illum credat, si hujus generis libro consarcinando operam dicasset, non Catonem potius illum suum, Enniumque cum C. Crispo adhibiturum fuisse?

(1) Hoc non ignorabat Majus; qui adeo magnopere avebat Bondami laborem videre: « *Eam coeptam Editionem*, sic scribit p. 486. *equidem videre mirifice cupio, sed eâdem incommodissime careo, neque porro Editio mea Frontonianorum Operum moras patitur.*"

(2) Capti a se consilii mentionem facit in Praef. ad Variarum Lectionum Libros, Zutphaniae editos a. 1759.

(3) Quantum ex istis duobus foliis, quae Geelii humanitas libenter mihi concessit inspicienda, judicare licet, Bondamus spissiore, quam qualem Grammaticus tam tenuis mereri videtur, Commentario, sed insignis doctrinae pleno, hunc libellum ornare instituerat. In iis, quae typis descriptae sunt, annotationibus, cum magnae doctrinae apparatu disputatur de ipso auctore; de Comitivae primi ordinis, quam hic in titulo libelli sui jactat, dignitate; de ipso libelli titulo; et de verosimili auctoris aetate: quam opinatur medio seculo quinto vel ad finem vergente, incidisse, ita

Ceterum perquam gaudemus, hunc libellum, sed plus quam dimidia parte auctiorem ex Gudii apographo, nuper repetitum esse a Fr. Lindemanno in Corpore Grammaticorum Latinorum Veterum T. I. (Lipsiae 1831.) p. 199—266.

§. 25.

Asconius Pedianus.

Asconium Pedianum primus, ni fallor, inter Virgilii interpretes retulit J. A. Fabricius in Bibl. Lat. T. II. p. 68. qui tamen, cujusnam hac in re sequatur auctoritatem, non addit. Et vereor ut satis idoneam habuerit. Citantur quidem a veteribus Scholiastis nonnulla Asconii nomine, quae, quum ad Virgilii interpretationem pertineant, suspicionem movere possint, Asconium Commentarios in Virgilium scripsisse. Cujusmodi hoc est, quod in editis Probi Scholiis reperitur:

ad Ecl. I. 1. Tityre. *Nec mirandum, quod infra se senem dicit, cum certum sit, eum, ut A. Pedianus dicit, XXVIII annos natum, Bucolica edidisse;*

tum haec, quae apud Servium leguntur:

ad Ecl. III. 105. Tris pateat coeli. *Asconius Pedianus dicit, se Virgilium dicentem audisse, in hoc loco se Grammaticis cru-*

ita ut Arusianum Messum, si non paulo antiquiorem, saltem Cassiodorio aetate parem fuisse, statuendum sit. Cujus opinionis argumentum habebat in testimonio Cassiodorii de inst. div. liter. Cap XV. Oper. Tom. II. p. 517. B quod nec Majus, nec Niebuhrius, nec denique Lindemannus cognovit.

crucem fixisse, volens experiri, quis eorum studiosior inveniretur; volens intelligi de Caelio Mantuano, ut supra dictum est (1).

ad Ecl. IV. 11. Incipit. *Quidam Saloninum, Pollionis filium, accipiunt. Alii Asinium Gallum, fratrem Salonini, qui prius natus est, Pollione Consule designato. Asconius Pedianus a Gallo audisse se refert, hanc eclogam in honorem suum factam.*

Sed quum nulla sit diserta hujus rei memoria, equidem his indiciis non moveor ut credam Asconium Commentarios in Virgilium scripsisse: et facile Heynio assentior, opinanti ea omnia, quae in tribus istis scholiis Asconius tradidisse dicatur, tradi potuisse in libello, *contra obtrectatores Virgilii*; qualem ab Asconio scriptum esse narrat Donatus in Vita Virgilii §. 64. » *Asconius Pedianus, libro quem contra obtrectatores Virgilii scripsit, pauca admodum ei objecta ponit: et potissimum quod non recte historiam contexuit, et quod pleraque ab Homero sumsit. Sed hoc crimen (ipsum) sic defendere assuetum ait:* » *Cur non illi quoque eadem furta tentarent? Verum intellecturos, facilius esse Herculi clavam, quam Homero*

(1) Idem, verbis paulum immutatis, legitur in Philargyrii Scholiis: « *Item Asconius Pedianus ait, se audisse Virgilium dicentem, in hoc loco se Grammaticis crucem fixisse, quaesituros eos, si quid studiosius occultaretur. Dicit autem poëta Caelium Mantuanum.*"

ro versum surripere." et tamen destinasse secedere, ut omnia ad satietatem malevolorum decideret (1). *Refert etiam Pedianus, benignum, cultoremque omnium bonorum atque eruditorum fuisse, et usque adeo invidiae expertem, ut, si quid erudite dictum inspiceret alterius, non minus gauderet, ac si suum fuisset; neminem vituperare, laudare bonos: ea humanitate esse, ut, nisi perversus maxime, quisque illum non diligeret modo, sed amaret."* Operae pretium erat integrum Donati locum apponere: quo lecto, quid diffitear? mihi quidem sic animus summa optimi poëtae veneratione affectus est, ut insignem sentiat dolorem, quod tam digni vindicatoris opera perierit. Ex isto itaque libro opinor petita esse, quae Probus et Servius, Asconii nomine, referunt.

Utrum Asconius ad omnium, quotquot Donatus Virgilio obtigisse narrat, obtrectatorum criminationes responderit, incertum est: incertumque manebit, donec plenior quaedam hujus libri notitia reperiatur. Si Donatum audias, narrantem: » non defuisse Virgilio obtrectatores, prolatis Bucolicis innominatum quemdam rescripsisse Antibucolica, Carvilium Pictorem scripsisse Aeneidomastigem, Vipsanium appellasse Virgilium novae κακοζηλίας repertorem, Herennium vitia, Perilium Faustinum furta Virgilii contraxisse, Octavium Avitum annotasse quos versus aliunde transtulerit" et continuo his addentem *Asconius Pe-*

(1) Heynius legendum censet: *et tamen destinasse se, cedere, ut omnia ad satietatem malevolorum recideret.*

Pedianus pauca admodum ei objecta ponit; et potissimum, quod non recte historiam contexuit; et quod pleraque ab Homero sumsit, dixeris fore, Asconium, posthabitis aliorum criminationibus, ad duo tantum; quae optimo poëtae objecta essent, vitia respondisse. Quod si ita sit, Asconius Herennium et Perilium Faustinum et fortasse etiam Octavium Avitum refutasse videbitur: reliquos autem, id est Antibucolicorum scriptorem, Carvilium Pictorem et Vipsanium Agrippam reliquisse intactos.

Sed non tantum artis, verum etiam morum vitia, quae a malevolis passim Virgilio objecta fuerint, Asconium in libro suo refutasse, suspicari licet ex eodem Donato. Hic enim, ubi §. 21. narraverat vulgatum fuisse, Virgilium *consuevisse cum Plotia Hieria*, continuo addit: *sed Asconius Pedianus affirmat, ipsam postea majorem natu narrare solitam, invitatum quidem a Vario ad communionem sui, verum pertinacissime recusasse.* Quae verba indicare videntur, Asconium etiam ad hanc criminationem respondisse.

Quo tempore Asconii liber desiderari coeperit non patet; vix tamen dubito dicere, ipsum Donati aetate superstitem fuisse. Madvigius in Disput. de Asconio p. 29. negat, Donatum, quae de Virgilio tradiderit, ex ipso Asconii libro hausisse; sed Vir Doct. non addit, quas habeat suae opinionis rationes. Verius, me quidem judice, Weichertus in Poët. Lat. Reliq. p. 274. opinatus est, Donatum ipsam Asconii operam consuluisse. *Primum enim*, sic ille argumentatur, *Donatus illius libri titulum solus commemoravit; deinde, quoties Asconii testimonio*

 usus

utus est, de eo tamquam auctore ac teste locutus est, quem ipse consuluerit, ut §. 25. „Sed Asconius Pedianus affirmat." *et* §. 65. „Refert etiam Pedianus." *Quis credat, Donatum ita scribere posse de rebus, quas ipse ab antiquioribus Grammaticis traditas acceperit? Denique non video, cur Donato illius libri copia fieri non potuerit?*

Non tamen ausim affirmare istum fuisse Pomponii Sabini aetate superstitem. Quae hic enim, ipsius nomine, citat, partim ex Probo et Donato potuit haurire, partim ad alium Asconii laborem pertinent. Pomponii loca haec sunt:

ad Ecl. I. 1. Tityre tu. *Asconius Pedianus ait Virgilium edidisse Bucolica annos natum XXVIII* (1).

ad Ecl. II. 14. Amaryllidis. *Amaryllida fuisse Plitiam* (sic) *Hieriam aiunt, cum qua vulgatum fuit poëtam coisse. Sed Pedianus Asconius scribit, illam affirmasse, juramento invitatum Virgilium ab Alpheno Varo ad talem libidinem, pertinacissime recusasse* (2).

ad Ecl. IV. 12. Magni menses. *Id est, aurea secula. Asconius Pedianus libro secundo De Praetura urbana* (3), *putat Virgilium*

(1) Hoc sine dubio hausit e Probi scholio ad h. l.

(2) Haec potuit habere e Donati Vit. Virg. §. 21. cujus verba supra exhibuimus.

(3) Haec igitur non in libro contra obtrectatores Virgilii scripta fuerint, sed in Commentariis ad Ciceronis Orationes, in quibus haec etiam-

lium intellexisse de Julio et Augusto, qui tunc a Divo Julio et Augusto Caesare nomina acceperant. Antea a numero dicebantur Quintilis et Sextilis.

ad Ecl. IX. 47. Ecce Dionaei. *Dione, ut inquit Pedianus, mater est Veneris: hoc astrum cometes fuit* (1).

ad Aen. VI. 856. Spoliis Marcellus. *Nepos ejus, qui periit dum naves in Africam trajiceret, monumentum erexit, ut Pedianus Asconius ait, cum tali titulo: Hic siti sunt Marcelli* (leg. tres M.) *novies Consules, avus quinquies, filius semel, nepos ter* (2).

ad Aen. X. 466. Stat sua cuique dies. Dies *feminino genere, pro tempore non constitu-*

etiamnum prostant ad Act. I. in Verrem §. 31. p. 56. (p. 162. Orell.) nonae sextiles. Sextiles, *Augustas*; Quintiles, *Julias*. *Nondum enim nomina de Imperatoribus sumpserant: propter quam mutationem nominum Virgilius* [Ecl. IV. 12.] *ait: « Et incipient magni procedere menses.»*

(1) De *Dione* non memini me legere in Commentariis ad Ciceronem. Nec tamen ideo crediderim, haec esse ex libro contra obtrectatores Virgilii. Ex quo, si hunc cognovisset Pomponius Sabinus, vix dubium est, quin plura memoraturus fuisset.

(2) Sed quae de Marcello exposuisse Asconium dicit Pomponius Sabinus sine dubio hausit ex hujus Commentariis ad Orat. contra Pisonem §. 44. p. 163. (p. 12. Orell.) m. marcellus, qui ter consul fuit. *Fortasse quaeratis, quem dicat Marcellum. Fuit autem nepos M. Marcelli ejus, qui bello Punico secundo Syracusas vicit et quinque consulatus adeptus est. Hic autem Marcellus, de*

tuto: masculino, pro tempore duodecim horarum, ut Pedianus meminit (1).

Si vero ea, quae Probus et Servius, Asconii nomine, citant, ex isto libro desumta sint, verosimile est, Asconium, dum Mantuanum poëtam a malevolorum obtrectationibus defenderet, subinde nonnihil scripsisse, quod, nisi temporis injuria periisset, Virgilianorum poëmatum interpretationi inservire potuisset. At vero vel sic tamen ipsum inter Virgilii interpretes non referendum esse censeo.

§. 26.

D. Augustinus.

Augustini mentionem non fecissem nisi Ge. Fabricius hujus nomen memorasset inter eos qui antique aevo Virgilianorum poëmatum interpretationi operam suam praestiterunt: » *Neque defuerunt*, in-

de quo Cicero dicit, naufragio ad ipsam Africam periit paulo ante coeptum bellum Punicum tertium. Idem cum statuas sibi ac patri itemque avo poneret, in monumento avi sui ad Honoris et Virtutis aedem, subscripsit: III. Marcelli Novies Coss. avus quinquies, pater semel: itaque neque mentitus est et apud imperitiores patris sui splendorem auxit.

(1) Haec iterum ex Commentariis ad Act. I. in Verrem §. 6. p. 44. (p. 128. Orell.) ubi etiamnum haec leguntur: DIEM. Dies *feminino genere tempus, et ideo diminutive* diecula *dicitur breve tempus et mora. Dies horarum XII. generis masculini est: unde* hodie *dicimus, quasi* hoc die."

inquit ille in Praef. ad Virgil. *qui thematum inde materias et orationum argumenta auditoribus proposuerunt: unde declamationum Titiani et Calvi apud veteres fit mentio; et Divus ipse Augustinus se idem in Rhetorum scholis puerum fecisse confitetur, et, quod in eo ingenii gloriolam cupide nimis quaesiverit, jam senex dolet.*"

Quem auctorem Fabricius hac in re sequatur, nescio: sed si hoc vel in ipsis Augustini operibus, quod equidem reperire non potui, relatum inveniatur, nequaquam tamen propterea ipsum Virgilianorum interpretum numero habendum esse censuerim; cujus utpote laborem opiner nihil aliud fuisse nisi stili exercitium ab Augustino in juventute vel pueritia susceptum.

§. 27.

Avienus.

De Avieno s. Aviano, ut ab aliis vocatur, nihil quidquam certi pronuntiatum esse a Viris doctis, merito mirandum est, si reputes quot et qualium Criticorum ingenium ille scriptor exercuerit. Me quidem taedet Gyraldi, Pithoei, Rigaltii, Barthii, Vossii aliorumque lites referre; malo harum rerum studiosos ad Henr. Cannegieteri Disputationem ablegare, quam suae Aviani Fabularum editioni subjecit. Neque enim Avienus, etsi in Virgilio laborarit, Virgiliani interpretis nomen meretur: in quorum quippe numerum non alia de causa relatus est,

est, quam quod Virgilii fabulas jambis scripsisse dicatur a Servio:

ad Aen. X. 272. COMETAE. *Cometae latine Crinitae appellantur. Et Stoici dicunt has stellas esse ultra triginta duas: quarum nomina et effectus Avienus, qui jambis scripsit Virgilii fabulas, commemorat.*

ad Aen. X. 388. RHOETI DE GENTE VETUSTA ANCHEMOLUM. *Haec fabula in Latinis nunquam invenitur auctoribus. Avienus tamen, qui totum Virgilium et Livium jambis scripsit, hanc commemorat, dicens Graecam esse.*

Hoc vero, recte interpretante Heynio, nullum fundum facit, cui aliquid superstruas.

Referente eodem, *ingeniose Wernsdorf. ad Poët. Min. T. IV. p. 555. conjicit Aeneidem contractam in breve carmen fuisse; alio autem loco, T. V. p. 673. ad Themata Virgiliana Avieni operam revocat.*

§. 28.

Baebius Macer.

Hujus nomen memoratur in Servii Commentariis, duobus locis. *Ex neutro tamen loco*, ut Heynio assentior, *Commentatorem Virgilii agnoscas.* Servii loca haec sunt:

ad Ecl. IX. 47. ECCE DIONAEI PROCESSIT CAESARIS ASTRUM. *Cum Augustus Caesar ludos funebres patri celebraret, die medio stel-*

la

la apparuit: ille eam esse confirmavit parentis sui. Unde sunt isti versus compositi. Baebius Macer circa horam octavam stellam amplissimam, quasi * (leg. quasi stellam) *lemniscis coronatam, ortam dicit; quam quidam ad illustrandam gloriam Caesaris juvenis pertinere existimabant.* cet.

ad Aen. V. 556. Pressa corona. *Id est galea. Et sermone Homeri usus est. Nam galeam* στέφανον *dixit* [Iliad. VII. 12.] *et revera corona non potest intelligi, cum* [vs. 673.] *sequatur* » *Galeam ante pedes projecit inanem.*" *Sed alii dicunt, potuisse eos galeas habere coronatas. Baebius tamen Macer dicit, a Caesare Augusto pueris, qui luserant Trojam, donatas esse galeas, et bina hastilia: ad quod Virgilium constat adludere* (1).

A Fabio Planciade Fulgentio in Expositione Sermonum antiquorum, edita a Munckero inter Mythogr. Lat. p. 771. (edit. v. Stav.) Baebius Macer *Festalia Sacrorum* scripsisse dicitur. Ad vocem *Ambegnae oves* Fulgentius haec ait; » *Baebius Macer, qui Festalia Sacrorum scripsit, ait Junoni eas, quae geminos parerent, oves sacrifica-*

(1) Hinc sua iterum, non nominato auctore, duxit Pomponius Sabinus: « *Baebius Macer ait, Augustum dedisse pueris ludentibus Trojanam galeam, et bina hastilia: ad quam similitudinem dicunt Virgilium scripsisse hunc equestrem ludum.*"

pare cum duobus agnis altrinsecus religatis, quas oves ambegnas vocari, quasi ex utraque parte agnos habentes."

Fieri potest, ut ex eodem libro petita sint, quae Servius exposuit.

§. 29.

Calvus.

Hic etsi in Virgilio explicando aliquid laborarit, non tamen interpretis nomen mereri videtur: imo hunc in Rhetorum potius quam in Scholiastarum numerum referendum esse opinamur. Qualem autem operam Virgilio praestiterit, Servius indicat hoc memorabili scholio:

ad Aen. X. 18. O PATER, O HOMINUM. *Et Titianus et Calvus qui themata omnia de Virgilio elicuerunt et conformaverunt ad dicendi usum, in exemplo Controversiarum has duas posuerunt allocutiones, dicentes Venerem agere statu absolutivo, cum dicit Junoni: Tu causa fuisti periculorum his, quibus Italiam fata concesserant; Junonem vero niti statu relativo: per quem ostendit, Trojanos non sua causa laborare, sed Veneris* (1).

ex

(1) E Servio sua iterum Pomponius Sabinus ad h. l. « *Titianus et Calvus, qui themata omnia artis rhetoricae de Virgilio sumserunt, ad docendi consuetudinem, dicunt Venerem absoluto statu agere, cum dicit Junoni: Tu*

ex quo, quamquam paulum modo docemur, cujusmodi fuerit Calvi libellus, non est quod hariolemur ipsum in Virgilium commentatum esse.

In reliquis locis ubi Calvi nomen a Servio citatur (ad Ecl. VI. 47. VIII. 4. ad Aen. II. 632. IV. 58. XI. 169.), non hic significari videtur, sed Corn. Licinius Calvus, orator suo tempore celebris, amicus Catulli, cujus hic meminit Epigr. XIV.

Ceterum *Themata*, quas et *Dictiones* vocatas fuisse notat Sirmond. ad Sidon. p. 91. valde frequentata fuisse sequiori aevo styli exercitia, tam ligato quam soluto sermone, docent Barth. Adv. L. XVIII. c. 19. et Burm. ad Anth. Lat. I. Ep. 174. Add. Peerlkamp. in Epist. ad Descurium p. XVI.

§. 80.

Flavius Caper.

Hunc si immerito inter Virgilii interpretes referri dixero, non videbor, confido, inconsideratam sententiam pronuntiasse. Capri enim nomen aliquot quidem locis in Servii Commentariis citatur: horum tamen nullus probat ipsum scripsisse Commentarios in Virgilium; et ita quoque Heynius opinatur. Servii loca haec sunt:

ad

Tu causa fuisti periculorum his, quibus fata Italiam concesserant. Junonem vero contra statu niti relativo; per quem ostendit Trojanos non sua causa laborare, sed Veneris."

ad Aen. VI. 545. EXPLEBO NUMERUM. *Id est, diminuam numerum, explebo est minuam. Nam et Ennius* [p. 129. Hess.] *"Navibus explebant sese, terrasque replebant." Quem Caper secutus, cum de praepositione Ex tractaret, hoc exemplum posuit.*

ad Aen. IX. 709. ET CLYPEUM SUPERINTONAT INGENS. *Aut ipse ingens super clypeum intonat: aut ingentem clypeum super ipsum tonat. Nam lectum est etiam hoc clypeum, ut probat Caper: quod magis debemus accipere.*

ad Aen. XI. 788. A FEMINE. *Ut etiam supra* [ad vs. 344.] *diximus, secundum Caprum erit nominativus* hoc femen: *licet nusquam lectum sit, ut etiam ipse commemorat.*

ad Aen. XII. 120. VELATI LIMO. *Atqui Feciales et Pater patratus, per quos bella vel foedera confirmabantur, numquam utebantur vestibus lineis. Caper tamen et Hyginus hoc loco dicunt lectionem esse corruptam; nam Virgilium ita reliquisse confirmant:* Velati lino (1).

E postremo loco possit quis conficere Caprum, non minus quam Hyginum, Commentarios in Virgi-

(1) Haec iterum in Commentarium suum transtulit Pomponius Sabinus: *Lino*, inquit, *tegebantur omnes sacerdotes, praeter Feciales. Sed legendum est* limo, *ut Caper et Higinus sentiunt, et affirmant sic reliquisse Virgilium.*

gilium scripsisse. Sed in Hygini re accedebant aliorum testimonia. Neque est quod multum laboremus an Caper in alio quodam libro scripserit *linum* legendum esse pro *lino*, quandoquidem multi libri dicantur ab ipso scripti esse de quaestionibus grammaticis, in quibus commode admodum, aliud agens, corruptam Virgilii lectionem emendare potuit.

Quae in secundo Servii loco sunt, conjicio esse e Capri libris *Dubii Generis*, qui nominatim alibi a Servio citantur:

ad Aen. X. 377. MAGNA CLAUDIT NOS OBICE PONTUS. *Modo usus habet ut* hic obex *dicamus: unde quidam* magno obice *legunt. Antiqui etiam* haec obex *dicebant, secundum quod est* magna obice. *Hinc est, quod nonnulli vitant generis dubietatem, et legunt* magni, *scilicet* maris. *Caper tamen in libris Dubii Generis probat dici et* hic obex *et* haec obex: *quod, ut diximus, de usu recessit* (1).

Et quae tertio loco memorantur, procul dubio referenda sunt ad Capri libros *Enucleati sermonis*, quan-

(1) Capri libellus *de Verbis Dubiis* editus est a Putschio in Vet. Gramm. p. 2247—2250. quem tamen diversum opus esse opinor: neque enim ibi quidquam de *obice* nec de *clypeo* invenitur: accedit, quod Servius tenuem hanc disputationem, quae quatuor paginis absolvitur, inepte vocavisset *Libros Dubii Generis*; quo titulo majus volumen promittitur.

quandoquidem hos Servius paulo ante, de eodem vocabulo disputans, citet:

ad Aen. X. 344. MAGNIQUE FEMUR. Femur *dicimus: quia legitur, et declinatur* hujus femoris. *Illius vero ablativi non invenitur nominativus* [vs. 788.] *» Laetus Eripit a femine." Licet Caper in libris Enucleati Sermonis dicat* femen, *sed non ponit exemplum.*

Alia itaque desideramus testimonia, quae probent, Flavium Caprum Virgiliani interpretis personam egisse.

§. 31.

Carminius.

Carminii nomen (1) aliquot locis memoratur in Servii Commentariis, quae tamen, ut Heynius opinatur, vix probant Carminium in Virgilium scripsisse. Servii loca haec sunt:

ad Aen. V. 233. PALMAS UTRASQUE. *Diximus supra, antiquum hoc esse. Carminius tamen dicit, qui de Elocutionibus scripsit, per naturam vitiosam esse hanc elocutionem: et sive* utramque palmam *sive* utras-

(1) Hoc tamen, ut jam Georg. Fabricius in Catal. Auct. a Servio citatorum (ante edit. Basil.) monuit, in exemplaribus varie depravatum est, modo enim *Caprius*, modo *Carpius*, modo *Carpinius* legitur.

utrasque palmas *dixerimus, esse in aliquo usurpationem.*

ad Aen. VI. 638. Amoena vireta. *Virentia: et est satis usurpatum.* Amoena *autem, quae solum amorem praestant: vel, ut supra* [Aen. V. 734] *diximus, quasi* amunia, *hoc est, sine fructu, ut Varro* [...] *et Carminius docent.*

ad Aen. VI. 862. Egregium forma juvenem. *Tria sunt, secundum Carminium, pulchritudo, aetas, virtus. Significat autem Marcellum.*

ad Aen. VIII. 406. Conjugis infusus gremio. *Hoc est, ante concubuit, et sic quievit. Probus vero et Carminius, propter sensum cacephaton,* infusum *legunt, ut sit sensus: Dormiit cum conjuge dormiente* (1).

Potuerunt, igitur, Heynio judice, omnia illa in libro *de Elocutione* apposita esse, quem primo loco Servius nominatim citavit.

Praeter Servium nemo Veterum Carminii nomen memorat; apud Macrobium enim, ubi L. V. c. 19. citatur *Carminii curiosissimi et docti liber secundus de Italia*, lectionem corruptam et *Gratii* nomen legendum esse satis probabiliter conjectavit Meursius.

§.

(1) Non nominato auctore sua iterum e Servio duxit Pomponius Sabinus ad h. l. „*Probus et Carminius* infusum *legunt, ut soporem infusum in gremio, scilicet quod gremium Veneris soporem et quietem afferebat.*"

§. 82.

Carvilius Pictor, M. Vipsanius Agrippa, Herennius, Perilius Faustinus, Q. Octavius Avitus.

Hos quinque scriptores una commemorabimus; quandoquidem, quod de singulis dici possit, nihil peculiare habeamus. Et est unus Donati locus, qui declarat quo scriptionis genere quisque horum servaverit nominis sui famam. *Obtrectatores*, sic ait Donatus in Vita Virg. §. 61. *Virgilio nunquam defuerunt. Nec mirum. Nam nec Homero quidem. Prolatis Bucolicis Numitorius quidam rescripsit Antibucolica, duas modo Eclogas, sed insulsissime, παρῳδήσας, quarum prioris initium est:*

Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?

sequentis:

Dic mihi, Damoeta, cujum pecus, anne Latinum?
Non: verum Aegonis nostri sic rure loquuntur.

Alius, recitante eo ex Georgicis: Nudus ara, sere nudus, *subjecit*, habebis frigora, febrem (1). *Est et adversus Aeneida liber Carvilii Pictoris;*

(1) Eandem rem narrat Servius ad Ge. I. 299. Nudus ara. *Id est adeo sereno coelo, ut vestimentis non egeas. Sane quidam post hoc hemistichium dicitur subsecutus: « Habebis frigore* (sic) *febres.»*

ris, titulo Aeneidomastix. M. Vipsanius (1) *a Maecenate eum suppositum appellabat novae κακοζηλίας repertorem; non tumidae, neque exilis, sed ex communibus verbis, atque ideo latentis. Herennius tantum vitia ejus contraxit; Perilius Faustinus furta. Sunt et Q. Octavii Aviti Ὁμοιοτελεύτων octo volumina, quibus annotantur, quos et unde versus transtulerit.*

Horum omnium labores eam, qua digni essent, sortem expertos esse, parum est quod doleas. Et praeter Donatum, nemo Veterum, quod scio, quidquam inde memoravit.

Vix autem necesse erit dicere quam immerito hi in interpretum numero recenseantur.

§. 22.

Cornificius.

Neque majori jure Cornificius locum sibi vindicat inter Virgilii interpretes, quem *contra Virgilium scripsisse* narrat Servius:

ad Ecl. II. 39. INVIDIT STULTUS AMYNTAS. *Amyntam, Cornificium vult intelligere; quia conatus est contra Virgilium scribere.*

Imo

(1) M. Vipsanium Agrippam immerito inter Virgilii obtrectatores relatum esse, suspicatur Weichertus in Poët. Lat. Reliq. p. 275, utpote opinatus, haec ab Agrippa per jocum aliquando esse dicta ad carpendum Maecenatem, calamistratum discinctumque amicum, minime ad reprehendendum Virgilium, quem suae virtutis praeconem invenerat in Aeneide L. VIII. 682. seq.

Imo melius faciemus si Cornificio locum tribuimus inter Virgilii obtrectatores. Audi Donatum l. c. §. 76. » *Cum quidam ejus amicus Cornificii in eum maledicta et inimicitias sibi enarraret: Quam putas, inquit, esse hujus malevolentiae causam? Nam neque unquam Cornificium offendi; et eum amo. An, inquit, Hesiodi sententiae non meministi, ubi ait, architectum architecto invidere, et poëtam poëtae? De malis, inquit, Graecus ille intellexit: nam boni eruditiores amant. Sed magna cum laude et gloria vindictam in manu habeo. Majore enim cura virtuti intendam; atque quo elegantior ego fiam, eo vehementiore invidia rumpetur.*" Antea dixerat §. 67. » *Cornificius ob perversam naturam illum*, id est Virgilium, *non tulit.*"

Notante Burmanno ad Ovid. Trist. II. 436. » Citatur Cornificii versus in Virgilium: » » Ordea qui dicit, superest ut tritica dicat." " ex quo apparere possit, quale fuerit istud Cornificii scriptum, cujus Servius meminit. Sed paene vereor ne Burmannum memoria sua fefellerit; quem enim Cornificio tribuit versum, eum Servius Bavio et Maevio tribuit ad Georg. I. 210. Equidem, si in rebus incertis et obscuris liceat hariolari, malim suspicari Cornificium (quem opinor alibi a Servio nominari, pleniore nomine, Cornificium Longum) librum suum soluta oratione conscripsisse, atque in eo id fere conatum esse, ut, quae a Virgilio scripta essent, modo rideret, modo vel Grammaticae regulis vel Historiae veritati contraria esse contenderet. Vestigia hujus laboris superesse credo apud Serv. ad Georg. I. 55. Aen. III. 332.

§.

§. 34.

Corneliani Commentarii.

Hi a nemine Veterum, praeterquam a Probo, sed referente Pomponio Sabino, memorantur, idque modo semel:

ad Aen. VI. 2. ET TANDEM. *Probus, his duobus versibus, inquit, finitur hic liber in Tuccae et Cornelianis Commentariis: et Virgilium ita etiam finivisse manifestum est.*

Si inde, quod hi una cum Tuccae Commentariis memorentur, quidquam conjicere licet, hos non magis quam illos fuisse dixeris Grammaticos Commentarios, sed potius Aeneidos editiones sive apographa, in quibus ii nihil, ut videtur, laborarint, praeter verborum emendationem et praecipue distinctionem versuum et librorum.

Fieri tamen potest, ut iidem Corneliani Commentarii significentur ab homine Critico, qui ampliavit hoc Servii scholion: — posteriorem enim hujus partem ab aliena manu additam esse, vix est quod dubites —:

ad Ge. I. 12. TUQUE O, CUI PRIMA FREMENTEM FUDIT EQUUM. *Antiquissimi libri* fudit aquam *plerique habuerunt. In Corn.* equum: *in authentico* aquam: *in correcto ipsius manu* equum. (sic leg. ex emend. Burm.)

Heynius in Var. Lect. ad finem libri V. Aen. fatetur se ignorare, qui sint isti Corneliani Commenta-

P rii;

rii; addit tamen, Servium quidem videri memorare Cornelium Balbum grammaticum:

ad Aen. IV. 127. HIC HYMENAEUS ERIT. *Id est, hae erunt nuptiae. Sane de Hymenaeo licet superius* [ad vs. 99.] *dictum sit, tamen sunt etiam aliae opiniones. Nam alii hunc Veneris et Liberi filium dicunt — Alii nuptiarum inventorem tradunt — Cornelius Balbus, Hymenaeum ait Magnetis filium, musicae artis peritum, pulchritudine muliebri; dum nuptias Liberi patris et Alteae religiosis cantibus celebrat, exspirasse: propter quod ei talis honor nuptiis attributus est, ut celebratio nominis ejus nuptiarum jungendarum perpetuum omen esset.*

In testimoniorum penuria, equidem ignorantiam fateri, quam levi argumento quidquam hariolari, malo. Venient, spero, aliquando tempora, quibus, ubi excussi fuerint, qui adhuc neglecti jacuerunt Bibliothecarum thesauri, nepotes nostri certiora dicere poterunt.

§. 35.

Declamationum Auctor.

Loquitur alicubi Servius de Declamationibus in Virgilium, in quibus, si ex unico fragmento quidquam licet conjicere, alta et sublimis poëtae dictio in pedestrem humilemque orationem redacta fuisse videtur. A quonam auctore hae Declamationes scri-

scriptae sint, non addit Servius; cujus hoc est scholion:

ad Aen. X. 532. TALENTA GNATIS PARCE TUIS. Talenta parce *per accusativum*, *Plautino dictum*, *qui ait in Milite* [IV. 6. 5.] » *Parce vocem.*" *Qui in Virgilium Declamationes scripsit*, *de hoc loco sic ait ex persona Aeneae*: « *Improbus es*, *qui aut regi dones*, *aut filios exhaeredes.*"

Quae sit causa non memorati nominis, hariolari nolo. Fieri potest, ut vel Servius ignoraverit auctoris nomen, vel ipse auctor nomen suum non addiderit. Quin etiam fieri potest, ut nomen in Servii Commentariis perierit.

Facile autem est videre, auctorem hujusmodi operae, aeque ac Calvum, qui Themata de Virgilio elicuit, inter Rhetores, non vero inter Scholiastas locum sibi vindicare. Vide iterum Peerlkampium in Epistola ad Descurium p. XVI.

§. 36.

Eros.

Quo jure Eros inter Virgilii interpretes referatur, omnino non assequor. Exstat de eo unicum, quod scio, testimonium, unde nihil hujusmodi probari potest; Donati nempe, qui in Vita Virg. §. 49. haec ait: » *Erotem*, *librarium et libertum ejus*, *exactae jam senectutis*, *tradunt referre solitum*, *quondam in recitando eum duos dimidiatos versus complesse ex tempore*: *et huic* Misenum Aeo-

 li-

iidem, *adjecisse*, quo non praestantior alter; *item huic*, Aere ciere viros, *simili calore actutum subjunxisse*, Martemque accendere cantu: *statimque sibi imperasse, ut utrumque volumini adscriberet.*"

§. 37.

Fabius Planciades Fulgentius.

Neque hic Commentarios in Virgilium scripsit; itaque immerito inter Virgilii interpretes refertur. Exstat quidem ejus nomine opusculum *de Allegoria librorum Virgilii*, sive *de Expositione Virgilianae Continentiae*, quod cum ab aliis, tum a Munckero inter Mythographos Latinos, editum est. *Ex eo* autem, sic judicat Heynius, *vix ullum ad Virgilium fructum speret aliquis, cum insulsissime detorqueat nominum et sententiarum rationes ad virtutis morumque occultas interpretationes grammaticus ineptissimus.* Quin et talem habet ista scriptio formam, qualis ipsi nequaquam in Scholiastarum numero locum vindicare potest.

§. 38.

Glossariolum Virgilianum scriptoris incerti.

Praeter Glossas ad librum XII. Aeneidos, de quibus supra §. 6. diximus, Barthius habuit quoque incerti scriptoris Glossariolum Virgilianum. » *Est apud nos*, inquit in Advers. L. XXXVII. c. 5. *pri-*

priscus Maronis Codex, cui subjectum visitur Glossariolum, in quo ista offendo, ex antiquis explanatoribus excerpta, non secus atque ea quae Servio vulgo adscribuntur; ea enim et ipsa variorum sunt:

Ab integro. *Ab aeterno.* Virgil. [Ecl. IV. 15.] *Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.*

Alacanthis. *Avis, quam lusciniam esse volunt, alii Caducillum vocant.* Virgil. [Ge. III. 338.] *Resonant alacanthide dumi.*

Accipio. *Pasco.* Virgil. [Aen. III. 353.] *Illos porticibus Rex accipiebat in amplis.* Terentius [Eun. V. 9. 52.] *Accipit nemo melius neque prolixius.*

Acteus. *Litoralis.*

Additus. *Inimicus.* Virgil. [Aen. VI. 90.] *Addita Juno Nusquam aderit.*

Ad unum. *Nullo excepto.* Virgil. [Aen. V. 687.] *Si mundum exosus ad unum.*"

Sed jam haec exempla sufficiant. Ea ratione glossae totum Alphabetum percurrunt, rariores tamen in postremis praecipue literis. Barthius tantum duas priores literas edidit.

In sequentibus auctor aeque exempla profert ex Plauto, Cicerone, Sallustio, Gellio, Sisenna, Plinio, Attio, Juvenali et Apulejo. Quae quum ita sint, hunc Glossatorem, eadem fere causa qua Arusianum Messum, Virgilianorum interpretum numero excludendum arbitror.

§.

§. 39.

Gnifo.

Gnifonem quemdam in Virgilium commentatum esse, Burmannus probatum voluit e Charisii testimonio, quod est hujusmodi:

p. 184. 1. Mox. *Maro Georg. I.* [24.] „*Tuque adeo, quem mox quae sint habitura Deorum Concilia, incertum est.*" *ubi Gnifo pro* cito *significare ait. Alii* paulo post, *ut Terentius* [Eun. II. 1. 13.] „*Nam aut mox revertere.*"

Sed ex Heynii opinione *non ille Charisii locus necessario hoc infert.* Alia autem hujus rei non exstant testimonia. Neque enim quidquam hac in re probat antiquum scholion quod reperitur in Cod. MS. Bibliothecae Leidensis:

ad Ge. II. 119. Acanthi. *De quo Gnifo scripsit, quod in ejus flore tincta vestis acanthia dicitur.*

citatum ab Heinsio ad Claudian. de Nupt. Honor. et Mar. vs. 95. (edit. Burm. p. 180.)

§. 40.

Grillius.

Et hic quoque perperam inter Virgilii interpretes refertur, etsi aliquam huic poëtae operam navasse dicendus sit. Scripsit enim librum *de Accentibus apud Virgilium:* qui memoratur a Prisciano p. 560.

500. ubi haec ait: « *H literam non esse ostendimus, sed notam aspirationis, quam Graecorum antiquissimi similiter ut Latini in versu scribebant, nunc autem diviserunt, et dexteram ejus partem supra literam ponentes, psilen notam habent, quam Remnius Palaemon* exilem *vocat, Grillius vero ad Virgilium de accentibus scribens*, lenem *nominat: sinistram autem contrariae illi aspirationis* dasiam, *quam Grillius* flatilem *vocat.*"

Praeter hoc unicum fragmentum alibi hujus operis mentionem fieri non reperi: est igitur quod mirer Johannem Tortellium in Praefatione Commentariorum de Orthographia dictionum e Graecis tractarum dixisse se ex Grillii libro fragmenta comperisse: « *Accepimusque*, haec sunt Tortellii verba, *haec primum ex fragmentis decem librorum Papyriani, quos de Orthographia scripsit. Ex quatuor libris Plinii de arte grammatica. Ex unico libro Rhemii grammatici de potestate literarum. Ex unico Grylli de accentibus ad Virgilium, cujus parva fragmenta comperimus.*" etc. quem locum debeo Frid. Osanno ad Apuleji fragmenta de Orthographia p. XVI.

§. 41.

Hebrus.

Hujus nomen plane est inauditum, et nusquam memoratur nisi semel in Servii Commentariis; unde qui ipsum inter Virgilii interpretes referunt, omne

suae

suae opinionis praesidium petere debebunt. Servii locus est:

ad Aen. VII. 6. POSTQUAM ALTA QUIERUNT AEQUORA. *Hebrus* quierant *legit.*

quo loco Parrhasius Quaesit. per Epist. IV. 5. (in Gruteri Lamp. T. I. p. 735. f.) qui in suo exemplari habuisse videtur *Auctor Hebrus*, legendum censet *Acron Helenius.* Sed, ut Heynio videtur, parum probabile.

Equidem, sive *Helenii* sive *Hebri* nomen a Servio memorari dixeris, opinor unicum istud Servii scholion parum sufficere. Alia itaque requiro testimonia, quae probent alterutrum Virgiliani interpretis personam egisse.

§. 42.

Martius Salutaris.

Qui Martium Salutarem inter Virgilii interpretes referendum esse censent, qualis est Ge. Fabricii sententia, omne opinionis suae argumentum habent in his duobus Charisii locis:

p. 181. 18. ILICET OBRUIMUR NUMERO [quae sunt Virgilii Aen. II. 424.] *ubi Martius Salutaris, interjectionem esse graviter ingemiscentis: nam et Terentium in Eunucho* [I. 1. 8.] « *Infecta pace, ultro ad eam venies, indicans Te amare, et ferre non posse: actum est, ilicet, peristi.*" *Nam et hic non est* in loco, *aut* statim *et* continuo, *sed pro eo quod est* hem, *ut sit*, hem peristi.

p.

p. 203. 42. An. *Pro* num. *Maro Bucolicon* [III. 21.] « *An mihi cantando victus non redderet ille, Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?" Nisi, ut de distinctionibus diximus,* ὑπακουόμενον *sit* an ne *cum videatur; sed Martius Salutaris vir perfectissimus pro* ergo *rectius sensit.:* ἀσύνδετον *quoque fit cum pluralis numerus singulari jungitur.*

Haec tamen, mihi quidem, in reliquorum scriptorum silentio, parum sufficiunt. Et Heynius quoque opinatur ea, quae hujus nomine a Charisio citentur, potuisse in opere grammatico diversi argumenti scripta esse. Praeter Charisium nemo Veterum Martii Salutaris nomen memoravit.

Barthius tamen Advers. L. XXV. c. 21. opinatur, hujus nomen latere in corrupto Philargyrii loco. ad Ge. II. 382. Compita. *Ut relatio * placet, locus ex pluribus partibus in se, vel in easdem partes ex se via, atque itinere dirigens; sive is cum ara, sive sine ara, sive sub tecto, sive sub divo sit: ubi pagani agrestes, buccina convocati, solent certa inire consilia. Hinc et* lares compitalicii, *et* feriae compitaliciae.

Ad hunc igitur locum Barthius scribit: » *Fortasse Martius Salutaris, quem inter Virgilii interpretes ignotum non sinit esse Charisius, hic periit.*" Cui conjecturae quantum tribuendum sit, alii judicent. Mihi parum commendatur.

Salmasius in Exerc. Plin. p. 150. (ut Burm. in Var. Lect. monuit) legendum suspicabatur *Trebatio.*

§.

§. 43.

Melissus.

» Fuit utique (sic ait Heynius) hoc nomine Grammaticus: de quo v. Sueton. Illustr. Gr. 21. (1). » An vero in Virgilium commentatus sit, alia quaestio est. Quod apud Donatum Vit. Virg. §. 27. » ille tradidit, Virgilium sermone tardissimum fuisse, in libris *Ineptiarum* (quos Suetonius memorat) scriptum esse potuit. Ad Aen. VII. 66. in » Servio est: *Melissus*, *qui de apibus scripsit*, » hoc ab indocto interpolatore insertum esse arbitror." (2).

Sed

(1) Suetonius ipsum vocat *Cajum Melissum*, et narrat hunc Maecenati, pro Grammatico, muneri datum esse, mox manumissum et Augusto insinuatum, eoque delegante curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviae porticu suscepisse. — Ab hoc igitur omnino diversus est Aelius Melissus, Gellii aequalis, scriptor libri de *loquendi proprietate*, de quo mentionem facit Gellius L. XVIII. c. 6. « *Aelius Melissus in nostra memoria fuit Romae summi quidem loci inter Grammaticos et temporis*, *sed majore in literis erat jactantia et σοφιστείᾳ quam opera* cet. quo loco τὸ *et temporis* multum torsit interpretes: Gronovius, vix me expedio, inquit, nisi legam *et decoris*: Cannegieterus conjecit *et stipendii*: Justus in Spec. Observ. c. 10. explosâ Cannegieteri conjecturâ, malebat *τεχνικούς*. Unice veram opinor, quam in Schedis MSS. nuper inveni, Bondami emendationem, legentis: *summi quidem loci inter grammaticos et rhetores*.

(2) Heynii notitiam sic intelligo, ut opiner, ipsum censuisse Melissum perperam inter interpretes referri. Aliter in-

Sed memorandum est, quod Heynii diligentiam fugisse videtur, aliud Servii scholion:

ad Aen. IV. 146. PICTIQUE AGATHYRSI. *Hos Melissus ab Homero* Achabas *appellari aït, qui propter scientiam sagittarum Apollini sunt gregales, sicut Cretes.*

ex hoc enim scholio, collato cum notitia Donati, A. Majus omnino non dubitat suspicari Melissum super Virgilio scripsisse: eamque suspicionem confirmari putat scholio quodam Veronensi, in quo pro *Melistos* censet *Melissus* scribendum esse. Est hoc scholion hujusmodi:

ad Aen. III. 705. PALMOSA SELINUS. LONGUS. *Quasi Opuns, Amathus, unde et Selinuntii, quasi Opuntii et Amathuntii dicuntur. Selynas . . . olympionicas multos fuisse adnotat Milestos* (1).

At vero, ne his quidem auditis, res mihi satis li-

intellexit Weichertus in Vet. Poet. Reliq. p. 167. n. 12. ubi de Melisso Grammatico disputans ait: « *Eximendus autem est ille numero Interpretum Virgilii, quo refertur ab Heynio.*" — Vix autem dubito quin recte idem V. D. suspicatus sit, Melissum, qui teste Servio ad Aen. VII. 66 de Apibus scripsisse dicitur, fortasse eundem esse, cujus librum de Animalibus laudet Albertus M. Lib. VI. d. Animal. Tract. c. 6. p. 196 Quamquam non possum non dicere festive excogitatum esse id quod Heynius suspicabatur, in Servii scholio, post Melissi nomen, verba *qui de Apibus scripsit* inserta esse ab indocto interpolatore, qui sciret graecum *μέλισσα* significare *apis*.

(1) Neque hoc neque quod e Servio citavimus scholion ad Aen IV. 146. memoratur a Weicherto l. c.

liquet; quae enim Melissus de *Agathyrsis* et *Selino Olympionicarum fertili* tradidisse dicitur, in quovis alio libro dicere potuit. Accedit, quod Majus non recte meminerit utrum *adnotat* in Codice legerit, an vero *adfirmat* (1). Desidero itaque testimonia, quae plenius probent, Melissum data opera in Virgilium commentarios scripsisse.

§. 44.

Metrodorus.

Hujus nomen neque Heynius, neque quisquam ante ipsum, inter Virgilii interpretes retulit; et demum A. Majus suspicatus est Metrodorum in Virgilium commentatum esse. Omnis autem ista suspicio ex unico hoc, eoque lacero, fragmento ducta est, quod legitur in Scholiis Veronensibus: ad Aen. II 299. QUAMQUAM SECRETA PARENTIS ANCHISAE DOMUS. *E ... saevire incipiens ... ideoque remotam patris domum fuisse confirmat, cum Metrodorus referat, Anchisae aedes in loco ... trojanae urbis fuisse.*

Hinc

(1) Audi Majum in Praef. p. XVIII. n 1. « *Scholiorum ad Virgilium*, ita inquit, *exemplaria duo mihi Veronae confeci, prius quidem informius et perturbatius, prout se folia codicis dabant; alterum politius et ordinatius, ita tamen, ut codicem denuo perpetuoque consulerem. Jam vero nunc video, me in priore exemplari scripsisse* adfirmat, *in posteriore* adnotat: *quod utrum merito emendans fecerim, an potius animi aberratione peccans, qui codicem retractabunt aliquando discernent.*"

Hinc tamen quae Majus suspicari voluit, vereor ut probari possint. Alia itaque desidero testimonia, quae istam suspicionem confirment. Nil autem hic valent, quae in rebus Physicis et Astronomicis, Metrodori nomine traduntur a Probo ad Ge. II. 224. Servio ad Ge. I. 236. et Philargyrio ad Ge. II. 336.

§. 45.

Aufidius Modestus.

De Aufidio Modesto, cujus nomen et a Fabricio et a Burmanno et vero etiam ab Heynio omissum est, nescio fere quid pronuntiem: habendusne sit inter Virgilii interpretes, an minus. Rem itaque in medio relinquam; quod adeo praestare censeo quam temere Virgilianorum interpretum numerum augere.

Est quidem nullum apud Veteres scriptores testimonium, quo hic diserte dicatur Virgilium explicuisse. At vero hunc saltem aliquid scripsisse, in quo, aut data opera, aut alia dum ageret, Virgilianorum poëmatum interpretationi profuerit, suspicari licet non solum ex Philargyrio, qui ipsum bis citat:

ad Ge. II. 497. CONJURATO DESCENDENS DACUS AB ISTRO. *Aufidius Modestus legisse se affirmabat, hunc morem esse Dacorum: ut cum ad bella proficiscerentur, non prius rem capesserent, quam de Istro certum modum haurientes ore, in modum sacri vini, jurarent, non se ad patriae*

triae eodem regressuros, nisi hostibus caesis; et idcirco Virgilium, familiari sibi hypallage usum, dixisse Istrum conjuratum, *apud quem Daci conjurare consueverunt.*

ad Ge. III. 53. CRURUM TENUS. *Hic autem* tenus *genitivo suo* crurum *apposuit: alibi ablativo, ut* [Aen. III. 427.] „*Pube tenus.*" *Modestus* tenus *pro* fine *accipit. Sallustius* [Hist. L. III. p. 979. Cort.] „*Fine inguinum ingrediuntur mare.*"

verum etiam ex scholio antiquo quod exstat in Servii Commentariis MSS. Bibl. Leid.

ad Ge. I. 378. VETEREM IN LIMO RANAE CECINERE QUERELAM. *Multi ambigunt, quae sit ranarum vetus querela. Modestus ait Latonam, cum ageretur a Junone, in Liciam venisse, et sitientem accessisse ad fontem pastoribus prohibitam: memorem autem injuriae suae post editum partum redisse in Liciam, et pastores in ranas convertisse, ut perpetuam hujus fontis haberent custodiam, cujus potum Latonae denegassent. Ovidius dicit: Ceres cum Proserpinam quaereret* cet. (1).

Quod Philargyrius in priori scholio addit, *Au-fi-*

(1) Nunc sequuntur eadem, quae in vulgaribus Servii Commentariis prostant. Ceterum ad eundem locum etiam Scholiasta ineditus Leidensis citat Modestum in expositione ejusdem fabulae, ut infra videbimus.

Fidi praenomen, prohibet quominus hic cogitemus de *Julio Modesto*, quem non ignobilem Grammaticum fuisse docebimus, ubi de Horatii interpretibus dicemus.

§. 46.

Modicius.

Iterum Heynii verba adhibebimus: » Modicius (sic inquit) a Pontano et Cerda passim ad Aeneidem » laudatur; noli tamen inter veteres Grammaticos » eum referre. Est Gulielm. Modicius Saec. XVI. » exeuntis poëta et grammaticus, qui *Virgilium a* » *calumniis vindicatum* scripsit."

His, quod addam, non habeo. Modicii librum numquam vidi. Prodiit autem Perus. a. 1575. 8°. ut docet Krebsius *Handbuch der philologischen Bücherkunde* T. I. p. 498.

§. 47.

P. Nigidius Figulus.

Nulla est Veterum mentio quae Nigidium in Virgilium commentatum esse declarat. Servius, qui multa passim ipsius opera nominatim laudat, quemadmodum *de Diis*, *de Ventis*, *de Hominum Naturalibus*, *de Sphaera Graecanica*, item *Commentarium Grammaticalem*, aliquoties non addit nomen operis. Est, ubi ex fragmenti argumento facile harioleris, de quonam opere sumtum sit; in aliis difficilius est hariolari. Et sunt quae quis pos-

possit opinari Nigidium ad Virgilium annotasse; inprimis haec, quae sunt apud Servium:

ad Ge. I. 47. AVARI. *Id est, quamvis avari; et plus est, quam si dixisset* parci. *Nigidius: « Quia qui parcior est, suo contentus est, quod avarus non facit."*

ad Ge. I. 261. MATURARE DATUR. *Cato* properare *dicit eos, qui prima quaeque ordine suo maturate transigunt*, festinare *autem illos qui multa incipiunt, eaque adnectendo, nec terminando praepediant. Aulus Gellius* [X. 11.] *» Mature veluti celeriter dicimus." Nigidius: » Mature fieri quod neque cito, neque tarde fiat, quod hinc debet intelligi, quia poma, quae neque acerba sunt, neque putrida, matura dicuntur."*

Equidem vero opinor haec esse e *Commentario Grammaticali*, quem Servius citat ad Georg. I. 120. et quem multorum librorum magnaeque doctrinae opus fuisse, declarant fragmenta, quae Gellius aliique grammatici servarunt, collecta a Jano Rutgersio in Var. Lect. L. III. c. XVI.

Eadem ratione Fabricium deceptum fuisse, ubi Nigidium inter Terentii interpretes retulisset, supra docuimus c. VI. §. 11.

§. 48.

Nisus.

Non dubium est quin Nisus in re grammatica aliquid praestiterit; quam ob rem et ipsius nomen sae-

pius, et quidem potissimum ubi de orthographia quaeritur, ab aliis Grammaticis citatur: quemadmodum a Charisio p. 16. a Prisciano p. 881. a Velio Longo p. 2235. 2236. 2237. et a Cassidoro p. 2287. quin et ipsius nomen una cum Epicadiis, Caselliis, Verriis et Scauris memoratur ab Arnobio adv. Gent. I. p. 46. Num vero Nisus in Virgilium quidquam scripserit, alia quaestio est. Heynius respondet „*Quod inter Virgilii commentatores refertur, petitum est ex Vita Virg. Pseudodonati* §. *60.*" Quibus verbis Heynius procul dubio significavit, se opinari, Nisum perperam inter Virgilii interpretes relatum esse. Et ita recte. Audi modo quam leve sit Donati testimonium: „*Nisus*, inquit, *grammaticus, audisse se a senioribus dicebat, Varium duorum librorum ordinem commutasse, et, qui tum secundus erat, in tertium locum transtulisse: etiam primi libri correxisse principium, his demtis versibus: Ille ego, qui quondam* cet.

Angelus Majus tamen, ubi e Codice palimps. Veron. edidit aliquot Veterum interpretum scholia, Nisi scholion reperisse sibi visus est; paulo audacius, ut equidem credo, opinatus, Nisi nomen latere in signo N̄, quod praefixum invenit huic scholio:

ad Aen. VIII. 105. Pauperque senatus. N̄. *Quod senatum A cum Romulus prim. . . . . ex senibus nuncupaverit.*

Sciendum vero est, doctissimum Italum jam ante ex Donati verbis sibi persuasum habuisse Nisum aliquid in Virgilium scripsisse adeoque contendere, hoc indicio opinionem suam tantum confirmatam,

non novam sibi inde suspicionem esse ortam. Haec est Maji disputatio in Praef. §. VI. „*Nisus de Virgilio scripsisse aliquid satis videbatur e poëtae vita a vero seu falso Donato scripta: narrat enim ibi (Cap. XV.) Nisus traditionem quamdam seniorum de commutato duorum Virgilii librorum ordine. Nunc ad Aen. VIII. 405. plane constat eum Commentariorum in Virgilium fuisse auctorem.*" Equidem Maji opinionem Majo defendendam relinquere malo, quam Nisum tam levi argumento inter Virgilii interpretes referre.

§. 49.

Pius Commentator.

Hic utrum inter Virgilii interpretes referendus sit, in aliorum testimoniorum desiderio, dicere non audemus. Semel tantum hujus mentio fit apud Servium:

ad Aen. V. 735. ELYSIUMQUE COLO. *Secundum Philosophos Elysium est insulae Fortunatae: quas μακάρων νήσους vocant, quasque ait Sallustius inclytas esse Homeri carminibus; quarum descriptionem Pius Commentator dicit esse sublatam: secundum Theologos, circa lunarem circulum*, cet.

quo loco aliam in aliis Codicibus esse hujus nominis scripturam docet Burmannus: in Codice V. scribitur *Prius*, in Lips. *Porfirius*. Georg. Fabricius autem in Catalogo auctorum a Servio citatorum

(an-

(ante edit. Basil.) scribit *Pisus* et addit: » *Dubitarem de nomine, nisi in Codicibus quos vidi omnibus, et in manuscripto Fusii hoc modo legeretur.*"

§. 50.

Asinius Pollio.

De Pollione fere nescio quid pronuntiem, referendusne sit inter Virgilii interpretes an minus. Reperitur quidem hujus nomen in Servii Commentariis aliquoties ita citatum, ut facile in suspicionem adduci possis, ipsum locos Virgilianos explicuisse. Quemadmodum:

ad Aen. II. 7. Aut duri miles Ulyssi. Duri, *non laboriosi: quia non laudaret eum, cum esset hostis: — sed* duri *id est crudelis, ut* [Aen. X. 44.] « *Quem dat tua conjux Dura.*" — *Illud autem, quod Asinius Pollio dixit, caret ratione, de Achaemenide dictum esse* miles Ulyssi. *Myrmidonas vero et Dolopas, praesentes esse acceptos ab Heleno. — Sed si sic intelligimus, dicti frangitur dignitas.*

ad Aen. VI. 554. Stat ferrea turris ad auras. Stat, *eminet.* Auras *autem inferis congruas intelligimus. Statius de Mercurio ait:* (1). » *Pigrae aurae ejus impe-*

(1) Statii locus, et memoria citatus, sic se habet (Theb. II. 2.) « *Undique pigrae Ira vetant nubes, et tur-*

pediebant volatum." De illo enim loco multi quaerunt. Quis tantus plangor ad auras? Et Pollio dicit Aeneae et Sibyllae, quas illi secum traxerant; cum constet esse etiam illic auras.

ad Aen. XI. 183. EXTULERAT LUCEM. *Asinius Pollio dicit, ubique Virgilium in diei descriptione sermonem aliquem ponere aptum praesentibus rebus, ut hoc loco: quia funerum et sepulturarum res agitur, dixit* extulerat; *nam et* efferre *est ad sepulturam ferre. Terentius* [Andr. I. 1.] *« Effertur, imus." Item in quarto* [Aen. vs. 585.] *quia est navigaturus Aeneas, et relicturus Didonem, dicit: » Tithoni croceum linquens aurora cubile." Quod licet superfluum sit, in multis tamen locis invenitur necessarium.*

Adde Pomponium Sabinum, qui sua fortasse duxerit e Servio, quem, ut videtur, locupletiorem habuit:

ad Aen. VI. 134. BIS STYGIOS INNARE LACUS. *Pollio admiratur, cum Aeneas esset futurus deus, cur dicat* bis. *Solvitur hoc, quia apud Homerum Ulysses vidit umbram Herculis apud inferos.*

Sed non sine causa vereor, in reliquorum auctorum silentio, Servianis Commentariis, quos constat tantopere infarctricem subsequentium seculorum ma-

turbidus implicat aër: Nec sed foeda silentis aura po- Zephyri rapuere gradum, li."

mantam pastos esse, plenissimam continuo fidem habere.

Non quidem dubium est, quin ille nobilis orator et poëta etiam in Grammatico genere laborarit: celebratissima fama est de censura quam in Sallustium, Caesarem et Livium egit. Sed falletur, si quis opinari velit, Pollionem simili modo Virgilii carmina reprehendisse. Suam enim, *quamvis erat rustica*, *Musam* a Pollione amari, ipse praedicat Virgilius Ecl. III. 84.

Si autem Pollio, ut eorum, quos atro carbone notavit, tanto magis minueret laudes, dicendus sit in Virgilium Commentarios scripsisse in quibus collaudantis interpretis personam egerit, equidem non assequor, quomodo fieri potuerit, ut Veteres ad unum omnes de hac re tacuerint. Malim tum suspicari, explicationes Virgilianorum locorum, quarum Servius meminit, in alio quodam libro a Pollione publicatas esse, aut ubi Sallustii scripta *ut nimia priscorum verborum affectatione oblita* (1) reprehenderit: aut ubi Caesaris Commentarios *parum diligenter parumque integra veritate compositos* (2) aut ubi in Livio *quamdam Patavinitatem* inesse (3) contende-

(1) Sunt verba Suetonii de Illustr. Gramm. c. X. Cf. Thorbeckius in Commentatione de C. Asinio Pollione p. 131.

(2) Sunt verba Suetonii in Caesar. c. 56. Cf. Thorbeckius p. 133.

(3) Sunt verba Quinctiliani Instit. Orat. L. VIII. c. 1. De Pollionis censura in Livium peculiarem dissertationem scripsit Morhofius, quam in sua Livii editione repetiit Drakenb. T. VII. Cf. etiam Thorbeckius p. 137.

derit; aut in alio quolibet libro a Grammaticae studio non prorsus alieno.

Aliis fortasse placebit opinari hunc, qui a Servio memoratur, Asinium Pollionem, grammaticum, diversum fuisse ab illo nobili oratore, (quae est Thorbeckii opinio p. 124.) adeoque non ita mirum videri oportere quod de hujus, utpote ignobilioris grammatici, lucubrationibus, nemo Veterum meminerit. Equidem, quominus suo quisque jure utatur, non intercedam: at, vel hoc concesso, mea opinio est, alia testimonia requiri quae Servii auctoritatem confirment.

Vix mentionem meretur opinio Ptolemaei Flavii in Conjectaneor. Centur. cap. 95. Hic enim, quum sibi persuasum haberet Pollionem data opera Commentarios in Virgilium scripsisse, tenuissimo aut potius nullo argumento, ausus est contendere eos Pollionem auctorem habere, qui nunc sub Donati nomine feruntur, Commentarios (1).

§. 51.

Pompejus.

Hic a Burmanno et Heynio omissus est. Et sane nullum apud Grammaticos exstat testimonium, quod Pompejo locum inter Virgilii commentatores vindicare possit. Semel hujus meminit Philargyrius: ad Ge. IV. 387. CARPATHIO. *Aegyptio.* Carpathos

(1) Ipsam Flavii disputationem supra retulimus p. 50.

thos enim insula est Aegypti: vel ut Pompejus dicit, insula Rhodiorum.

Sed eo loco haud multum abest, quin *Pomponii* nomen substituendum opiner. Reperitur enim hujus insulae mentio apud Pomp. Melam L. II. c. 7.

Fabricius in Indiculo Scriptorum a Philargyrio citatorum (in Bibl. Lat. T. I. p. 341.) Pompeji nomini subjunxit *Festus ut opinor;* quae suspicio minus placet, quod apud Festum nulla hujus insulae mentio fiat.

Videri tamen possit hujus, tamquam interpretis, mentio fieri apud Pomponium Sabinum:

ad Aen. III. 405. Adopertus amictu. *Amictu jam adopertus, memor esto velare comas purpureo amictu: unde ab ipso Aenea institutum, ut sacrificantes velarent caput. Apud Romanos cum velato capite sacrificabatur,* Aeneium *vocabatur* sacrificium. *Sic meminit Pompejus.*

quo loco nec Pompejus Festus, nec Pomponius Mela, nec denique Trogus Pompejus significatur.

§. 52.

Sulpicius.

Neque hujus nomen memoravit Heynius in Virgilianorum interpretum catalogo. Id vero non mirum est. Heynii enim aetate nullum exstabat testimonium, unde suspicio posset oriri, Sulpicium in Virgilium commentatum esse. Et nuper demum, repertis Scholiis Veronensibus, Sulpicio locum inter Gram-

Grammaticos vindicare studuit Majus. Suspicioni ansam dedit hoc scholion:

Ad Aen. IX. 369. IBANT. *Alio loco ostendit illos a Turno missos. Hoc loco adnotant Probus et Sulpicius contrarium illi esse* [Aen. VII. 600.] » *Sepsit se tectis rerumque reliquit habenas.*"

arbitraturque Majus memoratae in hoc scholio Probi et Sulpicii opinioni, non nominatis nominibus, contradicere Servium in his annotationibus:

ad Aen. IX. 367. URBE LATINA. *Non est contrarium illi loco, ubi ait* [Aen. VII. 600.] » *Sepsit se tectis r. q. r. h.*"

PRAEMISSI EQUITES. *Hos neque alio loco a Turno missos usquam dixit, nec prius de eis mentionem fecit.*

Non dubitat igitur Majus Sulpicium inter Virgilii interpretes referre. In Praef. §. VI. ita scribit: » *Sulpicius omnino aliquas annotationes ad Virgilium conscripsit, uti nunc constat e Veronensi palimpsesto Aen. IX. 369. quo loco nos insuper observavimus Servium adversatum esse sententiae Sulpicii. Jam de hoc homine cogitanti mihi veniebat in mentem Sulpicii illius Carthaginiensis, cujus Epigramma de Aeneide non cremanda recitatur in Virgilii vita a Donato c. XV.*

» *Jusserat haec rapidis aboleri carmina flammis*" cet.

Est aliquid, fateor, quod Sulpicius diserte dicatur *adnotasse*. Sed in omnium reliquorum silentio unicum istud scholion mihi non est tantae aucto-

ri-

ritatis, ut Sulpicium inter Virgilii interpretes referendum esse censeam. Si quis aliter opinari mavult, suo jure utatur.

§. 53.

Titianus.

Qualem operam Virgilio Calvum praestitisse diximus, eandem praestitit Titianus, ut idem illud docet Servii scholion (ad Aen. X. 18.) quod supra integrum exhibuimus. Ideo et hunc perperam in Virgilii interpretum numerum referri opinamur.

Praeter *Thematum* opus, Titianus scripsit quoque *Chorographiam*, quam Servius citat ad Aen. IV. 42. Ex quo opere, licet libri nomen taceatur, sumi potuerunt quae sunt ad Aen. XI. 651.

Nondum tamen compertum habeo, unde ea sint, quae Titiani nomine tradit Pomponius Sabinus:

ad Aen. VI. 1. CLASSIQUE IMMITTIT HABENAS. *Titianus dicit, ex vero locutum: quia vela apud Veteres loris ligabantur.*

adde hoc ejusdem Pomponii Sabini scholion:

ad Aen. VI. 2. ET TANDEM. *Probus ait: His duobus versibus finitur hic liber in Tuccae et Cornelianis Commentariis: et Virgilium ita etiam finivisse manifestum est; et inchoasse sextum librum* Obvertunt pelago proras. *Nescio tamen cur factum sit ut Phici. aliter habuerit.*

quo loco editor in margine pro *Phici.* conjecit legendum esse *Titianus*: quae emendatio haud scio

an

an admodum probata fuerit Heynio, qui in V. L. ad finem libri V. Aen. ait: » *Non tamen intelligas facile, quomodo vel in Chorographia vel in Thematibus Virgilii, occurrere simile quid potuerit; nisi alia scripsit eaque grammatica.*"

Haec igitur ex aliis Titiani operibus desumta sint, quae satis multa scripsisse dicitur. Cf. Cannegieterus ad Avian. p. 278. et Wernsdorf. ad Poët. Lat. Min. T. V. p. 666.

§. 54.

Trogus.

Nulla est Veterum memoria, quae Trogum inter Virgilii interpretes refert. Neque enim inde quidquam probatur, quod a Servio una cum Probo memoretur, in hoc scholio:

ad Aen. VI. 783. Animos aequabit Olympo. *Magnanimitate aequabitur coelo. De hoc autem loco et Trogus et Probus quaerunt.*

ad q. l. Heynius in Var. Lect. scribit: » *Quid illud fuerit, quod quaererent, non assequor.*" Et qualis ista quaestio fuerit, equidem hariolari nescio, quandoquidem Probi Commentarii ad Aeneidem omnes interierint, et nemo posteriorum interpretum istam quaestionem memoraverit.

» *Trogus autem*, ita pergit Heynius in Var. Lect. ad Aen. VI. 783., *esse videtur Pompejus historiarum Philippicarum conditor, quem in Virgilium, cujus fere aequalis fuisse debet,*

com-

commentatum esse, nulla aliunde est suspicio. Laudatur quidem Trogus a Servio ad Aen. III. 108. IV. 37. sed ex historiis. Forte leg. Hyginus."

§. 55.

Victorinus.

Semel tantum in Servii Commentariis memoratur Victorini nomen; unde ego quidem, si aliorum scriptorum testimonia desint, vix quidquam hariolari ausim. Servii locus est hujusmodi:

ad Ge. IV. 373. Purpureum. *Altum, nigrum ex altitudine accipimus. Nam Padus non in Rubrum mare, sed juxta Ravennam in Adriaticum cadit. Et* purpureum *Graecum est epitheton: mare rubrum etiam dixit Homerus εἰς ἅλα πορφυρέοσαν. Unde apparet Victorinum hoc loco errasse, qui purpureum mare, Rubrum esse dixit, quod est juxta Indiam.*

Qui igitur Victorinum scholia in Virgilium scripsisse opinantur, Servii verba *apparet Victorinum hoc loco errasse* sic intelligunt, ut Victorinum perversam interpretationem de mari purpureo ad hunc Virgilii versum annotasse censeant: parum fortasse opinati verba *hoc loco* etiam posse significare *in hac explicatione* vel *in hac opinione*, sive haec in libro aliquo geographico, sive in quolibet alio prodita fuerit.

Equidem opinor, nondum certum esse an Victori-

rimus in Virgilii Interpretum numero locum ubi vindicet: et alia testimonia desidero, quae rem plenius comprobent.

Heynius conjicit esse hunc Fabium Marium Victorinum Saec. IV. rhetorem, cujus libelli in Grammat. Vet. habentur. De quo quum data opera exposuerimus (c. IX. §. 3.), ubi de Ciceronis interpretibus agebamus, plura nunc non addemus.

§. 56.

Virgiliomastix.

Quemadmodum a Carvilio Pictore, ut supra ex Donati testimonio probavimus, liber conscriptus esse narratur, nomine *Aeneidomastix*: sic, si Servio credimus, ab alio quodam Virgilii obtrectatore, scriptus est *Virgiliomastix*. Quorum, si ex inscriptione utriusque operis quidquam licet hariolari, alterum altero latius patuisse dicamus. Et Virgiliomastigem ulterius quam Aeneidem processisse, apparet e Servio, qui duo inde servavit fragmenta; alterum ad Ecl. II. alterum ad Aeneidem. Sunt autem haec hujusmodi:

ad Ecl. II. 22. Lac mihi non aestate novum, non frigore defit. *Sane hunc versum male distinguens Virgiliomastix vituperat:* Lac mihi non aestate novum, non frigore: defit. *Id est, semper mihi deëst.*

ad Aen. V. 521. Artemque pater, arcumque sonantem. *Culpat hic Virgilium Virgiliomastix. Artem enim in vacuo aëre ostendere*

re non poterat: quamquam dicant periti, posse ex ipso sagittariorum gestu artis peritiam indicari.

Nomen auctoris ignoratur; sed quicumque ille fuerit, opinor ipsum nullo jure inter Virgilianos interpretes referri, uti nec *Ciceromastigem*, a Gellio L. XVII. c. 1. memoratum, inter Ciceronianos interpretes referendum censuimus.

Possim hic Virgilianorum interpretum censuram finire; quae enim de singulis ad nostram notitiam venerunt, pro viribus exposuimus. Cuperem certiora passim se obtulissent, ne toties in dubio manendum fuisset: neque enim is sum, qui opiner satis luculenter rem obscuram tractasse.

Sed ne quid temere praetermisisse videamur, quod ad hoc argumentum pertinet, extremo hic quoque addemus, quae nobis de *ineditis* Virgilii Scholiastis innotuerunt, id est de iis quorum lucubrationes adhuc in Bibliothecarum claustris latere memorantur.

Horum numerus admodum insignis vel potius immensus est. Si enim Bottarii, Montfauconii, aliorum, Catalogos inspicias, sexcentos memorari videbis *Virgilii Codices MSS. cum Scholiis.* Qui vero Bibliothecarum Catalogos scripsere, in eo subinde negligentes fuerunt, quod satis habentes dixisse adesse in Codicum marginibus Scholia, raro aut fere numquam de ipsis Scholiis solliciti, docere neglexerint, utrum ista ab editis Servii et reliquorum

in-

interpretum Scholiis diversa sint. Et vel ii qui dicta opera de Virgilii Codicibus MSS. exposuerunt, hac in re admodum negligenter versati sunt. Sic Heynius v. g., qui, (ut ipse narrat in Codic. Elench. p. 420.) a Wernsdorfio acceperat Specimen Codicis Aeneidos, servati in Bibliotheca Academiae Juliae apud Helmstadienses; Heynius, inquam, docet quidem *spatium inter lineas et marginem Scholiis, sed vulgaribus et jejunis, occupatum* esse; at divinandum relinquit qualia sint ista Scholia, utrum ex Servianis excerpta sint et cum editis conveniant, an vero ab istis differant. — Apud eundem p. 424. reperitur Ignatii Hardtii notitia de Codicibus Virgilii MSS. qui in Bibliotheca Palatino-Bavarica Monacensi asservantur; inde docemur, esse in ista Bibliotheca quatuor Codices cum glossis interlinearibus et Scholiis marginalibus, sed cujusmodi haec sint, non docemur (1).

Equidem suspicor in plerisque Virgilii Codicibus, ad quorum margines Scholia exstare audimus, reperiri fere excerpta e Servio, modo longiora modo breviora, additis subinde aliis glossis futilibus plerumque et inanibus, manifestissima haud raro ut diversae manus

(1) Eodem vitio passim laborat Struvius in Notitia Rei Litterariae et Bibliothecarum. Sic v. c. in Cap. IV. §. XVIII. p. 352. docet Nobilissimi Ebneri bibliothecam admodum divitem fuisse MSS. antiquis Commentariis in poëtas Latinos, in qua quippe reperiuntur: „*Terentii Comoediae cum Scholiaste, — Commentarii in Lucanum, Persium, Sedulium, quasdam Horatii odas, in Artem Poëticam, libros Sermonum, Epistolarum et Virgilium.*" sed quales isti Commentarii sint, ne literam quidem monet.

nus ita quoque diversae aetatis indicia prae se ferentibus. Non uno exemplo id me docuit inspectio Codicum Leidensium qui in Catalogo memorantur p. 374. A. et p. 380. B. idque non aliter esse in multis Virgilii Codicibus, quos Bibliotheca Bernensis possidet, docuit Sinnerus in Catal. Codd. MSS. Bibl. Bernensis T. I. p. 627 seqq.

Tum quoque infinitum est quot Viri docti passim gloriati sint, se habere Servii exemplaria locupletiora et ab editis diversa. Sic Schegkius ad Vellej. Paterc. L. I. c. 6. laudat Servium Francisci Modii, ab edito diversum; Scioppius L. III. Susp. Lect. Ep. 5. gloriatur se schedas Servii habere triplo locupletiores et emendatiores vulgatis; alii, quorum meminit Burmannus in Praef. p. 26. quos tamen multum abest ut peculiares Virgilii interpretes habendos esse credam. Si quis in hujusmodi exemplaria incidat et his in verum Servianorum Commentariorum commodum uti cupiat, is, si meo consilio obsequi velit, unice sollicitus sit de emendandis Scholiis, quae jam edita sunt, sed prudentissime caveat ne nova proferendi furore se abripi patiatur: quo quippe facto haud scio an quidquam aliud effecisse putandus fuerit, quam confusa confusiora reddidisse. Experietur autem, quod mihi quoqne apparuit, praestantiora fere esse ea exemplaria, in quibus Scholia continuo ordine sine textu scripta sunt, quam in quibus Scholia ad marginem prostant; tum, quae in illis reperiuntur, novas accessiones fere antiquioris videri coloris quam quae in his reperiuntur. Cujus rei causa est, quod haec, quae in quavis fere pagina habent spatia Scho-

Scholiis vacua, majorem, quam illa, praebeant novi quid subinde addendi occasionem.

Vix necesse est monere, me non disputaturum esse de singulis hominibus, qui in explicando Virgilio non aliter versati sunt quam ut, pauca de suo penu addentes, Servii Commentarios excerpserint. De his enim vix quidquam dicere possim, quam (et cui bono hoc sit?) Bibliothecarum nomina et pluteorum numeros ex Catalogis indicare. Satis sit harum rerum cupidos ad Bottarii, Montfauconii, Sinneri, aliorumque labores delegasse.

Est autem in animo eos hic nominare, quorum Scholia ab editis plane diversa sunt, quosque adeo constat peculiares interpretes habendos esse: quod ubi facturus sum, scio me quidem vix quidquam novi posse proferre; sed satis habebo si aliorum industriam excitavero, quibus, in exterorum regionibus celebriores Bibliothecas visere, Fortuna concedit.

§. 57.

Casuus Sacerdos.

Primum itaque hic sese nobis offert Casuus Sacerdos, sive, ut Heynius verum nomen esse conjicit, Cassius Sacerdos. Hujus duo opuscula *Paraphrasin super sex Virgilii libris* et *Trium Eclogarum Virgilii Enarrationes* in Bobiensi Monasterio a. 1494. reperta esse testatur Raph. Volaterranus sub finem Libri IV. Commentariorum Urbanorum (Paris. 1511.) p. XL versâ.

Qua-

Qualis horum librorum forma sit, ignoro: si ex inscriptione hariolari licet, suspicor eam talem esse ut auctor potius inter Paraphrastas quam inter Scholiastas referri debeat. Plenius autem judicare poterimus, si in lucem prodierint haec, quae a peritissima Eichenfeldii manu exspectamus, opuscula; cujus rei spem nobis facit Frid. Lindemannus in Praef. ad Probi Instit. Grammat. (in Corpore Grammaticorum Lat. Vet. T. I.) p. 40.

§. 58.

Scholiastae Anonymi Bibliothecae Bernensis.

Bibliotheca Bernensis multos possidet Virgilii Codices cum scholiis marginalibus. Plerique continent excerpta Servii, admixtis passim ex recentioribus Commentariis. Duos tamen esse cum scholiis quae ab istis diversa sint, docet Sinnerus p. 632 seq. apud quem his numeris notati sunt:

N°. 222. Fol. Codex Chartac. saec. XV. in quo: *Virgilii Aeneidos libri. — Addita Scholia Anonymi.*

N°. 457. 4°. Codex Chartac. saec. XV. in quo: *Georgica Virgilii cum Commentario Anonymi, qui citat Vincentium Bellovacensem.*

De his laboribus, quantum scio, nemo adhuc sollicitus fuit: quapropter cum plurimum speramus fore ut Wagnerus, a quo Servium exspectamus, de his non omnino taceat.

Gnifo scripsit, quod in ejus flore tincta vestis acanthia dicitur."

Praeter hunc, eandem Bibliothecam possidere Glossas MStas ad Virgilium, suspicari licebat ex Munckeri nota ad Hygin. Fab. 129. ubi post citatum Servii scholion haec subjungit: *Glossae MSS. Bibliothecae Leidensis:* „*Ovista filius Ynen regis pastor cum videret caprum saepius a grege discedere et pleniorem reverti, secutus, uvam depascentem invenit, quam decerpsit et gustavit.* cet."

Et sane his indiciis in eam opinionem adductus est Burmannus Junior, qui in Praef. ad Virgil. (p. 30.) haec scripsit: *Alium praeterea Scholiasten Maronis* ineditum *laudat ad lib. II. Georg. 86. et 197. tum possedit etiam* Glossas MSS. *ad Virgilium; quas ab Heinsio habuit Thom. Munckerus, qui ex iis profert nonnulla in notis ad Hygin. fab. 2. fin. et fab. 21. ad Fulgent. lib. I. Mythol. p. 20. 31. et lib. II. p. 98.*

Ego de utroque Codice pro rei gravitate sollicitus, quum Geelium consulerem, humanissime respondit Vir Clar. continuo quidem non satis accurate meminisse, in quibusnam Codicibus ista Scholia et Glossae laterent, verum libenter se mea causa investigaturum; addidit tamen pro ea, qua est liberalitate, si ipse investigare mallem, se singulos, quotquot in Bibl. Leid. essent, Virgilii Codices MStos mihi deinceps examinandos promittere. Cui promisso quum maxima liberalitate et fide satisfecerit Vir Clar. non possum quin optimo viro, cui alia

alia quoque plurima debeo, et hic maximas gratias habeam.

Jam vero quid reperire contigerit, cum erudito orbe communicaturus, partim quidem gaudeo, invenisse quod Burmannus ignoravit: sed simul doleo, me non invenisse, quod cum Virgilii, tum Literarum causa reperire cupieram.

Primum itaque sciant Eruditi, Scholia ista ab Heinsio memorata, et Glossas a Munckero celebratas, non duo diversa opera esse, sicut opinabatur Burmannus Junior, sed unum eundemque laborem, servatum in Codice Membran. Bibliothecae Leidensis Publicae, qui in Catalogo p. 330. B. inter Codd. Lat. numerum habet 135. formae Oct. Deinde sciant, hunc laborem, fortasse olim ampliorem, nunc non integrum esse, quo quippe non nisi duo priores Georgicorum libri explicentur. Porro non sine dolore declarandum est, laborem istum non id esse, quod illa ab Heinsio et Munckero publicata scholia suspicari suaserant; quandoquidem, re plenius perspecta, nihil aliud sit nisi Serviani Commentarii apographum, quod, quamquam hic illic insignes aliquot accessiones contineat, immerito tamen pro peculiaris scholiastae labore habeatur. Denique sciendum est, istas accessiones, quibus hoc apographum, quam vulgatae Servii editiones, locupletius est, easdem esse quas Burmannus Major in primo volumine Virgilii ad calcem paginarum inter varias Servianorum scholiorum lectiones ad librum primum et secundum Georgicorum publicavit, notatas litera G. de quibus nunc apparet perperam divinasse Burman-

mannum Juniorem (1): quem hac in re, errasse, tanto magis mirum est, quod meliora facile discere potuisset ex Virgilii editione, quae inscripta Valkenierio ex officina Abr. Commelini prodiit Amstelodami a. 1646. form. quart. In hoc libro enim Corn. Schrevelius, Gymnasii Leidensis Rector, qui hujus editionis curam habuit (2), eadem illa scholia, quae a Burmanno Majore litera G. (qua *Glossas* videtur voluisse significare) notata sunt, inter

(1) De his enim Burmannus Junior, quum certo pronuntiare non auderet, ita suspicatus est in Praef. p. 31. „*Celeberrimus etiam Joh. Christoph. Wolfius per literas Idib. Jan.* 1731. *scriptas, specimine transmisso, obtulit Patruo ex Bibliotheca Hamburgensi Excerpta Lindenbrogiana, sive emendationes quasdam et accessiones ad Servium in Georg. et Aeneida, quas ex MS. codice manu sua adleverat. Fred Lindenbrogius marginibus editionis Virgilii Basileensis an.* 1544. *Joh Bapt. Egnatii cura cum veterum atque adeo Servii Commentariis publicatae. Sed his tamen non usus videtur Patruus, neque molestiam cetera excerpendi viro egregio aliisque laboribus occupatissimo imponere voluisse, sed pro specimine isto gratias egisse, quod forte continebat variantes in primum ac secundum Georgicon librum, quas litera G illic denotasse Patruum suspicor, quamquam id divinare mihi difficile sit.*

(2) Apparet hoc ex Commelini Praef ad Lectorem in fin. „*Adjecimus et notas e summis nostri et superioris saeculi Viris, magno judicio excerptas, a Clarissimo et Praestantissimo Viro Cornelio Schrevelio, Medicinae Doctore et Rectore publici Gymnasii Lugdunensis; cujus utili opera, quo felicius cuncta prodirent, in caeteris etiam usi sumus.*“ tum ex carmine quod Cornelio Schrevelio, hanc editionem curanti, accinit Casp. Barlaeus, inserto post Praef. Commelini.

ter notas Variorum publicavit; sic insignita: *Gloss. MSS. Lugd.* Deinde potuerat id quoque scire Burmannus, si contulisset patrui sui notam ad Ovid. Fast. II. 286. aut ad Met. VI. 93. ubi didicisset, auctorem harum Glossarum a patruo suo et habitum et nominatum esse *Servium ex Codice Leidensi.*

Ne autem oscitanter judicasse videar, ubi dixerim Scholiastam illum Leidensem nihil aliud esse nisi Servii apographum, hic illic locupletius, jam speciminis causa aliquid ex isto Codice publicabo. Sic, instituta comparatione cum editis Servii Commentariis, apparebit, librarium Codicis Leidensis alia omisisse, alia mutasse, ita ut modo scholia loco suo moverit, modo corruptius scripserit; quin et addidisse passim nonnulla, quae tamen non tanti sint ut propter haec peculiaris Scholiasta habeatur, quum praeterea incertum sit, utrum ipse haec ex proprio ingenio, an ex locupletiori exemplari, depromserit.

Post Proöemium igitur Codex ille Leidensis ad initium L. I. Georgicorum haec habet scholia:

vs. 1. *Quid faciat laetas segetes.* [1]Quae res pingues terras efficiat. Nam segetem modo pro terra arata posuit; sic alibi: [2] horrescit seges sentibus. Pingues enim [3] efficiat terras, ut paulo post dicturus est. [4] Cinis enim immissio arandi, incensio stipularum, unde stercoratio. Unde etiam laetas ait. Nam [5] fimus, qui per agros jacitur, vulgo laetamen [6] vocant.

1 Totum hoc scholion iisdem verbis, sed subinde correctius, legitur in Servii Commentariis. Voces corruptae *efficiat*, *immissio*, *vocant* inter Varias Lectiones, ad calcem paginae, a Burmanno Majore notatae sunt, insignitae litera G; quod argumento est, Burmannum, ubi Codicem G citet, nullum alium, nisi hunc, significasse. Idem monuit vocem *arata*, quae in edd. abest, reperiri in Cod. G. — 2 Videtur significari versus ex Aen. VII. 526. *Horrescit strictis seges ensibus.* — 3 Requiritur *efficit*, et ita in Servii editt. Corruptio orta ex superiore *efficiat.* — 4 Sensus et corruptione et distinctione mancus ita constituatur ex memelioribus Servii Codd. *Pingues enim efficit terras, ut paulo post dicturus est, cinis, intermissio arandi, incensio stipularum, stercoratio.* — 5 Postremam scholii partem Munckerus tamquam annotationem ex Gloss. MSS. citat in notis ad Fulgentii Mythol. L. II. c. 19. (p. 700. edit. v. Stav.) quod argumento est, Munckerum, ubi Gloss. MSS. ad Georg. I. vel II. citet, hujus Codicis Glossas significasse. Fugit autem Munckerum, ut videtur, eadem verba apud Servium legi. — 6 Sensus requirit *vocatur*, quod miror nòn annotatum esse a Munckero.

Quo sidere. Quo tempore, [1] vel cujus sideris ortu. Ex sideribus enim tempora colliguntur. [2] In his IIII. versibus primis, IIII. genera agriculturae sunt. *Quid faciat.* Arvus. *Vertere.* Consitus. *Conveniat.* Pascuus. *Sit pecori.* Floreus.

1 Verba *vel cujus sideris ortu* Burmannus iterum ex Cod. G memoravit. — 2 In Servii editt. haec leguntur: *Et sciendum, quatuor primis versibus textum sequentium librorum per ordinem contineri.* quae librarius, ut videtur, suo arbitratu mutavit; secutus tamen ea, quae Servius in Prooemio ad hunc librum scripserat: *Omnis terra, ut etiam Varro docet, quadrifariam dividitur. Aut enim* arvus *est ager, i. e. sationalis: aut* consitivus, *i. e. aptus arboribus; aut* pascuus, *qui herbis tantum et ani-*

ma-

mellibus vacat: aut floridus, in quo sunt horti apibus congruentes et floribus.

vs. 2. *Maecenas.* [1] In cujus honorem Georgica scripsit.

1 Additamentum librarii. Servius ejus rei meminerat in Proœmio.

Ulmisque adjungere vites. [1] Proprie enim vites ulmis maritantur, ut ipse: [2] Summasque sequi tabulata per ulmos. Et secundum Italiae situm locutus est, in qua vites altius elevantur.

1 Librarius Servii scholion paulum mutavit. — 2 Nempe Georg. II. 361. In Servii scholio alius versus citatur.

vs. 3. *Qui cultus habendo sit pecori.* h. e. [1] quae cura boum: aut certe [2] catacen ait boves et postea intulit cetera animalia, ut majus animal separaret a minoribus, sicut de hominibus facit [3]: Relliquias Danaum a. i. a.

1 Ad verbum adeo hoc scholion est in Servii editt. — 2 Videtur legendum esse κατ' ἐξοχήν. — 3 In Servii editt. insertum est *dicens.* Versus qui citatur est Aen. I. 30. *Relliquias Danaum atque immitis Achilli.*

Qui cultus. [1] Cultum posuit pro cultura. Cultura enim constat in animi intensione: cultus autem in ipsa operis diligentia.

1 Hoc scholion apud Servium non legitur. Burmannus vero in V. L. memoravit ex Cod. G.

vs. 4. *Parcis.* i. e. Servatricibus, [1] quae mella custodiunt.

1

[illegible] In Servii editt. additum est *frugi*; quo facile caremus.

vs. 5. *Clarissima lumina.* [1] Sunt qui Solem et Lunam volunt intelligi. Stoici autem dicunt non esse nisi [2] deum et unam potestatem, quae pro ratione officiorum nostrorum variis nominibus appellantur: unde eundem Liberum eundem Apollinem vocant: item Lunam eandem Proserpinam dicunt; [3] secundum quos pro Sole Liberum: pro Luna Cererem invocabant.

1 Prima hujus scholii periodus in Servii editt. non legitur: est vero a Burmanno in V. L. memorata. Quae sequuntur, ea Munckerus l. c. p. 700. tamquam ex Scholiastâ inedito publicavit, parum cogitans eadem in Servii editt. reperiri — 2 Recte Munck. monuit legendum esse *unum Deum;* et ita habent aliquot MSS. Servii. — 3 In Servii editt. *Secundum quos, pro Sole et Luna Liberum et Cererem invocavit.*

vs. 6. *Quae ducitis annum.* Nam per Lunam menses, per Solem annus ostenditur: [1] aut per Liberum masculos deos, per Cererem feminas deas significat.

1 Posterior explicatio non legitur apud Servium. Memoravit eam Burm. ex Cod. G.

vs. 8. *Chaoniam.* [1] Quia in Chaonia, regione Epiri, priusquam Ceres frumentum invenisset, antiqui homines glande vescebantur. Et modo speciem pro genere posuit: [2] non enim in Epiro tantum glandes fuerunt; aut de solo [3] Acheloö homines potaverunt.

1 Est hoc scholion Servii paulum immutatum a librario. — 2 Burmannus, hoc scholion ex Cod. G memorans, scripsit

nam

nam in Epiro. In Codice legitur nem: quibus literis sine dubio significatur, id quod sensus requirit, non enim. — 3 Codex habet Achilonio. Similiter in seq. scholio.

vs. 9. *Acheloïa.* [1]naq: Achelous solus vino sit mixtus, sed ipsum pro qualibet aqua posuit, sive quoniam ex Oceano et [2]Thetide multis genitis fluviis hic primus natus est, in honorem ejus omnis Acheloïa dicta est aqua.

1 Hoc scholion in Servii Commentariis non reperitur. Burmannus, hanc glossam in V. L. memorans, recte emendavit *Non quod A.* Et sic jam emendaverat Munckerus ad Hyg. f. 274. p. 384. et ad Fulgent. Myth. L. I, c 1. p. 624. — 2 Thetis fuit Pelei uxor: Oceani, Tethys. Sed haec nomina a plerisque Scholiastis vitiose scribuntur.

Pocula et rel. [1]Ovista enim filius [2]Ynen regis pastor cum videret caprum saepius a grege [3]discere et [4]plenior reverti secutus uvam depascentem invenit, quam decerpsit et gustavit, cujus dulcedine inductus eam expressit et cum humorem ejus bibisset [5]quem et suavem sensit ac per hoc de Acheloō flumine, in cujus ripa uva fuerat inventa aquam miscuit vino atque ita cum potum optimum fecisset, speciem uvae et potum optimum obtulit regi, [6]qui cum ille probasset uvam inventoris nomine vocari jussit, vinum Graeco verbo [7]Ynon a suo nomine appellavit.

1 Ex hoc scholio manifeste apparet, Burmannum, quas novas glossas citet, insignitas litera G, ex hoc Codice sumsisse. Ita enim, corruptum ut est, edidit in V. L. Idemque valet de Munckero, qui ad Hyg. f. 129. p 233. hoc scholion publicavit ex *Glossis MSS. Bibliothecae Leidensis*, ut ipse ait. — 2 Burm. em. *Onista enim filius Oenei.*

nei. Munck. *Staphylus Oenei*: et ita Servius et Probus ad h. l. — 3 Ita Codex. Burm. em. *discedere*: idque tacite jam dederat Munck. Apud Probum legitur: *notavit unam praecipue, sedentem a grege*, pro quo *secedentem* legendum censuimus supra p. 64. Potueramus etiam scribere *discedentem*. — 4 Leg. *pleniorem*, ut Burm. emendat. Et ita jam Munck. — 5 Munck. em. *eam*. — 6 Munck. em. *quem*: Burm. *cui*. — 7 Munck. *Oenon*: Burm. *Oἴνων*.

vs. 10. *Et vos agrestum praesentia numina Fauni.* [1] Propitia, ut: Nec tam praesentes alibi cognoscere divos, quorum praesentia favor est, et bene de diversis dicturus diversa invocat numina.

1 Ad verbum ita haec prostant in Servii editt. Versus, qui citatur, est Ecl. I. 42.

vs. 11. *Ferte simul pedem.* [1] Id est simul venite, adjuvate carmini meo facilitatem quod utique pedibus continetur ut sit *ferte pedem* metricam praestate rationem.

1 In Servii editt. *Aut simul venite*: *aut date*. Reliqua ad verbum conspirant. Burm. illud *adjuvate* memorans, apponit literam G, ut omnino non dubium esse possit, quin hae Glossae sint eaedem, quas Burmannus litera G indicavit, et e quibus Munckerus tamquam ex inedito opere passim scholia memoravit. Conf. hunc ad Hygin. p. 20. 66. 259. 345. et ad Fulgent. p. 598. 613. 685. 707. 713. alibi.

Volueram huic specimini alterum subjicere, quo ostenderem eas annotationes, quas Heinsium memorasse diximus, non nisi additamenta ad Servium habendas esse: ita quippe in hoc Codice collocatas, ut et quae singulis praecedunt et quae istas sequuntur, ad verbum cum Servii Commentariis conveniant. Sed, ne in nimium disputatio nostra ero-

cresceret, hoc supprimendum censuimus. Satis sit si dixero, posse hoc facile cuivis apparere, qui Burmanni Var. Lect. litera G insignitas conferat ad Georg. II. 86. 119 et 197. in calce paginarum positas.

Et sic mihi probasse videor, quae de Scholiasta et Glossographo inedito in Bibliotheca Leidensi servato feratur, famam esse falsam.

§. 63.

Scholiastes Vossianus qui servatur in Bibliotheca Leidensi ineditus.

Quum singulos Bibliothecae Leidensis MStos Codices Virgilii, a Geelio V. Cl. liberaliter mihi ad inspiciendum concessos, perscrutarer, incidi in Codicem quo continentur Scholia antiqua in Eclogas, Georgica et partem Aeneidos, continuo ordine absque textu scripta; qui, ex Vossiana supellectile profectus adeoque dudum inter Leidenses thesauros relatus, a nemine, quantum quidem scio, umquam usurpatus est (1).

Prae-

(1) Codex est membranaceus formae maximae et in Ca-

Praecipua neglecti Codicis causa videtur tenuitas Scholiorum, quae parum aut nihil continent quod Virgilianorum poëmatum interpretationi prodesse possit. Et quum, quae quidem melioris notae hic reperiuntur scholia, ea fere nunc in editis Servii Commentariis legantur, idque melius et correctius, suspicor plerosque, qui hunc Codicem velocibus oculis adspexerint, putavisse Scholia ista esse excerpta e Servio, atque sic continuo de manu deposuisse. Et in primo adspectu ego sic opinabar; ejusque opinionis aliquod praesidium reperire mihi videbar in eo quod ad calcem folii XVIII. ab antiqua manu rubro colore appictae essent literae *Seruus Hus exp.* in quibus *Servius Honoratus exposuit* vel *expositor* latere putabam. Parum igitur abfuit, quin, ad alia festinans, hunc Codicem, qui nihil novi allaturus videbatur, immature in pluteum suum abjici jussissem. Mox vero, periculum facturus quatenus haec excerpta valerent ad emendandos Servii Commentarios, vidi subinde citari in his Scholiis nomina antiquiorum interpretum Galli et Gaudentii, quos quidem in Virgilii interpretatione operam suam

Catal. Bibl. memoratur p. 374. A. notatus N°. 79. Praeter primum folium, quod laceratum est, Codex est satis integer. Scholia autem deficiunt in medio libro IV. Georgicorum. Quae enim ad librum III et IV. Aeneidos in hoc Codice reperiuntur Scholia, ea nec eadem manu scripta nec ejusdem auctoris esse videntur: in quibus quippe Junilius, Gaudentius et Gallus ne semel quidem memorentur. Eaque equidem pro meris Servii excerptis habenda esse putem.

suam collocasse aliunde non notum erat. Quod ubi compererim, opinatus sum haec Scholia, licet maximam partem cum editis Servii Commentariis conveniant, habere nonnihil quo mererentur paulo accuratius examinari.

De auctore vel potius compilatore horum Scholiorum nihil certi dicere possum: cujus quippe nomen non adscriptum sit in fronte Codicis. Reperitur quidem ad finem libri I. Georgicorum haec subscriptio: *Titus Gallus de tribus Commentariis Gaudentii haec scripsit*, sed inde nolim contendere Titum Gallum haec Scholia scripsisse, quum secus esse, inde appareat quod Galli nomen aliquoties in ipso Commentario memoretur. Quin et, ne huic subscriptioni fidem habeamus, suadet altera subscriptio ad finem Ecl. X. *Haec omnia de Commentariis Romanorum congregavi, id est, Titi Galli et Gaudentii et maxime Junilii Flagrii Mediolanensium.*

Quicunque autem horum Scholiorum compilator fuerit et quantolibet pretio haec Scholia habenda esse censeantur, docemur inde, quod antea ignorabamus, Titum Gallum et Gaudentium olim Virgilii carmina interpretatos esse; tum vero etiam certo argumento confirmari videmus, quod prius tantum suspicari licebat, Philargyrii Commentarium fuisse olim longe ampliorem quam qualis hodie sit.

Ad quam utramque rem probandam, sufficiet, quod concedente Geelio facimus, publicavisse:

SPE-

SPECIMEN SCHOLIORUM INEDITORUM.

Publii Virgilii Maronis Georgicon Liber primus incipit.

[1] Junilius flagrius Valentiano [2] Mediola. Virgilius [3] in operibus suis diversos secutus est poëtas. Homerum in Aeneide; quem, licet intervallo longo, secutus est: Theocritum in Bucolicis, a quo non longe abest: Hesiodum in his libris Georgicorum. Non caret autem ratione, quod duos libros Georgicorum Hesiodi in quatuor divisit, nam omnis terra quadrifaria: aut enim arvus est ager, id est sationalis; aut consitus, id est aptus arboribus; aut pasçuus, (qui) herbis tantum et animalibus vacat; aut floreus, in quo sunt horti, apibus congruentes et floribus. Ad Maecenatem autem scripta sunt Georgica, petente illo. Praefatio autem hujus artis haec est *quid faciat laetas segetes.* Invocatio numinis ut *Vos o clarissima mundi lumina.* Expositio materiae ut *Vere novo gelidus.* [4] Talit ee in Aeneide. In Georgicis poëta solus loquitur. In gyor ad&hica narrat. in georu medium eloquium.

1 Qui in principio hujus Commentarii *Junilius Flagrius* et deinde solo praenomine *Junilius* vocatur, non dubium est quin sit vetus Virgilii Scholiasta *Junius Philargyrius*, cujus etiamnum superest Commentarius in Bucolica et Georgica: de quo exposuimus §. 5. Favet huic opinioni et convenientia nominum et praecipue Valentiani commemo-

moratio, quandoquidem, ut supra p. 98. narravimus, Fulvius Ursinus aliunde docuerit Philargyrium Commentarios suos ad Valentinianum scripsisse. Videtur quidem obstare, quod annotationes, quae Junilii nomine citantur, maximam partem in Philargyrii Commentario non reperiantur. Sed parum hoc valebit, si cogitaveris Philargyrii operam, qualem istam nunc habemus, tam tenuem esse et exilem ut, quum justi Commentarii mensuram vix impleat, dudum suspicionem moverit, fuisse eam olim longe locupletiorem. Et sunt alia quaedam Junilii nomine citata, quae etiamnum in Philargyrii Commentario leguntur. (vid. vs. 58. et 295.) — Si de causa quaeras, quare Anonymus antiquioris interpretis nomen ad principium Commentariorum suorum scripserit: eo voluit indicare, annotationem quae continuo sequatur, ex Philargyrii Commentario desumtam esse; et scito fuisse plures Scholiastas, qui hoc fecerint: quemadmodum ille a Majo Veronae repertus, de quo dixi §. 7. qui singulis scholiis, quae ex aliorum lucubrationibus hausit, antiquiorum interpretum nomina adscripsit. In reliquo autem Commentario hic non ad initium scholiorum memorat auctoris nomen ut ille Veronensis, sed continuo ad finem annotationum usurpat illud *Junilius dicit.* — Hujus autem praefationis, quam Anonymus hic Junilii Flagrii nomine citat, ne litera quidem in editis Philargyrii Commentariis reperitur. Sed quum ista fere epitome sit praefationis quae nunc in Servii Commentariis legitur, parum abest quin credam, eam, quae nunc Servii nomine feratur, Philargyrium habuisse auctorem et deinde, ut plerasque hujus annotationes, in Servii Commentarios transiisse. Suspicor itaque Anonymum in brevius contraxisse longiorem Philargyrii praefationem. Ad qualem laborem nefas sit opinari hunc Anonymum non fuisse idoneum; quamquam illum non peritiorum numero habendum esse censeo, utpote qui et alia imperitiae suae prodat documenta et hic jam in ipso ingressu. Quum enim antiquioris interpretis operam repererit inscriptam: *Junilius Flagrius Valentiano Mediola.*, ille hunc inscriptionem ita ad verbum secutus est, ut duas posteriores voces esse in-

S ter-

terpretis sui nomina censuisse videatur. Quodsi quis tamen opinari malit Anonymum ipsam a Philargyrio scriptam praefationem dedisse, is simul statuat necesse est, aut Philargyrium Servii operam in brevius contraxisse, aut Servium Philargyrii laborem ampliasse, quandoquidem haec, uti diximus, epitome sit praefationis quae in Servii Commentariis ad initium Georgicorum legitur: cujus quidem neutrius rei vestigia reperiuntur, adeo ut statuendum videatur, nec hujus laborem illi, nec illius laborem huic fuisse notum. — 2 Eam vocem Fulvius Ursinus in suo Philargyrii apographo non invenit: hac autem nunc docemur, Philargyrium Commentarios suos *Mediolanum* misisse. Quod auctor horum Scholiorum non intelligens, putavit Junilium Flagrium fuisse *Mediolanensem*, quemadmodum eum vocat in subscriptione ad finem Ecl. X. de qua diximus p. 268. — 3 Codex, qui subinde scatet vitiis, habet *inom peribus;* mox *haeniadis* pro *Aeneide* et *Hesiodus* pro *Hesiodum.* — 4 Postrema pars Praefationis habet aliquid abrupti et inconditi; et mihi quidem videtur esse additamentum librarii. Pro *aethica* sine dubio legendum erit *Ethicam.*

vs. 1. *quid faciat laetas segetes.* [1] In his quatuor versibus, quatuor agrorum sunt genera. *Quid faciat*, arvus. *Vertere*, consitus. *Conveniat*, pascuus. *Sit pecori*, floreus.

seges. Pro terra, sed alii pro terra tamen cum fructibus accipiunt.

laetas segetes. Pingues terras, nam similiter vulgo laetum dicitur.

quo sidere. Quo sideris ortu vel occasu. Hic metaphora ex animali ad inanimale.

1 Similia fere apud Servium in Proöem. (cujus verba sic interpungenda sunt:) « *Quae omnia breviter comprehendit et dilucide explicuit; ut quatuor studia ruris quatuor voluminibus indicaturus quatuor versibus inciperet et clauderet: De agricultura:* quid faciat laetas segetes; *De vi-*

vitibus et arboribus: ulmisque adjungere vites; *De pecoribus*: quae cura boum; *De apium dilecto*: apibus quanta experientia." In ipsis Servii Commentariis ad h. l. *Et sciendum, quatuor primis versibus textum sequentium quatuor librorum per ordinem contineri.*

vs. 2. *vertere.* Arare.

Maecenas. Praefectus praetorio fuit, ad quem fecit Virgilius Georgica.

(*ulmisque*). [1] Ulmi, arbores in [2] quibus vites altius eleventur.

1 Addidi vocem, ad quam annotabatur. — 2 In Codice, quem Burmannus litera G insignivit, hoc legitur scholion: *Proprie enim vites ulmis maritantur, ut ipse* [Ge. II. 361.] "*summasque sequi tabulata per ulmos.*" *et secundum Italiae situm locutus est, in qua vites altius elevantur.* Posteriora verba item in Servii Commentariis leguntur.

vs. 3. *conveniat.* [1].

cultus. Pro cultura. [2] Cultura in animi constat intensione: cultus autem in ipsa operis diligentia.

boum. Pro omni pecore.

(*cultus.*) Cultus, habitus hominum: cultura, agrorum.

habendo. Dum habeantur.

1 Ad hanc vocem nihil annotatum est; sed qui haec Scholia consarcinavit, ipsam scholiis suis interposuit ut transitum indicaret ad vs. 3. cujus principium est *Conveniat.* Et hoc saepius facit, ut, ubi dicturus est de vocabulo quod in medio versu est, primam vocem versus interponat. Quin et, si quem versum intactum relinquit, plerumque tamen hujus principium memorat, quod sit tamquam pro numeri indicatione. — 2 Iisdem verbis hoc scholion legitur in Cod. G. Mox autem quum aliam di-

stinctionem memoret Scholiastes, prodit se ex variis interpretibus sua hausisse. Et sic saepius duplex vel subinde etiam triplex reperitur in his Scholiis ejusdem vocabuli interpretatio. Vid. vs. 66. 126. 143. 149. 215. 275. 288. 315. 450.

vs. 4. *sit pecori*[1].

experientia. Notitia.

apibus parcis. Apes parcae (a) parcendo suis dominis, id est, colligendo mel, quoniam apes minutatim conferunt et diligenter custodiunt.

parcis. [2] Servatricibus frugium.

1 Haec verba iterum apposuit, ut indicaret, se nunc ad vs. 4. progredi. — 2 Servius: *Servatricibus frugi.* Ceterum duplex interpretatio iterum ostendit, haec scholia ex variis interpretibus excerpta esse.

vs. 5. *vos o clarissima* et reliqua usque *alma Ceres.* Quidam simpliciter intelligunt Liberum et [1] Cerem, quos Philosophi dicunt quasi oculos mundi. Aliter Apollo et Diana.

1 Ita Codex. Mox autem *Cererem.*

vs. 6. *lumina.* [1] Quidam autem home *Liberum*, Solem volunt intelligi, quod liber evagetur: *Cererem*, Lunam, quod creat fructus: non enim alias possunt segetes virere non fuit horum duorum ad vite ministeriis. GAUDENTIUS dicit.

1 Hoc scholion ex antiquioris interpretis Commentario excerptum, non unam suscepit maculam ab incuria nostri Scholiastae. Pro *home*, Gaudentii Commentarius videtur habuisse *homines.* In verbis *evagetur* et *creat* librarius pro lubitu modos turbavit. Quid sibi velint verba *non fuit*, omnino non intelligo. Pro *ad vite* legendum erit *adjutae.* De Gaudentio, cujus Commentarius in his Scholiis frequenter citatur, dixi §. 13. p. 167.

vs.

vs. 7. *Liber.* Id est, Sol.

Ceres. Luna.

si munere. Si, confirmantis est.

vs. 8. *Chaoniam glandem.* [1] Chaonia regio est in Epiro, ubi Jupiter praecipue colitur: quercus autem in Jovis tutela est, quippe ex qua glandes nascebantur, quibus homines ante vescebantur.

arista. [2] Pro frumento. Speciem pro genere posuit.

1 Servius: *Chaoniam. Epiroticam, a loco, in quo abundant glandes, quibus antea homines vescebantur: vel quod ibi quercus Jovi Dodonaeo sacrata.* — 2 Servius: *Et modo speciem pro genere posuit: non enim aut in Epiro tantum glandes fuerunt: aut de solo Acheloö homines potare consueverant.* Pingui *autem* arista *modo pro frumento posuit.*

vs. 9. *pocula Acheloia.* Fluvialia. [1] Achelous, fluvius. [2] Ovista filius Ynen regis pastor cum videret caprum saepius a grege discedere eum secutus est [3] uvam depascentem invenit quam statim expressit [4] hac de Acheloö flumine, in cujus ripa uva fuerat inventa, aquam miscuit vino obtulitque regi, qui cum probasset [5] inventoris nomine vocari vinum Graeco verbo Ynen a suo nomine appellavit.

1 Codex *Achelonius* et ita mox *de Achelonio flumine.* — 2 Iisdem fere verbis fabula narratur in Cod. G. vid. supra p. 267. Comparatio docebit quomodo haec emendanda sint. — 3 Aut *est* mutandum erit in *et*, aut legendum *secutus est et uvam depascentem invenit.* — 4 Ita Codex. — 5 Omissis duabus voculis mire sententiam turbavit librarius. Lege: *qui cum probasset, uvam inventoris nomine vocari jussit, vinum* cet.

vs.

vs. 10. *et vos praesentia.* Propitia.

Fauni. [1] Dii silvestres Latinorum, dicti a Fauno, rege Italiae, vel a fando.

1 Servius: *Praesentia, quoniam dicuntur usque ad ea tempora, quibus fuit Faunus, qui dictus est a fando, visa esse numina.*

vs. 11. *ferte.* Adhibete adjutorium carmini meo.

pedem. Versum.

vs. 12. [1] *munera.*

1 More suo Scholiastes hanc vocem scholiis suis interposuit, quae initium est vs. 12, quamquam nihil de hoc versu annotaturus. Quod semel iterumque monuisse sufficiat. Et in sequentibus haec a nobis omittentur.

vs. 13. *fudit equum.* [1] Equum, Pegasum: quia [2] Neptunus in principio terram percussit tridenti et inde equus, Pegasus nomine, prosilivit [3] aut Mesapus equum domitor prolesque Neptuni. JUNILIUS dicit.

equum. [4] Quoniam ab Ope pro Neptuno sit equus suppositus Saturno: pro Jove lapis. Hic convenit Neptunum invocare; de equis dicturus. JUNILIUS dicit.

1 Neque hoc, neque id quod sequitur, scholion, in Philargyrii Commentariis repetitur. Apparet igitur, istos olim fuisse ampliores. — 2 In Servii Commentariis fabula sic narratur: *Cum Neptunus et Minerva de Athenarum nomine contenderent, placuit Diis, ut ejus nomine civitas appellaretur, qui munus melius mortalibus obtulisset. Tunc Neptunus, percusso littore, equum, animal bellis aptum, produxit: Minerva, jacta hasta, olivam creavit: quae res est melior com-*

comprobata, et pacis insigne. Ut autem modo Neptunum invocet, causa ejus muneris facit: quia de equis est dicturus in tertio. — 3 Est versus Virgil. Aen. IX. 523. « *At Messapus equûm domitor, Neptunia proles.*" — 4 Eadem fere in Cod. G. *Quoniam ab Jove* (sic) *pro Neptuno equus sit suppositus Saturno, sicut lapis pro Jove. Convenit hujusmodi historiam dicere et Neptunum invocare, qui de natura equorum dictus est.* Lege, *quia — dicturus est.*

vs. 14. *cultor.* Pro incola, id est Aristaee. Aristaeus Apollinis et [1] Coronae filius, cujus fabula haec est; [2] Cum aliquando in quasdam civitates Graeciae gravis pestilentia venerit, responsum dedit Apollo, aliter pestilentiam non posse sedari nisi suo filio Aristaeo vovissent candida armenta. Illi vero electos juvencos candidos in Caeam insulam duxerunt et ibi reliquerunt quamquam fuerunt numero CCC. Vel *tercentum* pro multis.

1 Pro *Coronae* apud Servium *Cyrenes:* idque rectius; apud Schol. Statii ad Theb. IV. 565. *Cirenae.* — 2 Haec fabula non narratur a Servio.

vs. 15. *dumeta.* Spineta, pascua.
tondent. [1] Vescuntur.

1 Codex *vescantur.*

vs. 16. *Lycaei.* Lycaeum mons Arcadiae.
vs. 17. *Pan.* Pana Pindarus ex Apolline et Penelopa in Lycaeo monte editum [1] dnr.

1 Ita Codex. Sensus requirit *dicit*; et ita apud Servium legitur. Est autem hoc initium longioris scholii quod prostat in Cod. G. vide Burm.

vs. 18. *adsis o Tegeaee.* [1] Oppido Arcadi-

diae. Quia post mortem Ulyssis Mercurius cum uxore ejus concubuit Penelopa et gravidam fecit et in monte Menalo juxta oppidum Tegaeum parturiit. Pana ideoque dixit Tegeaeum, Tegeū tribrachus Tegeus peanp'm[1].

oleaeque Minerva (inventrix). [2] Sunt qui dicunt Athenis prolatum esse olivae ramum a Minerva.

1 Priora verba videntur truncata: postrema autem corrupta. Quae quomodo emendanda sint, docet Servii scholion: *Tegeaee. Vocativus est, a derivatione Tegei, oppidi Arcadiae, et Tegeum tribrachys est: Tegeaee paeon tertius.* Ipsam fabulam non narrat Servius. — 2 Est hoc iterum initium longioris scholii quod prostat in Cod. G. vide Burm.

vs. 19. *puer (monstrator aratri).* [1] Bene autem tacuit de nomine, quia non unus sed diversi aratrum in orbe monstraverunt. Alii Osyrim putant et ob quam [2] rem ab Aegyptiis sit relatus inter deos. Alii Triptolemum, qui, Cererem, Proserpinam quaerentem, hospitio suscepit et pro humanitate ei fruges dedit, totumque orbem seminavit.

1 Haec partim in Servii Commentariis, partim in Cod. G iisdem verbis narrantur. Vide Burm. et Munck. ad Hyg. f. 147. p. 259. — 2 *Rem* aberat a Cod G. sed recte supplevit Munck. l. c.

vs. 20. *Sylvane.* [1] Sylvanus, deus sylvarum. Hic adamavit puerum, Cyparissum nomine, qui habebat mansuetam cervam: hanc cum Sylvanus nescius occidisset, puer extinctus est dolore; quem amator deus tum vertit in cupressum, arborem ejus nominis, quam pro solatio portare dicitur.

1 Ad verbum fere haec in Servii Commentariis leguntur.

vs. 21. *Diique.* [1] Ne quod numen praetereat.
tueri. [2] Pro tuendi.

1 Scholion truncatum; plenius legitur in Servii Commentariis: *Post specialem invocationem, transit ad generalitatem, ne quod numen praetereat.* — 2 Idem apud Serv.

vs. 22. *non ulla semine (fruges).* Non jactas a nobis.

vs. 23. *satis.* Seminatis.
coelo. Deëst e coelo.

vs. 24. *tuque o Caesar.* [1] Adulatur Caesarem, quem vocat inter deos.

1 Idem apud Serv.

vs. 25. *incertum est.* Quem deum esse te velis: utrum coeli, an maris vel terrae. [1] GALLUS dicit.

1 Hic est Titus Gallus quem supra (§. 13. p. 167.) diximus scripsisse Commentarium in Virgilium. Eundem citat Scholiasta noster ad vs. 31. Quum vero utrumque scholion ad verbum fere apud Servium legatur, probabile videtur suspicari, Galli operam nunc fere in Servii Commentariis latere. Servius ad h. l. *Utrum velis terrarum, an maris, an coeli imperium possidere.*

vs. 27. *auctorem.* Auctor ab augendo dictus.
tempestatum. Temporum.

vs. 28. *maternâ tempora myrto.* [1] Pro illi agente. [2] JUNILIUS dicit.
cingens. [3] Ornans myrto, quae in honore Veneris consecrata est, a qua Augustus originem duxit.

1 Apparet librarium nescivisse legere suum exemplar, nec intellexisse quod scriberet. In Cod. G hoc prostat scholion: *maternam myrtum* pro Julia gente *dixit, quae a Venere traditur oriunda. Veneris autem in honorem et tutelam fuit myrtus.* — 2 In Philargyrii Commentario, qualis iste nunc est, nihil ad h. v. reperitur annotatum; unde apparet istum aliquando fuisse ampliorem. — 3 Idem fere apud Servium.

vs. 30. *Thule.* Insula est [1] in VII triō, in Oceanō. Pro [2] magnitudo potestatis dixit.

sola. Magna.

1 Id est *in Septemtrione*: quam scribendi rationem ignorans Fabricius, in Probo ad Ge. I. 227. edidit *utriones*. — 2 Ita Codex.

vs. 31. *Tethys.* Uxor Oceani, Nympharum mater.

generum. Maritum filiae.

emat. Ad antiquum nuptiarum ritum pertinet, quo vir et uxor invicem emebant. GALLUS dicit.

1 Et hoc Galli scholion in Servii Commentarios transiit; apud quem haec ita leguntur: *quod autem ait* emat, *ad antiquum nuptiarum pertinet ritum, quo se maritus et uxor invicem coëmebant, sicut habemus in jure.* Vide quae diximus ad vs. 25.

vs. 32. *tardis.* Longis: [1] id est si addatur sis ad XIII signum vel cum Caesar erat in coelo, hominum vita tendebitur. JUNILIUS dicit.

1 Dubito an librarius intellexerit quod scriberet. Et quid τῷ *tendebitur* subsit, nec e Servio potui expiscari, nec e Philargyrii Commentario, in quo nihil ad h. v. annotatum reperitur. Fieri potest ut erraverit in conjugatione hujus verbi et voluerit scribere *tendetur*. Sic infra videbimus, ad vs. 315. ipsum quoque errasse in declinatione τοῦ *maturus*. Cf. etiam ad vs. 387.

vs.

vs. 33. *Erigonam.* Tropus metaphora. Erigonem autem [1] Lutatius dicit: Liber pater pro hospitio, Icaro Atheniensi vinum dedit et usum vini monstravit; at ille cum pastoribus dedisset, somno sunt oppressi, quorum parentes aestimantes veneno esse necatos, Icarum occiderunt, cujus cadaver in puteum projecerunt: canis autem ejus cum venisset Athenas, quocumque modo significare coepit domini mortem. Icari autem filia Erigone suspicione tacta antecedentem canem secuta est: cum pervenit ad puteum, patris cadaver sepelivit, qua potuit tristitia quae vitam finivit. Liber autem memor, quod sua causa Icarus periit, filiam ejus inter astra collocavit, quae est Virgo, ejusque Canem, qui quoties oritur, vitis aduritur: quique Sirius appellatur.

1 Significatur Lutatius, Statii scholiastes, apud quem haec etiamnum reperiuntur ad Theb. IV. 655. Ceterum iisdem verbis haec fabula exponitur in Cod. G, non nominato tamen Lutatii nomine. Denuo igitur apparet, (id quod supra diximus p. 66 et 130.) transiisse quaedam ex Lutatii in Servii Commentarios.

vs. 34. *ardens Scorpius.* Licet tempus Scorpii [1] frigidum sit, id est [2] nob: sed tamen *ardens* non solum ad calorem dicitur sed etiam et ad frigus. [3] Aut *ardens*, festinans et cupiens parare locum Augusto.

Scorpius. [4] Eleganter Virgilius locum Scorpionis Augusto tradidit: Astrologi enim Chaldaeorum Scorpionem locum duorum siderum in Zodiaco tenere dicunt.

1 Codex *frigidus.* — 2 His literis significatur *November;* ut vel apparet e Servio. — 3 Postrema explicatio etiam in Cod. G. reperitur. — 4 Hoc scholion apud Servium non legitur.

vs.

vs. 36. *quidquid eris.* [1] Quia cetera per parentes indicta sunt.

1 Apparet, librarium non intellexisse quod scriberet. Melius in Servii Comment. *Cetera enim per parenthesin dicta sunt.*

vs. 39. *nec repetita sequi.* [1] Nec accepta facultate eam sequi voluit. JUNILIUS dicit.
matrem. Cererem.

1 Haec iterum in Philargyrii Commentario desiderantur.

vs. 40. *da facilem cursum.* Poëmatis.
annue. Fave.
vs. 41. *ignaros.* Rusticos juva.
vs. 42. *vatis.* Sacrificiis.
vs. 43. *vere novo.* Expositio.
gelidus. Frigidus.
canis. Candidis.
[1] *in quocum.*
novo. Recente; incipiente enim vere nix solvitur.

1 Quid hae voculae sibi velint, non intelligo. Fortasse sic emendandae: *Cum.* In quo.

vs. 44. *liquitur.* Id est fluit, luit, manat.
Zephyro. Calido vento.
vs. 45. *depresso.* Id est, cum vi fixo.
taurus. Speciem pro genere posuit. Taurum enim bovem dicit, ut [1] coelicolum regi. In litore taurum. Tauro enim sacrificium Jovi non fit. [2] JUNILIUS dicit.

1 Est versus Virgilii Æ. III. 21. „*Coelicolûm regi mactabam in litore taurum.*" — 2 Haec iterum desunt in Philargyrii Comment.

vs. 46. *sulco.* Aratri ductu.
vomer. [1] Hic vomer et hic vomis: et ab utroque hujus vomeris dicitur.
vs. 47. *illa.* Id est terra vel gleba vel seges.
avari. Parci.

1 Servius: *Dicimus autem et* hic vomer *et* hic vomis: *sed ab utroque* hujus vomeris *facit.*

vs. 41. *bis quae solem.* Calorem dierum et noctium [1] similiter frigora: dispar enim est calor diei et noctis: et etiam frigus sentit arator; indicat autem his tempora quibus seritur.

1 Servius: *Quae bis et dierum calorem et noctium senserit frigora.* Reliqua apud Serv. non leguntur.

vs. 49. *illius.* Id est parci agricolae.
ruperunt. Id est horrea impleverunt.
vs. 50. *ignotum.* Immensum.
ferro. Vomere.
quam scindimus. Antequam scinditur.
aequor. Pro campo: hic metaphora est.
vs. 52. *cura.* [1] Tres res dicit: quomodo majores coluerunt, et quid melius ferat et quid recuset.
habitusque locorum. Natura aut pluviis gaudeat an tepore vel frigore.

1 Servius: *Duas res dicit: sciendum est, ager et quemadmodum a majoribus cultus sit, et quid melius ferre consueverit.*

vs. 53. *et quid recuset.* [1] Abnuet.

1 Ita Codex. Et omnino Scholiasta noster parum curavit modos verborum.

vs. 55. *arborei foetus.* Poma.
alibi. Alio loco.
injussa. Sine studio culturaque.
vs. 56. *nonne vides.* Argumentatur sic ac si dicat: si una provincia ferre non [1] potest, quanto magis unus ager.
Tmolus. Mons in Lydia vel in [2] Sicilia, ubi crocum nascitur.

1 Leg. *ferre non potest omnia,* ut apud Servium. — 2 Cod. G. *Mons Ciliciae.*

vs. 57. *molles Sabaei.* Aut delicati vel [1] suaves eo quod sub aëre clementiore sunt: sunt autem juxta Assyriam et Arabiam. Sabaeum, oppidum in Arabia, in quo tus nascitur suave.

1 In Codice legitur *suavei*, quam formam Lexica non agnoscunt.

vs. 58. *at Chalybes.* [1] Gens in Ponto, inventrix ferri: dicti a Calybio, Euboeae vico, quod hinc [2] colo sunt. JUNILIUS dicit.
nudi. Duri.

1 In Philargyrii Commentario etiamnum non nisi initium hujus scholii prostat: *Gens in Ponto, quae ferrum reperisse dicitur.* Sed vel hoc sufficit quo persuasum nobis habeamus, eum, qui hic Junilius vocetur, nullum alium esse quam Junium Philargyrium. Cf. infra ad vs. 295. — 2 Scribendum esse *coloni*, suadet Cod. G; qui contra male *hic* pro *hinc* exhibet.

castorea. Id est testiculos.

E.

Eliadum. [1] Elis urbs Peloponnesi, ab Elo dicta. JUNILIUS dicit.

Epirus. In Europa, in qua equi optimi. JUNILIUS dicit.

Castorea. Castores, canes silvestres, qui in Ponto nascuntur: tamen quos Latini fibros dicunt, quorum testiculi pretiosi sunt ad medicamenta; et virus, quod habent, Castorium dicitur. JUNILIUS dicit.

1 De tribus hisce scholiis ne litera quidem in Philargyrii Commentariis legitur. Satis certo itaque contendere audemus hos quondam fuisse multo ampliores.

vs. 61. *imposuit.* Quidquid frugis debeat proferre.

vs. 62. *Deucalion.* Thessalus, et uxor ejus Pyrrha, filia [1] Terrae.

1 Num Pyrrha ab aliis quoque *filia Terrae* dicatur, reperire non potui. Cf. tamen Schol. Statii ad Theb. III. 560.

vs. 63. *durum genus.* [1] Quod constat ex lapidibus.

terrae. [2] Genim.

1 Codex G. *Durum genus, quod ex lapidibus constat, juxta historiam Deucalionis et Pyrrhae.* — 2 Quid sub hac voce lateat, non intelligo.

vs. 64. *primis (extemplo a mensibus anni).* Veris temporibus.

vs. 65. *invertant.* Arent.

vs. 66. *purverulenta.* Id est propter [1] hiemens, quae pulverulentia facit contrita: hic metaphora vel epitheton est.

coquat. Glebam vertat in pulverem.

maturis. Pro maturis facientibus.

solibus. Diebus.

1 Ita Codex. Similiter supra *inom peribus* et mox *Kal. Octimbres* et vs. 495. *segentes.*

vs. 67. *sub ipsum (Arcturum). In* et *sub* tunc accusativo casu junguntur, cum *adversum* vel *ante* significant, ut [1] ibat in heurulam: et *sub ipsum Arcturum* pro *ante*, ut [2] Donatus dicit Aeneidos secundo.

sub ipsum. Prope ipsum, ut in VI. [3] ecce primum sub limina, prope limina.

sub ipsum Arcturum. Autumnali tempore, quo Arcturus oriturus oritur.

Arcturum. [4] Arcturus, qui Bootes dictus, quod ursus putant: quidam boreo circulo contineri Bootes aiunt, quod plaustrum hic oritur ad Kl. Octimbres.

1 Lege *ibat in Euryalum*, quae sunt verba Virgilii Aen. IX. 424 — 2 Donatus ad Aen. II. 442. *postesque sub ipsos* haec annotavit: *Manifesta descriptio: alii quippe obsidebant* ante *fores* cet. — 3 Aen. VI. 255. « *Ecce autem primi sub lumina Solis et ortus.*" — 4 Non multo emendatius in Codice G. *Arcturus idem est, qui Bootes dictus, idem quem ursas putant quidam a boario circulo contineri. Bootes, quam plaustrum huic ursarum nomini attribuant. hic oritur ad XI Kal. Octob.*

vs. 68. *suspendere.* Leviter arare.

vs. 69. *illic.* In terra forti et pingui.

officiant. [1] Obsint, noceant.

1 Servius: *noceant, obstent.*

vs. 70. *hic.* [1] In tenui et infoecunda.

nec deserat humor arenam. Minus infoecundam terram aquis inrigari juvat.

1

1 Eadem apud Servium.

vs. 71. *alternis.* Per vices, adverbialiter dixit.

idem. Agricola.

tonsas (cessare novales). [1] Agros, messos, quae alternis [2] vocant *novales* quia ibi semina novantur: *novalia* prima rura proscissa: has novales et haec novalia [3] dicuntur.

1 Servius: *Agros messos. Dicimus autem et has novales et haec novalia. Proprie novales sunt arva primum proscissa.* — 2 Leg. *quae alternis vacant, vocant novales.* Rectius Codex G. *Novalia, agri, qui alternis vacant virium novandarum gratia: dicimus enim et has novales et haec novalia.* Novales *quod sementa novantur.* Novalia *prima terra proscissa.* — 3 Ita Codex.

vs. 72. *durescere campum.* [1] Ut redeat in vires priores.

segnem. Pro cessantem dicit.

patiere. [1] Patieris.

situ. [2] Positione.

1 Hoc et duo quae sequuntur scholia, item apud Servium. — 2 Puto librarium perperam legisse. In antiquiore interprete, quem secutus est, videtur scriptum fuisse *pro otio.*

vs. 73. *mutato sidere.* Alternis annis, vel anno.

vs. 74. *siliqua quassante.* Foliola sonante.

laetum. Fertile, pingue.

legumen. [1] Dicit quodcunque falce non colligitur, succiditur, sed manu colligitur.

1 Servius: *Legumen dicitur quod manu legatur, nec sectionem requirat.*

T vs.

vs. 75. *aut tenuis (foetus viciae).* Vicia enim vix ad triplicem pervenit fructum.

tristisque lupini. [1] Quia tristes facit propter amaritudinem; incoctus enim amarus est.

1 Hoc et quod praecedit scholion, ad verbum praestat apud Servium.

vs. 76. *silvamque sonantem.* Ubi enim faba tolluntur, sonat silva.

vs. 77. *urit.* [1] Excerpsit, vexat.

1 Non intellexit librarius. Servius: *Bene excerpsit haec tria, linum, avenas, papaver.*

vs. 78. *Lethaeo (perfusa papavera).* [1] Id est plena oblivionis: et revera papaver gignit soporem.

1 Eadem apud Servium.

vs. 79. *sed tamen.* Redit ad praeceptum.

pingui. [1] Humido.

1 Codex: *humidi.* Ceterum hoc, et quod praecedit scholion, item apud Servium.

vs. 81. *effoetos.* [1] Continua fertilitate.

cinerem. Stercorationem, intermissionem arandi, incensionem stipularum. GALLUS dicit.

inmundum (cinerem). Sordidum, [2] ad discretionem illius, quo utuntur puellae.

1 Excidit vox *lassatos*, quae apud Servium legitur. — 2 Eadem apud Servium.

vs. 2. *requiescunt (foetibus arva).* [1] Quia per intermissionem arationis roborantur, quod repetit dicendo.

1 Servius: *Non enim roborantur: quod intermissio efficit arationis: quam rem rursus repetit dicendo.*

vs. 83. *inaratae.* [1] Non satae: haeret ad illud quod dixit [vs. 71.] tonsas cessare novales.

1 Eadem apud Servium.

vs. 85. *crepitantibus.* Sonantibus.

vs. 86. *pabula terrae.* Diligenter plures causas exsequitur.

vs. 88. *exsudat (inutilis humor).* Exsiccatur, excoquitur. Hic hypallage, dum non humor exsudat sed terra. [1] isiō ait.

1 Puto his literis significari Isidorum; quamquam apud illum hoc exemplum non reperio. Universe hic autem de Hypallage agit L. I. c. XXXV. 22.

vs. 89. *caeca spiramenta.* [1] Breves cavernas per quas sudor manat.

1 Hoc et sequens scholion item apud Servium.

vs. 92. *ne tenues.* Tenues, lentae et penetrabiles id est secretae.

rapidi. Veloces.

vs. 93. *acrior.* Pro duobus vel pro uno.

penetrabile (frigus). [1] Non quod penetrat sed quod facile penetratur. JUNILIUS dicit.

adurat. Siccat: [2] ad solem et ad frigus pertinet: uno sermone duo diversa conclusit clausula.

1 Contrarium tuetur Servius. Ceterum hoc scholion non reperitur in Philargyrii Commentario. — 2 Eadem fere apud Servium.

vs. 94. *rastris.* [1] Hos rastros et haec rastra.
inertes. Pigras, non fertiles. Iners enim, sine arte, qui nullum rei affectum habet, ita et glebae hic dicuntur inertes metaphorice.

1 Eadem iterum apud Servium.

vs. 95. *vimineas.* Id est lentas atque graciles.
trahit. Avellit.
vs. 96. *nequicquam.* Sine causa, inaniter.
spectat. [1] Prospicit.

1 Melius apud Servium: *respicit.*

vs. 98. *rursus.* Scilicet autumnali tempore: [1] qm cum seminibus aratur.
perrumpit. [2] De obliqua aratione: contra sulcum, ut rustici dicunt.

1 Ita Codex: quibus literis subest *quoniam.* Hoc autem ortum ex *quo jam*, quod apud Servium. — 2 Hoc scholion apud Serv. non exstat, sed totidem verbis in Cod. G legitur.

vs. 99. *imperat arvis.* [1] Ut tantum ferant, quantum ipse desiderat.

1 Eadem apud Servium.

vs. 100. *humida solstitia.* [1] Quomodo congruit, cum alterum hibernum, alterum aestivum? Et sunt alii qui solstitia dicunt referentes ad aestivum: alii solstitia pro aequinoctiis verno et autumnali accipiunt.

orate. O Agricolae.

1 Hoc scholion iterum in Cod. G. legitur. Apud Servium autem longius scholion exstat.

vs. 101. *pulvere.* [1] Serenitas pulverem creat.
farra. Frumenta.

1 Eadem apud Servium.

vs. 102. *Nullo tantum se Moesia cultu.* [1] Quantum humida solstitia et hiemes serenae quamvis colloquatur optime Moesia cultu quantum humida solstitia et hiemes serenae quamvis colloquatur optime Moesia.

Moesia. [2] Regio Asiae uberrima vel civitas Phrygiae non longe a Troja prope Gargara, montes Phrygios.

1 Quum bis eadem scripserit librarius, videtur prodere, se haec non ex suo sed alieno penu depromsisse. Priora hujus scholii verba item in Cod. G. leguntur. — 2 Cf. Servius et Burm. in Var. Lect. ad h. l.

vs. 103. *jactat.* Phantasia poëtica in re inanimali.

Gargara. Pars [1] Idae, montis in Phrygia.

1 Ita rectius quam Cod. G. *Indiae*, quod Burm. emendavit.

vs. 104. *jacto.* Jactato.
cominus. Statim, prope.
vs. 105. *ruit.* Frangit, evertit, dissipat.

vs.

vs. 106. *deinde.* [1] Ante generaliter, nunc specialiter agriculturam dicit.

satis. [2] Segetibus, seminatis: *satis* participium est.

sequentes. [3] Juges.

1 Servius: *Post commemoratam generalem agriculturam, transit ad species et culturas venientes ex tempore.* — 2 Servius: *Segetibus, agris satis, id est, seminatis: nam participium est.* — 3 Idem apud Servium.

vs. 107. *exustus.* [1] Calore aestatis.

aestuat. Calefacit.

1 Idem apud Servium.

vs. 108. *supercilio.* Quasi superiore clivo.

clivosi. Inclinati. Metaphorice loquitur ab animali.

vs. 109. *elicit.* Evocat, inducit.

levia saxa. Calculos dicit.

vs. 110. *ciet.* [1] Inriget vel vocet.

scatebris. [2] Salientibus.

1 Pro lubitu modos mutavit librarius, ut saepe. — 2 Est initium plenioris scholii quod habet Codex G.

vs. 112. *luxuriem.* Periphrasticôs dicit: [1] ostendit rem superfluam et nocituram nisi amputaretur.

herba. [2] Herbae adhuc tenerae, antequam in culmos cogantur.

1 Idem apud Servium; ubi *amputetur.* — 2 Haec apud Serv. ad seq. vs. annotata sunt.

vs. 113. *quique paludis* et reliqua. Ordo: paludis humorem deducit collectum.

li-

bibula arena. [1] Haec cultura priori contraria est: nam ut illa sicco agro aquam immittit, ita haec abundantem deducit veris tempore pro varietate aëris.

1 Totidem verbis hoc scholion legitur in Cod. G.

vs. 114. *deducit.* Derivat, siccat.

vs. 115. *praesertim.* Id est, maxime.

incertis (mensibus). Inopportunis: *incertos menses*, [1] quoscunque, qui adferunt variam tempestatem.

1 Servius: *Quidam, incertos menses pro quibuscunque, qui adferant variam tempestatem, accipiunt.*

vs. 116. *exit.* Exire amnes dicuntur, quando exuberant.

obducto. Superfuso; [1] superlito.

(limo). Limus: infimum lutum.

1 Et ita Servius.

vs. 117. *tepida.* [1] Noxio, inutili.

lacunae. [2] Cava loca, quae aquam concipiunt pluvialem.

1 Ita quoque Servius. — 2 Idem scholion, sed longius, legitur in Cod. G.

vs. 118. *nec tamen.* Ordo: nec tamen nihil officiunt, cum haec sint.

vs. 120. *Strymoniae.* Strymon, fluvius Macedoniae vel Thraciae, per duos alveos descendens, lacum magnum efficit.

amaris. [1] Amarosico.

in-

intyba. [2] Hic neutrum est et frequenter *hic intybus*, in singulari numero: in plurali vero neutrum. *intyba* autem [3] quaedam pessima et nervi amari terrae.

fibris. Fibrae, summae partes [4] jecorum sunt: nunc frumentum dfcit.

1 Leg. *amaro succo*, ut in Cod. G. — 2 Convenit scholion Codicis G. ex quo hoc poterit emendari: Intyba, *pluralis, generis neutrius: singularis vero masculini, ut Lucius in V. « Intybus herba, praeterea pedibus pressus equinis » Item* intyba *vena quaedam pessima et nervi amari terrae.* Ubi Burm. conjicit legendum *Lucilius.* — 3 Supple *vena.* — 4 Codex G. *summae pecorum partes.* ubi Burm. conjecit *jecoris.*

vs. 121. *officiunt.* Nocent.

nocet. Frugibus.

pater. Triptolemus vel Jupiter.

vs. 124. *torpere.* [1] Stupore.

veterno. Morbi nomen. Otio, pigritia, desidia hydropicorum; vel *veternum* torporem quemdam corporis quo quasi inveterescat corpus.

1 Scholiastes igitur in suo exemplari habuit *torpore*, non, ut nostra habent, *torpere.*

vs. 125. *ante.* [1] Id est regna, vel usum terrae.

1 Videntur quaedam omissa. Servius: *Ante Jovem. Ante regnum Jovis.* Postrema autem verba *vel usum terrae* non intelligo.

vss. 126. *limite.* [1] Limas fossas in agro quae inutilem concipit opinionem. JUNILIUS dicit.

limite. Termino.

1

1 Neque hoc scholion intelligo; idque iterum in Philargyrii Commentario desideratur.

vs. 127. *in medium.* [1] In commune.

1 Et sic Servius.

vs. 128. *liberius.* Largius.
vs. 129. *ille.* Id est Jupiter.
virus. Venenum: *malum virus* ad discretionem epitheton [1] facit: nam et bonum et malum est, sicut venenum. Licet sub Saturno serpentes fuerint, sed sine veneno.

1 Servius, apud quem prior pars scholii legitur, rectius habet *addidit.* Posterior pars, quae in Servii Commentariis desideratur, exstat in Cod. G.

vs. 130. *moveri.* Navigari.
vs. 131. *removit.* [1] Non sustulit sed occulit.

1 Similiter Servius.

vs. 132. *repressit.* Inhibuit: hyperbolice loquitur.
vs. 133. *extunderet.* [1] Studiose reperiret; a fabris translatio. JUNILIUS dicit.

1 Philargyrii Commentarius tacet ad h. l. Inde autem ducta opinor, quae in Servii Commentariis leguntur: *extunderet. Studiose reperiret et coleret.*

vs. 134. *paulatim.* [1] Quia ars gradibus quibusdam excogitatur. JUNILIUS dicit.
sulcis. [2] Dictis aratri.
herbam. [3] Periphrasis segetis.

1 Neque haec in Philargyrii Commentario leguntur. Servius: *Paulatim. Epitheton artium est.* Quae item ex Phi-

Philargyrii annotatione orta videntur. — 2 Fortasse *ductis*, quod pro *ductibus* scribere sibi permisit, qui et alibi in similibus erravit. Cf. vs. 32. — 3 Et ita Servius.

vs. 136. *alnos.* Rates.

vs. 137. *numeros.* Modos: ut diceretur Septemtrio septem stellarum.

vs. 138. *Pleiadas.* [1] Ortu suo primae navigationis tempus ostendit. Pleiadae sunt stellae, quae, in cauda Tauri positae, in vere oriuntur et Vergiliae vocantur.

Hyadas. [2] Stellae, quae in fronte Tauri, septem, ut Chaldaei tradunt, nutrices Liberi patris, appellatae, ut Musaeus scripsit, ab Ya fratre, quem in venatione interemptum fleverunt. JUNILIUS dicit. [3] Alii: Hyadas, quae ortu suo pluviae oriuntur et quae sunt in medium Y literae in fronte Tauri.

claramque. Non occidit, vel quia aliae non clarae. Lycaonis autem major Septemtrio, quae minor [4] cinosa dicitur.

Lycaonis. Subauditur filia, id est Ursa, [5] in quam transfigurata est Calisto, Lycaonis filia, quae fuit Dianae in venationibus comes, quam Jupiter adamavit et in Dianam versus cum ea concubuit; quae cum [6] praegnans apparuisset, de suo eam removit, quae Arcadem puerum edidit. Sed Juno, odio [7] pellicata, in Ursam eam transfiguravit et venanti filio obtulit. Cum ille feram putasset, insequique coepisset, Jupiter eos iisdem figuris consecravit astris et illa velut ursa fugiens, ille velut impetum faciens in eam; [8] quod sidus Septemtrio dicitur sive a numero stellarum, sive quod in parte

(po-

(poli) Septemtrionalis sit. [9] Hoc arcton dixit, illum autem arcto filium, quod juxta locatus custos esse videatur.

1 Eadem, sed turbato ordine, leguntur in Cod. G. qui rectius habet *ostendunt*; ut et Servius. — 2 In Philargyrii Commentario haec annotatio non reperitur. — 3 Posteriorem scholii partem aliquanto emendatius habet Codex G. *Alii ab eo Hyadas dictas putant, quod ortu earum pluviae nascuntur, quae amantis* (Burm. conj. *a nautis*) *succulae vocantur. Alii, quod magis credibile est, Y litera formatae Hyades appellatae sunt.* — 4 Lege *Cynosura*. Servius: *Elicem dicit, id est, majorem Septemtrionem; nam minor Cynosura dicitur.* — 5 Totidem verbis hoc scholion legitur in Cod. G. ubi Burm. recte correxit *in quantum*. — 6 Codex G. *pinguis*. Malo autem alterum. — 7 Ita etiam Codex G; Burmannus conjiciebat *pellicatûs*. — 8 Burm. asteriscum posuit quasi aliquid desit. — 9 Postrema scholii periodus videtur claudicare; et Codex G. nihil valet ad emendandum. Pro *arcto filium* sine dubio leg. *Arctophylacem*.

vs. 139. *fallere visco*. Ad aves capiendas.

vs. 141. *funda*. A fundendo, id est jactando, dicta, qua lapis stupeis vinculis jacitur. Sed alii genus retis esse dicunt, quod funditur aquae.

vs. 142. *alta*. Alius piscator.

vs. 143. *rigor*. Acies, ut [1] rigido ense ferit.

rigor. [2] Durities: inde rigidus amor dicitur.

lamina. [3] Plures pro lammines dixit.

argutae. Stridulae.

serrae. [4] Perdix, discipulus Daedali, serrae qui primus usum invenit. JUNILIUS dicit.

1 Est versus Aen. XII. 304. *Sic rigido latus ense ferit.* — 2 Ex duplici ejusdem vocis explicatione apparet, haec

Scho-

Scholia ex pluribus Commentariis consarcinata esse. — 3 Hoc scholion non intelligo. — 4 Haec annotatio iterum in Philargyrii Commentario frustra quaeritur. Legitur autem ea multo longior in Cod. G. *Perdix, discipulus Daedali, serrae usum primus invenit, cui magister invidens eum praecipitavit. Hic est sororis ejus filius, vel propter quem ad Minoem fugit. A Minerva in avem perdicem mutatus et quia praecipitatus esset, in altum non potest volare.*

vs. 145. (*tum variae venere*) *artes.* [1] **Perseos magister artis ingenii largitor ventor negatos artifex sequi voces.**

1 Dubito an Scholiastes annotationem, quam, ut videtur, ex alio interprete duxit, intellexerit. Legendum est: *Persius* [Prolog. 10.] „*Magister artis ingenique largitor Venter, negatas artifex sequi voces.*"

vs. 146. *improbus.* Id est, magnus.

vs. 147. *prima Ceres.* Cum numeraverit eaque ab Jove inventa meminit.

ferro. Vomere.

vs. 148. *arbuta.* Genus viminis, rubra poma habens, quae [1] Plinius Unedones vocat.

1 Plinium quoque Servius citat. Significatur autem, ut opinor, locus in Hist. Nat. XV. 28. „*Aliud corpus est terrestribus fragis, aliud congeneri eorum Unedoni: quod solum pomum simile frutici, terraeque gignitur. — Et quid nos alio nomine arbutus vocatur?*"

vs. 149. *Dodona.* [1] Quercum significat, quae est mater illa Dodonaei Jovis. JUNILIUS dicit.

Dodona. Civitas Epiri, juxta quam nemus Jovis consecratum, abundans glandibus.

1 De priore interpretatione ne litera quidem reperitur

in

in Philargyrii nec in Servii Commentariis. Altera totidem verbis apud Servium legitur.

vs. 150. *mox.* [1] Quia ante erat labor, sed tantum herbarum, intyborum; postea accessit robiginis labor.

1 Ita fere etiam Servius.

vs. 151. *esset.* Id est, consumeret.

robigo. [1] Genus vitii quo culmi pereunt; abusive: proprie vitium obscenae libidinis quod ulcus vocatur, ut [2] Varro.

segnis. Inutilis, infoecundus, [3] quod segnes facit carduus ubi calcatur.

1 Plenius hoc scholion exposuit Servius. — 2 Varronis locum, quem et Serv. citat, non reperio. Cf. tamen de Ling. Lat. L. V. p. 47. — 3 Posteriora verba apud Serv. non leguntur.

vs. 152. [1] *subit aspera silva.* De herbis dicta.

1 Nempe *silva*, ut apud Servium.

vs. 153. *nitentia.* Viridentia.

vs. 154. *infelix lolium.* Quod nullum fructum facit, sed magis fructibus obest.

dominantur avenae. Quod altius inter segetes concrescunt.

vs. 155. *quod nisi.* Hoc superioribus addit, nam illic dixit [vs. 120.] „amaris intyba fibris"

vs. 156. *et sonitu.* Id est nisi [1] araveris rastris sarritum dentium dicti.

1 Scholion corruptum. In *araveris* latere opinor *aves fugaveris*.

vs.

vs. 155. *insectabere rastris.* [1] Haeret amaris intyba fibris.

1) Et loco suo motum et plane superfluum scholion videtur.

vs. 157. *premes.* Incides, compesces.

vs. 159. *quercu.* Glandes ad victum colligendo.

vs. 160. *arma.* Instrumenta.

vs. 162. *vomis.* Vomis et vomer *vomeris* faciunt, et ex eo dictus quod trudendo vomat terram.

inflexi. [1] Pro flexi, propter sulcos altius imprimendos.

1) Similiter apud Servium.

vs. 163. *Eleusinae.* [1] Civitas provinciae Atticae, haud longe ab Athenis, in qua cum regnaret Celeus, et Cererem, quaerentem filiam, susciperet hospitio, illa pro remuneratione ostendit ei omne genus agriculturae; et ideo *Eleusinae* dicit, quod ibi maxime colitur.

matris. Nam Veteres patres deos, et matres deas dicebant.

plaustra. Genus vehiculi, bubus aptum.

1) Eadem apud Servium; sequens autem annotatio, qua carent Servii Commentarii, legitur in Cod. G.

vs. 164. *tribula.* Genus vehiculi, quo frumenta colliguntur, vel [1] teruntur in area.

traheae. Genus vehiculi, [2] a trahendo dictum, quod rotas non habet.

et

et iniquo pondere rastri. Inaequali, quia, quae iniqua sunt, pondere praegravantur.

1 Ita recte: idque Servio restituit Burmannus. In Danielis editione et quae hanc secutae sunt, perperam legitur *servantur*. — 2 Eadem annotatio nunc in Servii Commentariis legitur; in quos tamen, ut videtur, aliunde migravit.

vs. 165. *Celei.* Celeus, antistes Cereris, [1] Eleusiorum rex, non utique honestus quia ex virgis habuit plurimam supellectilem.

vilis. Quod vili pretio ematur.

supellex. [2] Usurpatum est, nam artis est *suppellectilis*: domus instrumentum.

1 Rectius Philargyrius *Eleusiniorum*. — 2 Ita fere etiam Servius.

vs. 166. *arbuteae crates.* Id est, conjunctae inter se virgae, hoc est contextae.

vannus. Alveus ex viminibus factus et dictus quasi annus quod patens sit.

mystica. Quod mysteriis Liberi patris adhibetur.

et mystica. [1] Quod instrumentum purgationis est.

Iacchi. Bacchi.

1 Duplex ejusdem vocis explicatio iterum arguit haec Scholia ex variis interpretibus consarcinata esse.

vs. 179. *in burim.* Buris dicta [1] ab ustione: igni enim flectitur. Buris curvamentum aratri est, dictum quasi [2] bosura, quod in similitudinem caudae bovis sit.

1

1 Codex G. *a buetione.* — 2 Ex Servio, apud quem posterior annotationis pars totidem verbis legitur, emendandum est βοὸς οὐρά

vs. 172. *binae aures.* Duae, quibus latior sulcus efficitur.

duplici. Lato.

dentalia. [1] Dentale, lignum in quo vomer inducitur.

1 Hoc et duo, quae praecedunt, scholia, habet Servius.

vs. 173. *ante.* Ante tempus ut exsiccatum fiat.

(*jugo*) *levis.* Quae ad jugum.

vs. 174. *stiva.* Gubernaculum aratri, ut [1] Nigidius dicit.

currus. Rotas; ideo currus, quod in Gallia aratra habent axes et rotas. [2] JUNILIUS dicit.

1 Nigidii nomen a Servio non memoratur. Fragmentum videtur referendum esse ad Commentarios Grammaticos (de quibus vide Rutgers. in Var. Lect. p. 260 — 270.) — 2 Haec annotatio in Philargyrii commentario iterum desideratur. Fieri autem potest, ut inde natum sit scholion, quod apud Servium legitur: *Currus autem dixit, propter morem provinciae suae, in qua aratra habent rotas, quibus juvantur.*

vs. 175. *et suspensa.* Radicitus avulsa.

explorat. Siccat. Bene ait *explorat*, quod vitium materiae ex eo apparet. [1] JUNILIUS dicit.

1 Neque hanc annotationem amplius invenimus in Philargyrii Commentario.

vs. 178. *area.* [1] Ex *aruisse* dicitur: carens humore.

cum primis. [2] Hysteron proteron posuit: prius enim

terra manu terra avertitur, deinde solidatur [3] area, postremo [4] aequatur.

cylindro. Lapide rotundo in modum columnae.

1 Codex G: *Area ex ariditate dicta, quia caret succo.* — 2 Hoc scholion in Servii Commentariis cum sequenti conjunctum est. — 3 Ita scripsit librarius pro *glarea*, quod non intellexit. — 4 Vocem *cylindro*, huic scholio demtum, praeposuit sequenti.

vs. 179. *et vertenda.* Bene triplicem ordinem fecit: primo enim ait vertenda est area, post cylindro aequanda est, tertio creta tenaci solidanda.

creta. [1] Herba terra.

1 Legendum erit: *alba terra.*

vs. 180. *neu pulvere victa fatiscat.* [1] Hypallage est pro: neu victa fatiscat in pulverem.

fatiscat. [2] Solvitur in pulverem: vel *fatiscat*, dehiscat, crepat.

1 Eadem habet Servius. — 2 Pro lubitu iterum modos mutavit librarius.

vs. 181. *illudunt.* Nocent.

vs. 183. *aut oculis capti talpae.* Mutavit genus, ut in [1] Bucolicis „Timidi damae."

1 Ecl. VIII. 28. quem locum item citat Servius.

vs. 184. *bufo.* [1] Rana terrestris nimiae magnitudinis.

plurima terrae. Et alia purgamenta terrarum.

1 Utrumque scholion legitur etiam apud Servium.

vs. 185. *populat.* Dispoliat.

vs. 186. *curculio.* Varro ait hoc nomen per Antistichon dictum quasi *Gurgulio*, [1] genus bestiae quae semper quaerit alienum auxilium.

metuens formica. [2] Non tantum ad formicas pertinet sed ad generales.

inopi. Hiemali.

senectae. Senectuti. [3] Epitheton senectutis est.

1 Servius, eundem Varronem citans, pro postremis verbis habet: *quoniam paene nihil est nisi guttur.* Verba *quae semper q. a. auxilium* male suo loco divulsa sunt. — 2 Rectius haec apud Servium: *inopi metuens formica senectae. Senectus semper alienum requirit auxilium: nam* inopi *non tantum ad formicam pertinet, sed generale est epitheton senectutis.* — 3 Haec iterum male loco suo divulsa sunt. Apponi debuerant ad vocem *inopi.*

vs. 187. *contemplator.* [1] Futuri temporis Imperativus modus.

plurima. Longa abellana id est amygdala, ut [Ge. III. 52.] » plurima cervix".

contemplator. Item prognosticon est anni futuri, fertilis vel infoecundi.

1 Hoc, ut et duo sequentia scholia, item apud Servium.

induet. Id est, [1] se infundet.

et ramos curvabit. Propter pomorum pondus.

1 Servius: *in florem se effundet.*

vs. 189. *si superant foetus.* Si abundat nux.

pariter. Similiter.

vs.

vs. 192. *nequicquam pingueis.* Non pingues in frugibus.

paleae. [1] Paleam contra artem dixit, quod, quae ex pluribus constant, numeri sunt pluralis, ut: cancelli, paleae.

culmos. Strages spicarum.

[1] Eadem apud Servium. Hicce autem Scholiastes *paleas* legit pro *paleâ*; et sic olim lectum fuisse annotavit Philargyrius ad h. l.

vs. 193. *medicare.* Pro medicamentis aspargere.

serentes. [1] Pro serere volentes.

[1] Ita quoque Servius.

vs. 195. *fallacibus.* Quae fallere plerumque solent.

vs. 196. *et quamvis.* Ordo: quamvis cito [1] quo querentur vidi ea tamen degenerare.

[1] Legendum erit *coquerentur*: hoc enim, interpretante Servio, est, quod Virgilius ait MADERENT. *Antique pro cocta essent et dito.*

vs. 197. *spectata.* Probata.

labore. Hominum. [1] Ut [Aen. VIII. 151.] „rebus spectata juventus."

[1] Haec iterum loco suo divulsa sunt et apponi debuerant ad vocem *spectata.*

vs. 198. *ni.* Nisi.

vs. 201. *lembum.* [1] Naviculam brevem.

subigit. Sursum agit, remigat, impellit, urget.

1 Utrumque scholion apud Servium legitur. In altero autem recte probavit Dorvillius *sursum* pro vulgari *rursum*. Vide Burm. in Var. Lect. ad h. l.

vs. 204. *praeterea.* [1] Astrologiam rusticam dicit.

Arcturi. Periphrasis est pro Arcturum sidus.

1 Servius: *Jam dicit, astrologiam rusticum, ita ut navigantem, nosse debere.*

vs. 205. *hoedorum.* Antiqui, antequam adspiratio esset inventa, F litera utebantur: et quod nos dicimus *hoedi*, illi *Foedi*, et nos *Fortuna*, illi *ortuna.*

hoedorumque dies. Aurigae signum est: [1] hoc longe a Septemtrione, cujus pedem cornu Tauri una stella adjungit.

lucidus anguis. Tres sunt angues in coelo: unus inter septemtrionem est; alter [2] officii; tertius australis, in quo Crater et Corvus, de quo nunc proprie dicitur.

1 Servius: *haud longe — cum cornu — conjungit.* Codex G. *pedi cornu T. u. s. adjungit.* Noster Scholiasta videtur *cornu* dat. cas. accepisse. — 2 Leg *Ophiuchi*, ut apud Servium.

vs. 206. *vectis.* [1] His qui vehuntur.

1 Servius addit: *cujus significationis participium Latinitas non habet.*

vs. 207. *Pontus.* Regio Asiae.

ostriferi. In quo ostreae multae sunt.

A-

Abydi. [1] Civitates Hellesponti, quae periculoso freta segregantur. [2] Vel Abydi conchulae sunt unde fit purpura.

1 Nempe Sestos et Abydos, quae ambae nominari debuerant, ut apud Servium. — 2 Posterior annotationis pars apud Servium non legitur; estque ea satis inepta.

vs. 208. *Libra die.* Libra, aequinoctium autumnale, [1] in quo Sol in Libra fit: vernali enim in Ariete fit.

die. Pro *diei.*

die somnique. Antitheton: diei somnium reddidit non nocti; [2] uen' enim per somnum signi quod per id tempus diei somno opera datur. JUNILIUS dicit.

1 Servius: *quod fit Sole in Libra posito. Vernale enim aequinoctium Sol in Ariete positus efficit.* — 2 Hoc quomodo legendum sit, ignoro. Desideratur iterum haec annotatio in Philargyrii Commentario.

vs. 209. *et medium luci atque umbris.* Eodem antitheto: nam luci umbram non nocti reddidit.

hordea. [1] Usurpative: tres casus tantum plurales dicuntur.

serite hordea. [2] Notandum, quod frumenta autumno seri dicat: legumina autem vere.

1 Eadem apud Servium. — 2 Tantum non ad verbum haec apud Servium ad vs. 208. reperiuntur.

vs. 211. *usque sub extremum brumae.* [1] Bruma a breviore meatu Solis dicta, finitur VIII. Kl. Jan. Non ad brumae finem dicit esse serendum, id

id est non usque ad ipsum diem; quamvis aliter scripsit Varro.

intractabilis. Durae.

1 Prior pars scholii item in Cod. G. legitur. Posterior hic emendatius scripta videtur quam apud Servium. Apud neutrum autem Varronis testimonium citatur.

vs. 212. *et Cereale papaver.* [1] Eo autem Ceres levavit curam, lugens filiam suam, somno impleta. JUNILIUS dicit.

1 Eadem interpretatio, simul cum duabus aliis, legitur in Codice G. Haec autem iterum in Philargyrii Commentario desideratur.

vs. 213. *tegere.* Seminare.

et jamdudum. Pro, quam primum.

vs. 215. *vere fabis.* [1] Haec faba fit. Fabis vero inusitata declinatio est, ut [2] Cominianus ait.

Medica. [3] Quam Xerxes pugnans ad Medos rapuit, vel translata est in Graeciam; naturamque hujus herbae respicit: uno enim anno seritur frequenter procreatur.

satio. [4] Semen.

Medica. Herbae species.

1 Conf. Varro de Ling. Lat. p. 108. et 143. et Servius ad h. l. *Fabis. Contra rationem dictum, quia fruges omnes numeri singularis sunt.* — 2 Cominianus, cujus mentionem non facit Servius, videtur esse qui a Charisio p. 153. *disertissimus Grammaticus* vocatur et ex cujus operibus insignia aliquot fragmenta exstant apud eundem Charis. p. 159. 160. 198. 212. 237. et 238. Scito autem, Vossium jam, referente Burm. in V. L. ad h. l. verba *ut Cominianus ait* adscripsisse ad Servium: qua re apparet, hunc, quem trac-

tractamus Codicem, a pristino possessore non omnino intactum relictum esse. — 3 Non admodum prudenter haec annotatio contracta est ex Servii scholio: *Medica. Haec a Medis translata est in Graeciam; quo tempore eam Xerxes invaserat. Hujus plena Venetia est: et, ut dicit Dionysius, trium foliorum est, semperque virens. Quod autem ait* putres sulci, *naturam ipsius herbae respicit: nam uno anno frequenter seritur: postea aliquot annis sponte procreatur.* — 4 Lege, ut apud Servium, *semantis.*

vs. 216. *venit annua cura.* Medicae ostendit non esse curam.

vs. 217. *candidus.* [1] Non enim a capite sed dorso oritur, id est in medio sui apparere incipit non a fronte: vel quia in Aprili mense Sol in Tauro est.

aperit. Bene *aperit*, quia Aprilis (ab) aperiendo dicitur.

1 Servius: *Non enim a capite, sed a dorso oritur, id est, a medio sui, unde incipit apparere: nam ea parte, qua mutilatus est, oritur, non a fronte.* Aperit *autem ideo ait, aut quia Aprili mense Sol in Tauro est, quo cuncta aperiuntur.*

vs. 218. *adverso astro.* [1] De Tauro dicitur, cum quo Canis occidit, quod Nigidius ait Taurum adversum inter sidera locatum quod posteriores ejus partes qui primi veri sunt humidiores habentur, priores autem ideo quod stati existant sicciores. JUNILIUS dicit.

1 Ad corrigendam hanc, quae in Philargyrii Commentario iterum desideratur, corruptam annotationem, frustra auxilium petimus a Servio. Partim haec, sed corruptius etiam, legitur in Cod. G. *sed magis intelligere nos*

nos convenit averso astro *taurum dici*, *cum Canis occidit: denique Nigidius ait taurum aversum, vel sidera locatum vel adversum astris.* Ipsa Nigidii verba ex Commentario Sphaerae Graecanicae refert Servius: „*Oritur enim Canicula cum Cancro, in columen venit cum Geminis, occidit cum Tauro.*" Cf. Rutgersius Var. Lect p. 295.

vs. 219. *robustaque farra.* [1] Plus enim virium habent quam legumina, et tempore, quo Atlantides occidunt, sunt serenda. Atlantides autem virgines sunt numero VII. quarum nomina: Alcyone, Merope, Celaeno, Electra, Sterope, [2] Taygete.

eoae. Orientes.

eoae abscondantur. [3] Id est matutino occasus faciunt: nam cum Sol in Scorpione XV Kl. Majas Vergiliae occidunt. JUNILIUS dicit.

Atlantides. Id est Pleiades, hoc est Vergiliae, quarum nomina sunt sicut diximus. Atlantides aliquando sex, aliquando septem videntur; in Novembri non videntur a nobis.

abscondantur. Id est in Novembri.

1 Quae his quinque scholiis exponuntur, uno scholio complexus est Servius: *Frumenta, quae plus habent virium, quam legumina, quo tempore nobis Atlantides occidunt, sunt serenda. Atlantides autem, licet septem fuisse dicantur, sex tamen, sicut supra* [ad vs. 138.] *dictum est, videntur in coelo; quae Novembri mense nobis incipiunt non videri. Cum enim Sol in Scorpione fuerit, oriente Scorpione, occidit Taurus, in quo Vergiliae sunt, id est sexto Idus Novembris.* — 2 Majam, septimam Atlantidum, omisit. Sed eam mox memorat ad vs. 225. — 3 Philargyrii Commentarius ad h. l. tacet. Eadem autem annotatio prostat in Cod. G.

vs. 222. *Gnosia.* Cretica.

Coronae. [1] XII signis proxima: quod Liber pater Ariadnam, filiam Jovis, uxorem suam cum corona in coelo dedicavit, quam coronam Vulcanus abstulit ad uxoris insigne et inter sidera collocavit. JUNILIUS et GAUDENTIUS dicit.

1 In Philargyrii Commentario hoc scholion itertim desideratur. Ad corrigendum autem proderit, qui vicissim hinc corrigi poterit, Codex G. *Coronae. XII stellae signis proximae, in quas Ariadna, Liberi uxor, transfigurata est: cum enim Liber pater Ariadnam, Minois filiam, uxorem duceret, Vulcanus ei coronam obtulit, quam ad uxoris in signo et inter sidera collocavit.*

vs. 224. *invitae terrae.* Terra enim, quando aratur, quasi quaedam vulnera patitur.

vs. 225. (*ante occasum*) *Majae.* Id est Atlantidem, quae de illis una est: una enim de Vergiliis est, sed per unam omnes intelligimus. Tropus Synecdoche.

vs. 227. *vilemque faselum.* Id est plurimum: abundat siliqua, genus leguminis, quod nos faselum dicimus.

vs. 228. *Pelusiacae.* Id est Alexandrinae; non pretiosae; de oppido Pelusio in Aegypto, ubi lentis magna. Moris est poëtis epitheta rebus [1] dicere aut a loco ubi nascuntur, aut ubi optimae, aut ubi plurimae. *Pelusium*, oppidum apud Alexandriam prope Nilo.

aspernabere. Aspernaberis.

1 Lege *dare.*

vs. 229. *cadens.* [1] Verno tempore occidens.

Ra-

Boötes. [2] Sidus, cujus occasus tarde videtur; decidit enim cum quatuor: Tauro, Geminis, Cancro, Leone; quare hic primam partem occasus ejus, hoc est cum Tauro intelligi oportet ut vere legumina seri indicentur, non aestate. JUNILIUS dicit.

1 Et ita Servius. — 2 Haec annotatio, qua Philargyrii Commentarius caret, sic legitur in Cod. G. *occasus tarde videtur; decedit enim cum IV signis, Tauro, Geminis, Cancro, Leone, verno scilicet tempore: tunc enim occidit, quando subdit, quare hic primam partem occasus ejus cum Tauro, intelligi oportet, ut vere legumina seri indicentur, non aestate.*

vs. 230. *ad medias.* [1] Omnia complexus est tempora: vernum, quo legumen seritur; autumnum, quo frumenta.

pruinas. Pruina, ros matutino tempore [2] congelata.

1 Hoc initium est longioris scholii quod habent Servii Commentarii. — 2 Sic Codex.

vs. 232. *per duodena.* [1] Propter annum divisum in quatuor tempora, dimensumque id est ordinatum per XII signa mensesque XII.

mundi Sol. An *mundi astra?* Utrumque dici potest.

1 Servius: *Annum divisum in quatuor tempora. Et per duodecim signa, duodecim menses accipimus.*

vs. 233. *zonae.* Translative: nam proprie zonae in terra; sed pro [1] paraleloes posuit id est circulis.

1 Codex G. *pro paralocis.* Lege, ut apud Servium, *pro parallelis.*

vs.

vs. 235. *extremae.* [1] Zonae septemtrionales et australes. JUNILIUS dicit.

vs. 237. *duae.* Solstiles et australes. JUNILIUS dicit.

vs. 238. *via secta.* [2] Zodiacus, circulus quem nos Signiferum dicimus. JUNILIUS dicit.

1 De tribus hisce scholiis ne litera quidem legitur in Philargyrii Commentario. — 2 Codex G. *solstitialis et hiemalis Zodiacus, quem S. d.*

vs. 239. *ordo.* Circulus.

vs. 240. *mundus.* [1] Pro coelo; nam mundi nomine IIII elementa continentur: ignis, aër, aqua, terra. [2] Jam definitio est nostri climatis id est habitationis, quae, a Septemtrione incipiens, in australi desinit plaga. Aratus et JUNILIUS dicit.

ad Scythiam. [3] Scythiam dicit, cujus montes sunt Riphaei.

1 Codex G. *mundus pro coelo accipitur: nam mundi nomine quatuor elementa continentur, quemadmodum erigitur mundus in septemtrionalem plagam, ita declinatur in australem.* — 2 Posterior pars annotationis, qua caret iterum Philargyrii Commentarius, totidem verbis legitur apud Servium: qua re confirmari videmus, id quod saepius diximus, magnam Philargyrii laboris partem latere in Servii Commentariis — 3 Hoc scholion in Servii Commentariis rectius adscriptum est ad *Riphaeasque arces.*

vs. 242. *hic vertex.* [1] Id est Septemtrio: in hac parte in Septemtrione Arctos Astrologi nullam picturam designant nobis.

semper sublimis. [2] Haec pars mundi semper a nobis videtur.

il.

illum. Id est mundum sub pedibus.

1 Corruptius etiam Codex G. *Septemtriona Arctos, ut Aratus dicit, quam secundum clima nostri coeli Arcticus circulus contra orientem invenit et contra Arcticus supra non excurrit: quapropter partem illam effera Astrologii nulla pictura designant.* — 2 Idem apud Servium legitur.

vs. 243. *sub pedibus Styx.* [1] Id est axem ocion quae est australis, quae numquam (a) nobis videtur, sicut boreus.

Styx. Quasi de inferis.

1 Lege, ut apud Servium; *id est, axem Notium, id est, australem, qui a nobis numquam videtur: sicut Boreus,* (*id est Septemtrionalis, a nobis semper videtur*). — *Mire autem ait* Styx, *quasi de inferis.*

vs. 245. *circum perque duas.* [1] Circum enim et per utrumque labitur, majorem cauda tangens alvoque complectens minorem.

in morem fluminis. Duas arctos.

1 Servius: *Et* circum *enim est et* per: *nam per utrumque labitur, id est inter duas: majorem c. t. a. c. m.*

vs. 246. *metuentes.* [1] Hae duae pellices Junonis fuisse dicuntur: quas postquam Jupiter in sidera reppulit, Juno rogavit [2] Thetim suam nutricem, uxoremque Oceani, ne umquam pateretur occidere. Inde nunc *metuentes* dicit. GAUDENTIUS dicit.

1 Totidem verbis hoc scholion legitur in Servii Commentariis. Alterutrum igitur verum esse debet: aut Gaudentium usum esse Servii Commentariis: aut Gaudentii Com-

Commentarios deinde ab aliis adhibitos esse ad Servii Commentarios locupletandos. Nolo enim suspicari Servium usum esse Gaudentii labore priusquam constet, quod etiamnum ignoratur, Gaudentium Servio aetate antecessisse. — 2 *Thetim* male scripsit pro *Tethyn*. Cf. supra p. 267.

vs. 247. *illic ut perhibent.* [1] Hic variae philosophorum opiniones: alii dicunt abscedentem Solem a nobis ire ad Antipodas; alii negant, sed volunt illic esse tenebras perpetuas.

intempesta. Non apta.

1 Haec in Servii Comm. annotata sunt ad vs. 243.

vs. 248. *et obtenta.* Longa.

et obtenta. Juxta Epicureos dubitat de ea causa, quod nobis ortum, illis occasum.

vs. 249. *Aurora.* Sol.

vs. 252. *hinc.* Id est ex ratione astrologiae. Et jam conclusio; nam hoc dicit: non sine causa intuemur siderum ortus et occasus: hinc universa noscuntur. [1] GAUDENTIUS dicit.

1 Haec Gaudentii annotatio aeque iterum legitur in Servii Commentariis.

vs. 254. *infidum.* Periculosum.

impellere. Navigare.

marmor. Aequor, mare.

vs. 256. *tempestivam.* Opportunam.

evertere. [1] Incidi.

1 Servius Stephan. notante Burmanno, *excidere*.

vs. 258. *parem.* [1] Verno, aestivo, autumno, hiberno.

diversis. Quid tam diversum est, quam aestas et hiems.

1 Codex G. *Parem, id est Verno, Aestivo, Autumno, Hyberno, id est aequali trium mensium in unoquoque anni tempore, id est de calore et frigore.*

vs. 259. *continet.* Prohibet.

vs. 260. *multa forent.* Ordo est: multa maturare datur quae forent in serenitate celeriter properanda; nam male quidam *forent* [1] pro semper volunt, ut sit sensus: Multa sunt properanda, quae maturare datur.

1 Lege: *praesentis temporis*, ut apud Servium.

vs. 261. *procudit.* [1] Cudendo dicitur exterrat.

maturare. Celeriter agere.

1 Aut legendum, ut apud Servium: *cudendo extenuat;* aut: *procudit. A cudendo dicitur id est extenuat.*

vs. 262. *lintres.* [1] Duas significationes habet: sive naves significat, significatque vasa concava, in quibus premuntur uvae. JUNILIUS dicit.

1 In Philargyrii Commentario haec non inveniuntur. Codex G. tantum non ad verbum: *Lintres duas significationes habet, nam intelligitur hoc nomine et pro navibus et pro vase concavo, ubi uva portatur.*

vs. 263. *aut.* Deest *facit.*

aut numeros impressit acervis. [1] Tesse-

seris, quibus frumentorum numerus signatur.

3 Idem apud Servium.

vs. 265. *Amerina.* Urbs Italiae [1] inverrinis est, circa quam vimina multa nascuntur, quibus vites ligantur.

1 Lege: *in Vestinis*, cujus populi meminit Polyb. II. 24. et Plin. H. N. III. 5.

vs. 266. *facilis.* Flexibilis.
fiscina. In qua caseus premitur.
rubea. [1] Rubi, oppidum.

1 Ruborum meminit Horat. Sat. I. 5. 94. ad quem locum Commentator vetus Cruquii: *hi Rubi, oppidum: hinc putant aliqui dixisse Virgilium « Nunc facilis rubea texatur fiscina virga.»*

vs. 267. *torrete.* Praeparate panem.
frangite. Molite.
vs. 269. *fas et jura.* [1] Fas ad homines, jura ad Deos.
rivos deducere. [2] Siccare; nam irrigari inducere est.

1 Servius: *fas et jura sinunt. Id est, divina humanaque jura permittunt: nam ad religionem fas; jura pertinent ad homines.* — 2 Servius: *Id est, siccari; nam irrigare inducere est.*

vs. 270. *religio.* Divina humanaque.
vs 271. *insidias avibus moliri.* [1] Non de aucupatione dicit, sed jubet a satis prohiberi.
vepres. [2] Masculini generis.

1 Codex G. *Non de aucupatione loquitur, sed aves ju-*

jubet a satis prohiberi, *referens*: *ad illud* [Ge. I. 119] « *nihil improbus anser.*» — 2 Uberius Codex G. *Vepres, spinosum virgulti genus*, *masculini generis*, *ut* [Aen. VIII. 645.] « *sparsi rorabant sanguine vepres.*»

vs. 272. *balantum.* Syncope pro *balantium.*

mersare. Mergere.

vs. 273. *tardi.* Onusti.

agitator. [1] Verberator, ab agendo.

aselli. Deminutive.

1 Ita quoque Servius.

vs. 274. *vilibus.* [1] Abundantibus.

lapidem. Molam manualem.

1 Utrumque scholion item apud Servium.

vs. 275. *incusum.* [1] Incompositum: molam significat. JUNILIUS dicit.

aut atrae massam picis urbe reportat. [2] Quia pix in agris nascitur.

incusum. Reparatum, refectum. GAUDENTIUS dicit.

1 Philargyrii Commentarius iterum tacet ad h. l. — 2 Ita quoque Servius.

vs. 276. *ipsa dies.* Ordo est: Ipsa Luna alios dies alio ordine dedit felices, sed alios aliis [1] rebus aptos. JUNILIUS dicit.

1 Codex *aliis direbus*. Ceterum haec annotatio non reperitur in Philargyrii Commentario, sed in Serviana transiisse videtur.

vs.

vs. 277. *pallidus* [1] Quia pallidos facit.
orcus. Infernus.

1 Ita quoque Servius.

vs. 278. *Eumenides.* Steriles, quae sunt deae: [1] catheufemis mone menydes vocantur.
satae. Filiae.
nefando. Sacrilego.

1 Ex comparatione Serviani scholii facile apparet, hic legendum esse κατ' εὐφημισμὸν *Eumenides vocantur*. Innumerum est quot vitiis Veterum, praecipue Scholiastarum, lucubrationes inquinatae sint illo seculo, quo Graeca latinis characteribus scribebantur. Librarii enim, antiquiora exemplaria describentes, vel Graeca plane omittebant, quae res majorem etiam difficultatem parit, vel literarum ductus, quantum poterant, pingendo imitabantur: sed ita plerumque, ut prodant, haec ab iis non fuisse intellecta.

vs. 279. *Coeum.* [1] Poëtam.
Iapetus. Gigas.
saevus. Multa significat; sed hic *crudelis.* Aliquando *fortem*, ut: [2] ubi saevus jacet Hector. Aliquando *potentem*, ut: [3] saevae memorem Junonis ob iram. [4] JUNILIUS dicit.
Typhoea. [5] A loco Gigas.

1 Quid hoc scholion sibi velit, plane non intelligo. Peerlkampius, a me consultus, opinatur *Poëtam* corruptum esse ex *Japetumque*, quod apud Virgilium sequitur; censetque hoc scholion ita constituendum: *Coëum Japetumque. Japetus, ut Coeus, gigas.* — 2 Aen. I. 99. *Saevus ubi Aeacidae telo jacet Hector.* — 3 Aen. I. 4. — 4 Hoc scholion nec in Philargyrii nec in Servii Commentariis reperitur. — 5 Neque hoc scholion intelligo. Peerlkampius iterum corrigit: *Alius Gigas.*

vs. 280. *et conjuratos.* [1] Aloidas dicit oton et iafilialem gigantes.

1 Lege: *Aloidas dicit, Otum et Ephialtem, gigantes.* quorum meminit Homer. Il. V. 385. Τλῆ μὲν Ἄρης, ὅτε μιν Ὦτος, κρατερός τ' Ἐφιάλτης, Παῖδες Ἀλωῆος, δῆσαν κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ· et Virgil. Aen. VI. 582. *Hic et Aloidas geminos.* cet.

vs. 281. *Pelio Ossam.* [1] Montes Thessaliae.

1 Rectius Servius: *Pelio. Monti Thessaliae. Ossam. Montem Thraciae.*

vs. 282. *Olympus.* Mons.

vs. 283. *pater.* Jupiter.

vs. 284. *septima post decimam.* Id est septima decima.

vs. 285. *licia.* Pluraliter.

vs. 286. *nona fugae.* [1] Hic Virgilius stultus videtur, fugam suadendo servis et eis indicando dies, quibus a rapinis contineant.

1 Ad hanc sententiam quasi respondet Servius: *Non, ut quibusdam imperitis videtur, Virgilius aut fugam servis suadet, aut eis indicat dies, quibus se a rapinis abstineant: nam et* fugam *de profectione et cursu legimus.* cet.

vs. 287. *adeo.* Valde.

multa adeo et rel. [1] Diligens divisionem temporum: primo enim quatuor anni partes executus est, deinde dies lunares, modo horas in quas et dies noxque dividitur. JUNILIUS dicit.

1 In Codice G. superius cum hoc scholio conjungitur. *Valde diligens divisio temporum.* cet. et ita hic legendum est pro *divisionem.* Mox iterum melius in Cod. G. *in quas dies et nox dividitur.* Ceterum de hac annotatione ne litera quidem apud Philargyrium legitur.

vs. 288. *Eous.* Oriens.

E-

Eous. Stella Veneris; alii Junonis, alii [1] Celeu et Aurorae filium tradunt, qui cum Venere de pulchritudine contendit: sed magis Veneris stella est.

1 Legendum *Cephali* ut monuit Burmannus, ubi hanc annotationem memoravit ex Cod. G. qui habebat *Cephei.*

vs. 291. *et quidam.* Id est aliqui, quod [1] certae personae est.

1 Codex habet: *quod est certae personae est.*

vs. 292. *inspicat.* Acuit, [1] findit ad species aristarum.

1 Hanc annotationem Scholiastes noster, quamquam Junilii nomen non addit, videtur tamen ex Philargyrii Commentario sumsisse; ubi haec leguntur: *inspicat. Findit in modum spicarum, cui multae sunt aristae.*

vs. 293. *solata.* Consolata.
vs. 294. *arguto.* Id est resonanti.
vs. 295. *aut dulcis.* [1] Hic versus longior, [2] est una syllaba, sed sine vitio. JUNILIUS dicit.
Vulcano. Igni.
decoquit humorem. Id est uvam passam facit.

1 Quum omnes fere, quae in praecedentibus Junilii nomine citatae sunt annotationes, in Philargyrii Commentario desiderentur, in eo fere eram, ut crediturus fuissem Junilium Flagrium alium quemdam fuisse interpretem, diversumque a Junio Philargyrio. Sed prius a me conceptam opinionem hoc scholion egregie tuetur: utpote quod etiamnum legatur in Philargyrii Commentario: *Hic versus longior est una syllaba, sed sine vitio, quoniam sequens a vocali incipit.* Cf. etiam ad vs. 58. — 2 In Codice perperam exaratum est *longiorem una e.*

vs. 296. *tepidi.* Ferventis, bullientis.

vs. 297. *Ceres.* Hic metonymia est.

vs. 298. *tostas.* [1] Exusas vel siccas.

1 Leg: *exustas.*

vs. 299. *nudus ara.* Sereno coelo ut amictum contemnere possis, juxta [1] Hesiodum.

hiems. Frigus.

sere. Imperativus.

ignava colono. [2] Quod ignavos facit colonos.

1 Servius: *Sic Hesiodus* ['Εργ. κ. 'Ημ. 391.] *« γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν, Γυμνὸν δὲ ἀμᾶσθαι." Id est adeo sereno coelo, ut vestimentis non egeas.* — 2 Et ita fere Servius.

vs. 300. *parto.* Parato.

vs. 301. *mutua.* Id est convivia.

vs. 302. *genialis.* Voluptuosa, convivalis. [1] *Geniales* homines ab antiquis appellati sunt, quod ad invitandum et largius parandum cibum, et quae consequuntur, promptiores essent. JUNILIUS dicit.

1 In Philargyrii Commentario hoc scholion iterum desideratur.

vs. 303. *pressae.* Onustae. Ut solet autem, sensum similitudine conclusit.

vs. 304. *coronas.* Funes.

vs. 305. *quernas.* Ex quercu [1] colore.

stringere. Decutere.

quernas. [2] Mons Macedoniae et derivativum

a

a quercu, tam usu quam ratione, ut [3] colornum a corillo.

1 Legendum videtur *arbore.* — 2 Scholion sine dubio corruptum: quid *mons Macedoniae* sibi velit, non intelligo. Sed fere non dubito quin haec verba ejicienda sint, utpote quae a librario, haec non intelligente, vel imprudente hic adscripta videantur, loco plane alieno. — 3 Postrema verba e Servio emendentur: *magis usu q. r. ut colurnus a corylo.*

vs. 306. *cruentaque myrta.* [1] Id est de sanguine Adonis, vel quae succum cruori similem habeant, vel quod belli tempore in hastilia fiunt.

1 Hoc scholion, quo carent Servii Commentarii, Burmannus ex Cod. G. memoravit; in quo rectius legitur *inde hast. f.*

vs. 307. *pedicas.* [1] Laqueos, quibus pedes illaqueantur.

1 Iisdem verbis Servius.

vs. 308. *auritos.* [1] Aures grandes habentes.
sequi. [2] Ab equis.
figere. Venari.

1 Et ita Servius. — 2 Codex: *abbequis.* Quibus literis nihil aptius subesse putavi, quam *ab equis*, Gr. ἀφ' ἵππων.

vs. 309. *Balearis.* Insulae Hispaniae maris, vicinae inter se, ubi primum dicitur fundae militaris usus [1] invenimus.
verbera fundae. Funes fundae.

1 Lege, id quod sensus requirit, ut est in Cod. G. *inventus.* Ipsam rem, sed aliis verbis, narrat Philargyrius: *Baleares fundae, quia apud insulas Baleares funda*-

darum usus repertus est : et insulae Baleares primo Gymnesiae dictae : post vero cum a Graecis occupatae sunt, quia cum lapidibus fundae rotantes submoverent adversarios, qui eas incolebant, παρὰ τὸ βάλλειν Baleares *appellant.*

vs. 310. *cum nix.* Cacemphaton.

nix alta. Nive onusta.

vs. 311. *autumni.* Verno et autumnali [1] (tempore) tempestates fiunt; ideoque nec plena aestas nec hiems fit.

sidera Frigora.

1 Τὸ *tempore* addidi e Servio; apud quem iisdem verbis hoc scholion legitur.

vs. 313. *quae vigilanda.* Id est vigilanter [1] facienda.

ruit. Praecipitatur.

imbriferum ver. Epitheton est: an si forte imbriferum fuerit.

1 Servius: *providenda.*

vs. 314. *spicea.* [1] De maturibus frugibus abusive dicimus; nam proprie spiceus est cum folliculum id est extremum tumorem aristae. GAUDENTIUS dicit.

inhorruit. Densata.

1 Si Gaudentii Commentarius, qui periit, hujusmodi scholiis refertus fuerit, cujusmodi hoc est, vix est quod de hujus interitu dolendum esse censeam. Sed e Servio, in cujus Commentarios transiit, hoc scholion, et corruptum et truncatum, sic ab auctore scriptum fuisse docemur: *Spicos de maturis frugibus abusive dicimus : nam proprie spicus est, cum per culmi folliculum, id est, extremum tumorem, aristae adhuc tenues in modum spiculi eminent.* — Errorem τοῦ *maturus* supra notavimus ad vs. 32.

vs.

vs. 315. *lactentia.* [1] Adhuc tenuia et lactis plena.

stipula. [2] Stipulam pro culmo posuit.

lactentia. [3] *Lactans*, qui lacte prorupet: *lactens*, cui praebet.

turgent. Implentur.

1 Ita quoque Servius. — 2 Videtur ductum esse e Philargyrii scholio: *Stipulae nomine pro culmo abutitur.* Quod ipsum in Servii Commentarios translit. — 3 Servius: *Et sciendum, inter* lactantem *et* lactentem *hoc interesse: quod* lactans *est quae lac praebet*, lactens *cui lac praebetur.* Ex quibus hoc facile emendabitur.

vs. 318. *omnia.* Pro omnium.

vs. 320. *sublime.* [1] Per sublime.

turbine nigro. [2] Tempestate noxia.

1 Initium est Serviani scholii: *Per sublime portarent erutam segetem.* — 2 Et ita Servius.

vs. 321. *ferret.* Auferret, agitaret.

culmum. Stipula.

stipulas. Folia.

vs. 323. *et foedam.* [1] Pasim deafoeda.

1 Quid hae voces sibi velint, non intelligens, suspicabar in antiquiore, ad quem hic scriptus est, Codice minus distincte exaratum fuisse *Ecbasis poëtica.* Sed opportune Peerlkampius in memoriam mihi revocavit versum Aen. IV. 195. *Haec passim Dea foeda virûm diffundit in ora.*

vs. 324. *ex alto.* [1] A Septentrione, qui est altus; quia Auster humilis. GAUDENTIUS dicit.

1 Idem, sed pluribus verbis, legitur apud Servium.

vs.

vs. 326. *diluit.* Dilegit, dissolvit.

cava. Ad alveum retulit fluviorum.

vs. 327. *fretis spirantibus.* [1] Reciproco spiritu.

[1] Codex habet *recipro spiritu.*

vs. 328. *ipse pater.* Jupiter, nam addit *corusca.*

in nocte. Pro tenebris vel potestate posuit.

corusca. [1] Correpte; ut: ultima fulmina. Unum fulmen est quod colorat, aliud quod incendit, aliud quod transfigit, aliud medium ex que pat adflaverat.

[1] Postrema scholii pars, quae misere truncata est, facile emendabitur e Servio ad vs. 332: *Unum enim fulmen quod colorat, aliud quod transfigit, aliud quod afflat, ut est* [Aen. II. 649.] *"Ex quo me divum pater, atque hominum rex, Fulminis afflavit ventis."*

vs. 329. *molitur.* Terrere.

maxima. Tota.

vs. 330. *terra tremit.* Quatitur, movetur.

vs. 331. *humilis pavor.* [1] Quod humiles facit.

[1] Et ita Servius.

vs. 332. *aut Athon.* [1] Potest adfectus ordo videri, crescente numero syllabarum per aucta montium nomina, cum idem versus ab una syllaba incipit usque ad quinque decurrit. JUNILIUS dicit.

Athon et Rhodopen. Montes Thraciae.

Ceraunia. Mons Epiri, juxta Adriaticum.

1 De hac annotatione ne litera quidem legitur in Philargyrii Commentario. Burmannus ipsam sic memoravit ex Cod. G. *Ordo est, crescente numero syllabarum per aucta montium nomina; quia* (l. quod) *genus apud Homerum industria* (l. de ind.) *invenitur factum, cum idem versus ab una syllaba incipiens usque ad quinque syllabas decurrit.*

vs. 333. *dejicit.* Id est ferit, percutit, resonat.

ingeminant austri. Prius enim fulmen, ventus et pluvia in montibus fiunt.

vs. 335. *coeli menses.* XII signa, quibus menses [1] agnoscuntur.

sidera. Planetas.

serva. Custodi.

1 Servius *cognoscimus.*

vs. 336. *frigida.* Id est nociva, quod sit glacialis, [1] pestilis.

quo stella. Mercurii.

1 Ita Codex: quam vocem, quum ab Arnobio usurpata sit, ut Lexica docent, non necesse duco mutare in scholiis non ita antiquis.

vs. 337. *Cyllenius.* [1] Mercurius, quia in Cylleno monte Arcadiae natus esse dicitur.

1 Eadem habet Servius.

vs. 338. *annua.* Anniversaria.

refer. Reddes.

operatus. [1] Dans operam conviviis, cum cuncta opera compleveris.

1 Ita quoque Servius. Post *compleveris* in Codice legi-

gitur *sed ipsum anni;* quae clausula male hic irrepsit, ut opinor, ex sequenti, quod Junilii nomine citatur, scholio.

vs. 340. *sub casu.* Decursu vel fine.

vs. 341. *mollissima vina.* [1] Dulcia, asperitate carentia et vetustate, sed ipsius anni. JUNILIUS dicit.

1 In Philargyrii Commentario haec annotatio iterum desideratur. Apud Servium: *mollissima. Carentia asperitate et defoecata.* quae postrema vox videtur perperam transiisse in *et vetustate.*

vs. 343. *tibi.* [1] In honorem, in tuam gratiam.

1 Ita quoque Servius.

vs. 344. *dilue.* [1] Offer, dissolve Baccho vino.

vs. 345. *terque.* Ter, [2] deus numero impare gaudet.

1 Lege: *Auffer.* Quod est Tibulli III. 6. 3. *Auffer et ipse meum patera medicante dolorem.* — 2 Sunt verba ex Ecl. VIII. 75. „*Numero deus impare gaudet.*"

vs. 346. *chorus.* [1] Est proprie coaevorum cantus.

1 Sic quoque Servius: ubi Burm. perperam conjecit *ephebörum.*

vs. 349. *quam Cereri.* Habens in [1] moriam victum priorem quum homines glandibus vescebantur. *redimitus.* Coronatus.

1 Ex Servio corrigendum est *in memoria.*

vs. 350. *det motus (incompositos).* [1] Id est [2] saltationem aptam religioni, nec ex ulla arte venientem. GAUDENTIUS dicit.

in-

incompositos. [3] Sintlimsis quod incompositos etiam ipsa carmina intelliguntur.

1 Ad verbum adeo hoc Gaudentii scholion in Servii Commentariis legitur. — 2 Codex habet *salutationem.* — 3 Lege: *Syllepsis.* Et ita quoque legendum erit infra ad vs. 485. ubi haec ipsa Virgilii verba in exemplum citantur.

vs. 352. *aestus.* Pro serenitatibus posuit.

vs. 354. *caderent.* [1] Flare desinerent.

1 Utrumque scholion apud Servium legitur.

vs. 359. *littora misceri.* Perturbari.

vs. 360. *male temperat.* Pro non temperat, vel non abstinet, non sibi parcit, id est unda furiosa.

vs. 361. *revolant.* Festinant.

vs. 362. *marinae.* [1] Ad discretionem fluvialium.

1 Et ita Servius.

vs. 363. *fulicae.* Quas vulgo falliculos dicunt.

vs. 364. *ardea.* [1] Quasi ardua, quam vulgo [2] sarpam vocant, dicta, quod, cum vocem emittit, oculi ejus ardescunt.

1 Idem scholion legitur in Cod. G. — 2 Codex habet *sarapam.*

vs. 365. *impendente.* Imminente.

vs. 366. *praecipites.* Utrum pro celeritate, an potius quod sic a nobis videntur.

vs. 367. *flammarum.* Stellarum purgamenta cadentia ventum denunciant: fit enim hoc ex abundan-

dantia fluctuosa quod dicitur densitas aëris, unde venti veniunt.

vs. 369. *colludere.* [1] Ludere pendentes, moveri.

plumas. [2] Quascumque, ni forte [3] papos significat, hoc est cardui florem plumeum. Aratus dicit.

1 Emendandum e Servio: *Colludere. Id est moveri. Virgilius* [AE. VIII. 632.] *„ludere pendentes pueros."* — 2 Eadem fere, sed omisso Arati nomine, habet Codex G. — 3 Scribendum *pappos*, ut apud Lucret. III. 387. et Plinium H. N. XIII. 41.

vs. 373. *imprudentibus.* [1] Pro nescientibus c. id est numquam obfuit totis praecedentibus signis vel etiam valde prudentibus petunt.

1 Emendatius haec in Cod. G. leguntur: *imprudentibus id est valde prudentibus, aut pro nescientibus posuit, id est numquam scientibus obfuit imber, tot signis praecedentibus.*

vs. 374. *illum.* Aërem.

vallibus imis. [1] Grues valles.

1 Major scholii pars videtur interiisse. Servius: *Dicit autem grues de vallibus fugere, non pluviam de vallibus surgere.*

vs. 375. *aëriae.* Primum volucres dicti quod alte volant.

fugere. Propter hiemis signum.

vs. 376. *captavit.* Suscepit.

vs. 377. *arguta.* Stridula, personans circumvolitavit aestatis signum.

vs.

vs. 378. *et veterem.* [1] Modestus ait Lycios pastores, qui Latonae sitienti aquam denegassent, in ranas conversos, cum illa ageretur a Junone, in Lyciam perveniens. Et Ovidius ait: Ceres cum Proserpinam quaereret ad fontem [2] pervenisse quaerere aquam ad bibendum: tunc eam Lycii rustici a potatu prohibuerunt, cumque contra eam emitterent sonum narium turpem, ita illa irata eos convertit in ranas. Alii dicunt ranas per abundantiam [3] quod extra paludes pelli et serpentibus cibos esse aut alioquin interire. GAUDENTIUS dicit.

querelam. [4] Vox est muta, ut [5] omne querelis impleri nemus. JUNILIUS dicit.

1 Longius hoc scholion partim apud Servium legitur; partim in Cod. G. (vid. supra p. 238.) omisso tamen Gaudentii nomine. — 2 Leg. *pervenit.* Servius *accessit.* — 3 Rectius, quod in Cod. G. legitur: *per ab. aquae.* — 4 Cod. G. *vox mutua.* — 5 Sunt verba ex Aen. VIII. 215. « *Omne querelis Implevere nemus.*»

vs. 379. *extulit.* Sursum tulit.

vs. 380. *et bibit.* Vulgare proverbium [1] tulit.

ingens. Id est duplex.

1 Codex *tullit.* Videtur autem ea vox ex superiori scholio hic irrepsisse. Servius: *sequitur iterum vulgi opinionem.*

vs. 381. *arcus.* Iris enim ex Oceano bibit, hoc est pluvias recipit.

agmine magno. Translative militarem de corvorum multitudine dixit.

vs. 383. *Asia.* Palus.

cir-

circum. Adverbium. *Asia prata* dicunt circa Caystrum fluvium, qui est in Lydia. [1] JUNILIUS dicit.

[1] Absunt haec iterum a Philargyrii Commentario.

vs. 384. *dulcibus.* [1] Ordo est: Circum Asia prata dulcia in stagnis Caystri rimantur. Jucunda translatione usus est: proprie rimari [2] suos dicunt. JUNILIUS dicit.

rimantur. Quaerunt, vel altius pascuntur, ut alibi [Æn. VI. 599.] „rimanturque epulis."

Caystri. Deëst videas.

[1] Neque hoc scholion in Philargyrii Commentario legitur. — [2] Lege *sues*, Servius: *rimari tractum est a porcis, qui glandes rimantur de rimis terrarum.*

vs. 385. *certatim* et rel. Deëst videas: hic praesagientis est, non imperantis.

vs. 387. *incassum.* [1] Frustra enim humor pennarum densa levitate suspenditur, ut minime corpus [2] pertingeat.

gestire. Velle.

[1] Cod. G. *incassum, id est frustra: humor enim pennarum densa levitate suspenditur.* reliqua desunt. — [2] Sic supra (ad vs. 32.) *tendebitur* pro *tendetur*.

vs. 388. *vocat.* Adnuntiat.

plena. [1] Ranca ejus natura.

[1] Servius: *rauca. contra naturam suam.*

vs. 389. *et sola.* Tum enim dat signum, cum sola est.

vs. 390. *nec nocturna.* Nec puellae igno-

ra-

raverunt pluviam futuram, nocturna pensa carpentes, cum viderint scintillare oleum timore pluviarum.

vs. 391. *testa.* [1] Lucernam pro vilitate voluit nominasse, nec lychnum ut dependentes lychni.

1 Emenda ex Servio: *Propter vilitatem noluit dicere lucernam, sed nec lychnum: sicut in heroico carmine, ut* [Aen. I. 726.]. « *Dependent lychni.*".

vs. 392. *fungos.* Globos. [1] Plinius dicit cum frigus [2] aëris esse coeperit prohibita aëris crassitudine, in lucerna residet et quasdam velut fungorum imitatur imagines.

1 Plinius de ea re loquitur in H. N. XVIII. 84. Eundem citat Servius. — 2 Codex habet *frigus eris aeris.*

vs. 393. *nec minus.* Signum serenitatis.

serena. Serenum, a [1] serando id est reserando, aperiendo dicit.

1 Ita satis distincte in hoc Codice scriptum est. Codex G. habet *serendo*, pro quo Burm. recte maluit alterum.

vs. 394. *prospicere.* Quasi ait: cognoscitur a coelo tempestivo serenitas futura, ita et sereno tempestas.

vs. 395. *obtusa.* [1] Perseveravit in translatione: nam cum dixisset *aciem* non obtusum addidit. JUNILIUS dicit.

1 Frustra iterum hoc scholion in Philargyrii Commentario quaeritur.

vs. 396. *nec fratris.* [1] Id est Solis; ergo non absurde hic videtur duo tempora dixisse, nocturnum et diurnum.

9 b.

obnoxia. [2] Quae ab illo accipit lumen, vel eo quod noceat id est eclipsin facit. JUNILIUS dicit.

1 Codex G. *Obnoxiam lunam dicit, pro eo quod obstet et noceat. Non absurde hic videtur tempora dixisse nocturnum et diurnum.* — 2 Neque hoc, neque quod mox sequitur, scholion in Philargyrii Commentario reperitur.

vs. 397. *tenuia.* [1] Nebulae dicuntur, quae imminente tempestate in aërem a vento jactantur vel aranearum texturas dicit quae similiter jactantur per aëra. JUNILIUS dicit.

1 In Codice G. haec ita leguntur: *tenuia nebula dicuntur, quae imminente tempestate ob nimiam levitatem in aëre vento jactantur: item vellera nubes dixit tenuia aranearum, quae imminente tempestate per aëra raptantur. Varro in Epimenide: « nubes vellera lanae stabunt. Sic et Aratus.*

vs. 399. *dilectae Thetidi Alcyones.* [1] Ceyx, Luciferi filius, habuit uxorem Halcyonem: a qua cum prohibitus isset ad consulendum Apollinem de statu regni sui, naufragio periit. Cujus corpus cum ad uxorem delatum fuisset, illa praecipitavit se in pelagus, quos Thetis ambos convertit in aves marinas, quae Halcyones dicuntur.

solutos. Qui solvuntur, vel *soluto ore* id est nimium patenti.

1 Priorem periodum correximus e Servio et scholiasta Stat. ad Theb. IX. 361. Codex habet: *Alcon aesa et L. f. h. u. H. a quum cum prohibitus esset ad consolandum.*

vs. 400. *jactare.* Differre, projicere.

maniplos. Quidquid manus includit.

vs. 403. *noctua.* [1] Avis, lucis profuga, si canat

nat post solis occasum, pluviam significat: [2] si in tectis vel in arboribus canat sero, serenitatem significat.

[3] *noctua.* Postquam cum patre concubuit, facinus agnoscens, abdidit se in silvas et lucem refugit, ubi Deorum voluntate in avem conversa est, quae pro tanto facinore omnibus avibus est admirationi.

1 Servius haec uno scholio complexus est: *Noctua autem avis est lucifuga, quae significat pluviam, si cecinerit post Solis occasum. De hac autem talis est fabula: Nyctimene, postquam cum patre concubuit, et agnovit facinus esse, in silvis se abdidit, et lucem refugit; ubi Deorum voluntate conversa est in avem, quae pro tanto facinore omnibus avibus est admirationi.* ubi Dorvillius, recte, ut opinor, conjecit *abominationi.* — 2 Haec Probo tribuuntur in Cod. G. *Probus ait, si in tectis vel arboribus altis canat, serenitatem significat, si in foraminibus vel ramusculis* . . . reliqua desunt. — 3 Servius: *Nyctimene.* Schol. Stat. ad Theb. III. 507. ipsam *Nyctaeam* vocat, *Nyctei Aethiopum regis filiam:* ubi Munck. ad Hygin. f. 204. *Nyctimenem* et *Lesbiorum* emendavit.

vs. 404. *nisus.* Avis.

vs. 405. *et pro purpureo dat* [1] sonitu *Scylla.* Avis.

1 Haec vox male hic videtur irrepsisse ex sequentibus.

vs. 406. *levem.* Id est nubem.

aethera. Accusativus pluralis.

vs. 407. *inimicus.* Nisus.

stridore. Sonitu.

vs. 409. *raptim.* Velociter.

vs. 410. *liquidas.* Apertas, puras, id est voces.

vs. 412. *praeter solitum.* Plus quam soliti sunt.

vs. 413. *actis.* [1] Descusis, transactis, abactis.
juvat. Jocundat.

1 Lege *decussis.*

vs. 415. *haud equidem.* [1] Nunc quaerit cur homines, quos constat esse prudentiores animalibus, per se non sentiant qualitatem aëris futuri.

1 Eadem, sed uberius, leguntur apud Servium.

vs. 416. *ingenium.* [1] Id est concessum.
prudentia major. Hoc est nobis.

1 Videtur scholiastes *ingenitum* legisse.

vs. 418. *Jupiter.* Imber.

vs. 420. *species animorum.* Hoc est formae.

motus. Sic enim aër est mobilis [1] qn iō cummi' hominis.

1 Haec plane non intelligo. Fortasse legendum est: *quomodo animus h.*

vs. 422. *concipiunt.* [1] Incipiunt canere.
concentus. Id est Symphonia.

1 In Codice ὕστερον πρότερον scriptum est: *incipiunt. Concipiunt canere.*

vs. 423. *et laetae.* [1] Aëris serenitate.
ovantes. Laetantes.

1 Servius: *aëris serenitate gaudentes.*

vs. 424. *ad rapidum.* Velocem.

lunas. Noctes.

sequentes. [1] A prima secunda III vel IIII se sequentes, vel Luna solis circulos sequitur licet ipsa inferiorem.

1 Codex G. *Luna enim Solis circulum sequitur, licet et ipsa sit inferior, sequentes a prima, tertia vel quarta sequentes.*

vs. 425. *ordine.* [1] Quia fida sunt signa, quae Sole et Luna fiunt.

1 Servius ad vs. 424. *Et notandum, haec signa magis fida et subtiliora esse, quae ex Sole et Luna colligimus.*

vs. 426. *hora.* [1] Hyperbole est, quod non hora nos dicipit.

capiere. Decipiere. *capiere*, capieris.

noctis. Lunae.

1 Ita quoque Servius.

vs. 427. *Luna revertentes ignes.* Cum Luna nova renascitur, tum enim originem videt tollere quam decrescendo perdiderat.

vs. 428. *si nigrum.* Nigrum aëra, non nigrum cornu. Aratus ait. Sed si non habuerit [1] luna cornua et intra eam nigrum aëra videris, erit ubique pluvia.

1 Servius, omisso Arati testimonio: *Id est, si non habuerit pura cornua* cet.

vs. 431. *ventus erit.* [1] Ventum semper de-

 num-

nunciat rubens luna: ventus enim venit ex aëris densitate: concitatio crassitudinis ventum facit. *Phoebe*, autem Lunam dicit, ut Solem, Phoebum; ut [Aen. IV. 6.] » Postera Phoebea lustrabat lampade terras."

Phoebe. Venit ab eo quod est Phoebos. Sciendum, in propriis nominibus duo tantum genera fieri, ut: Phoebus, Phoebe: Tullius, Tullia.

1 De priore annotatione nihil exstat apud Servium. Altera in ipsius Commentariis fere ad verbum reperitur.

vs. 433. *pura.* Deëst fuerit.

vs. 435. *exactum ad mensem.* Usque ad peractum mensem.

vs. 437. *Glauco.* [1] Glaucus, Anthedonis filius, piscator: qui, cum cepisset pisces, eos deposuit; illi autem animum ex herbis receperunt et redierunt in mare. Glaucus, amissam dolens praedam, sese praecipitavit in undam et maris effectus est [2] Deus. JUNILIUS dicit.

Panopea. [3] Filia Nerei, Glauci conjux, nympha marina.

Inoo. Patronymicum est a matre ut Inous ut alibi. [4] Ledeam et rl. [5] Inous Graece dicit Leucothea, Latine Mater Matuta.

Melicertae. Melicertes Athamantis filius, quem Corinthii Palaemonem in Isthmo colunt, Lucani Portunum dicunt, quod portibus praesit. JUNILIUS dicit.

1 Eandem, sed aliis verbis, fabulam narrat Servius. In Philargyrii Commentario iterum nihil ad h. vs. annotatum reperitur. Codex G. *Glaucus dolens amisisse praedam*,

dam, id est, pisces, praecipitavit se in mare et deus maris est factus. Item, Glaucus Poliphei, cet. — 2 Ita legendum. Codex habet: *effectus est in undam ds.* — 3 Codex G. *Panopea, ut Hesiodus dicit, Nerei filia, conjux Glauci et nympha marina. Melicertes vero Inoos filius et Athamantis, quem Palaemonem Corinthii in Isthmo colunt: nostri Portunum dicunt, quia portubus praesit: unam clavem tenens pingi solet. Item, Melicertes patronymicum est a matre Melicerte.* — 4 Nempe Aen. VII. 364. « *Ledaeamque Helenam Trojanas vexit ad arces.*" — 5 Servius: *Ino et Melicerta filius, postquam sunt in numina commutati, Graece Palaemon et Leucothoe sunt appellati: Latine Portunus, Mater Matuta.*

vs. 438. *Sol quoque.* Ortu et occasu signa dabit.

vs. 442. *conditus in nubem.* [1] Hic soloecismus est, nam dicere debuit *conditus in nube:* sed non hic vitium quoniam *in* multa significat, et hic *in* non *in nubem conditus* ut sit vitium, sed *in* pro *infra* et significat *infra nubem conditus.*

medio orbe. Si orbem suum fecerit cavum [2] velut ore quae fuga orbe a pervenit.

1 In Codice G. hoc scholion aliquanto uberius legitur. — 2 Alteram hujus scholii partem non intelligo.

vs. 444. *sinister.* Malus, noxius.

vs. 445. *sub lucem.* Sub, prope.

vs. 447. *croceum.* Cum enim tempestas futura sit, semper nascitur croceus in serenitate et significat grandinem.

vs. 448. *mites.* [1] Maturas, ut: [Ecl. I. 81.] » Sunt nobis mitia poma." JUNILIUS dicit.

male defendet. [2] Non defendet.

pam-

pampinus. Feminini generis, ut [3] Varro: « Harum pampinorum."

1 Iterum hoc desideratur in Philargyrii Commentario. — 2 Ita quoque Servius. — 3 Varronis testimonium hic non usurpat Servius, quod tamen ipsi non fuit incognitum. Ad Ecl. VII. 58. haec utique scripsit: *Sane sciendum, Virgilium pampinos numquam cum genere dicere: sed Varronem genere feminino uti frequentius.*

vs. 450. *hoc.* Ordo hic: hoc etiam meminisse quod [1] Sole veniente ad vesperam signa meliora sunt.

emenso. Transacto.

emenso. Non proprie sed translative ut dicimus emensam viam, quum perambulaverimus, id est transactam.

1 Servius: *Ideo magis addidit, quia a Sole venientia vespertina signa, meliora sunt.*

vs. 452. *ipsius.* Id est, Solis.

in vultu. In orbe.

vs. 453. *caeruleus.* Colorem niger.

igneus Euros. [1] Breviter collecta conclusio est.

1 Idem apud Serv. legitur.

vs. 454. *rutilo.* Claro.

vs. 455. *omnia.* [1] Id est ubi periculum.

1 Servius: *Id est, ubique et pluvia et venti erunt.*

vs. 456. *fervere.* A fervo, fervis.

vs. 457. *ire.* Convellere, solvere.

vs. 458. *referet.* Adferet, id est Sol.

re-

relatum. Quum attulerat vel invexerat.

vs. 459. *lucidus.* Solis scilicet.

terrebere. Terreberis.

vs. 460. *et claro.* Id est puro, sereno, quia nigrum est, ut: [Aen. V. 2.] »Fluctusque [1] atros Aquilone.''

1 Codex habet: *Fluctus atrosque Aquilones.*

vs. 461. *quid vesper.* Proverbium est, nescit quid vesper ferat. [1] Vesperum pro nocte posuit. Synecdoche, a parte totum.

1 Posterior pars annotationis item in Cod. G. legitur.

vs. 462. *ventus* [1] *agat.* In quam se partem flectit, [2] serenitati an pluviae.

1 Codex habet *cogit.* — 2 Servius: *utrum ad serenitatem, an ad pluvias.*

vs. 464. *ille.* Sol.

caecos (tumultus). [1] Conjunctiones latentes, insidias.

1 Lege, ut apud Servium, *conjurationes et latentes insidias.*

vs. 466. *ille.* Sol.

Caesare. Cajo Julio Caesare. [1] In gratiam Augusti deflet, et constat, occiso Caesare in Senatu, pridie Iduum Martii, Solis fuisse defectum ab hora sexta usque ad noctem.

1 Eadem in Servii Commentariis leguntur.

vs. 467. *ferrugine.* Subnigra: proprie ferru-

ru-

rugo dicitur color subniger ut purpura.

vs. 468. *impia.* [1] Id est, quibus occisus est Caesar.

timuerunt. Ut Romani timuissent perpetuam noctem [2] vel mereri noctem vel pro eclipsi posuit.

1 Ita quoque Servius. — 2 Mediam annotationis partem non intelligo.

vs. 470. *obscoeni (canes).* [1] Diri; id est quum obscoenum canunt quod obsint augurio.

importunae volucres. [2] Id est, stryges et bubones, nocte gaudentes, in alienum tempus ruentes, hoc est videri in die; quod insolitum erat.

importunae. Hic epitheton est.

1 Codex G. *Obscoeni, qui canunt obscoenum, quod obsit augurio.* — 2 Servius: *importunae. In alienum tempus ruentes: ut stryges, aut bubones, nocte gaudentes, per diem possent videri.*

vs. 472. *undantem.* [1] Flammas vomentem.

1 Servius: *Undae modo flammas vomentem.*

vs. 473. *liquefactaque volvere saxa.* Volvendo liquefacere.

vs. 474. *Germania.* [1] Bene *Germania*, quam vicerat Caesar, ut, eo occiso, in rebellionem videretur exsurgere.

1 Totidem verbis Servius.

vs. 479. *infandum.* Infandum, quod locutae sint infandum.

manes [1]. Amnes, non dii.

de-

dehiscunt. Aperiuntur.

1 Ita legisse videtur Scholiastes pro *amnes.*

vs. 480. *ebur aeraque sudant.* Id est, eburnea et aenea sudant simulacra. Metonymia; [1] signa laboris futuri.

1 Postrema verba etiam apud Servium leguntur.

vs. 482. *fluviorum rex (Eridanus).* [1] Quod in eum flumina multa ex Alpibus intrant. Eusebius eum esse Rhodanum dicit propter magnitudinem et cursum rapidissimum. Ctesias hunc in India esse adfirmat. Sed Virgilius Padum dicit, cujus inundatio prodigiosa. Vel *rex* quod apud Inferos habetur ut in sexto [Aen. vs. 659.] » Plurimus Eridani per undam volvitur amnis."

1 Differt aliquantum scholion quod in Cod. G. legitur: *Ubi sit Eridanus, multi errant; ipsum esse Rhodanum putant propter multitudinem. Thesias hunc in Media esse: Chaerilus in Germania, in quo flumine Edion exstinctus est: Jon in Achaja: sed Virgilium credibile est Padum significare, cujus exundantia semper prodigiosa est existimata, quem* Fluviorum Regem *dixit, sive quod multa in se flumina currentia ex Alpibus recipit, sive quia ipsius simulacrum in coelum sit receptum inter astra.*

vs. 484. *tristibus.* Tristitiam merentibus.

vs. 485. *et altae.* [1] Syllepsis est ut alibi: » Det motus incompositos."

1 In Codice iterum scriptum est *Sinlimsis*, aeque ac vs. 350. quem hic citat.

vs. 486. *urbes.* Ad quas lupis non accessus.

vs.

vs. 488. *cometae.* Stella lugubris: haec, dum visa fuerit, imperii mutationem significat.

vs. 490. *Philippi.* Civitas Thessaliae.

iterum. [1] Quia primum ibi a Caesare et Pompejo, postea a Bruto contra Antonium et Octavium Augustum pugnatum est.

Philippi. [2] Civitas, vel ubi Romani primo victi sunt a Philippo rege.

1 Eadem, sed tantum non ad verbum, leguntur apud Servium. — 2 Codex G. *in Macedonia Romani victi sunt a Philippo rege, ubi Caesar et Antonius adversus Brutum et Cassium dimicaverunt* cet.

vs. 491. *nec fuit.* [1] Exclamatio ad Deos.

nostro. Romano.

1 Et ita Servius.

492. *Emathiam.* [1] Mons, ab Emathione Jovis et Electrae filio, partem Macedoniae et Thessaliae continens.

Haemi. Mons Macedoniae.

1 Codex G. *Aemathia autem pars Macedoniae dicta ab Aemathone Jovis et E. f.*

vs. 495. *exesa.* Consumpta.

scabra. Inde *scabies.*

rubigine. Rubigo, vitium, rodens ferrum vel [1] segentes.

1 Lege: *segetes.* Similiter vs. 66. scriptum fuit *hiemens.*

vs. 496. *galeas inanes.* Quoniam non tegunt capita.

vs.

vs. 498. *Dii patrii.* [1] Qui praesunt singulis civitatibus.

Indigetes. Omnes dii dicuntur qui nullius egent. [2] Nigidius dicit. Vel dii facti ex hominibus.

Vestaque mater. [3] Ut Physici, Terra est.

1 Uberius haec, omisso tamen Nigidii testimonio, exposita sunt apud Servium: *Patrii dii sunt qui praesunt singulis civitatibus: ut Minerva Athenis: Juno Carthagini. Indigetes autem, proprie sunt dii ex hominibus facti, quasi in diis agentes. Abusive autem omnes dii generaliter possunt dici Indigetes, tamquam nullius rei egentes.* — 2 Nigidius magnum opus scripsit *de Diis*, utpote cujus XIX librum citat Macrobius Sat. III. 4. Cf. Rutgers. Var. Lect. L. III. c. XVI. p. 284 seqq. Vix dubium est quin eo referendum sit hocce fragmentum. Nec est ulla Veterum mentio, ut diximus §. 47. quae Nigidium Figulum in Virgilium commentatum esse declarat. — 3 Codex G. *hanc Physici putant Terram.*

vs. 500. *hunc.* Id est, Augustum.

vs. 502. *Laomedonteae.* Laomedon, pater Priami. Quomodo Laomedonte orti sunt Trojani, [1] Accius docet: Jupiter Dardanum genuit, Dardanus Troum, Trous Assaracum et Ilum et Ganymedem; Capys ex Assaraco satus, qui Pergamum construxit, Laomedon Priamum et Anchisen edidit.

perjuria Trojae. [2] Bene pla. dixit perjuria p' quod Herculi propter Hesionam Apollini et Neptuno propter muros: hoc autem numine divum ideo evenit.

luimus. Solvimus, vel sustinemus. Horatius [III. Od. 6. 1.] „Delicta majorum in meritis luis." [3] Haec autem ex majorum vitiis descendisse firmat.

1 Satis distincte Accii nomen in Codice exaratum est. — 2 Non subit quomodo emendandum sit. Nec juvat Codex G. *Tam longe bellorum caussas, semel adversus Herculem gesta, semel adversus Apollinem et Neptunum, docet, ut Callimachus propter pollicitam Hesionem, Apollini et Neptuno propter muros constructos.* Pro *pla.* suspicor legendum *pluraliter.* — 3 Postrema verba item apud Servium leguntur.

vs. 503. *regia.* Regina.

vs. 504. *invidet.* Id est vult te in coelum tollere et te adhuc terrenis laudibus interesse.

invidet triumphos. Fit triumphum et triumphus.

vs. 505. *quippe ubi fas.* [1] Apud homines, qui spernunt licita, petentes inlicita.

1 Ita quoque Servius.

vs. 506. *aratro.* Qui scripsit Georgica, recte dolet nullum aratrum in honore [1] haberi.

1 In Codice perperam legitur *habere.*

vs. 507. *abductis (colonis).* [1] Ad bella.

1 Et ita Servius.

vs. 508. *et curvae.* [1] Antithon reddit.

rigidum. Rectum.

1 Legendum erit *antitheton.*

falces conflantur in ensem. Non ut [1] Esaïas dicit.

1 In Codice equidem legebam *osuius*, et omnino nesciebam quisnam significaretur. Sed Esaïae nomen restituendum esse verissime suspicatus est amicissimus B. A. Nauta, qui vir egregius, in legendis antiquis MStis versa-

satissimus et recens a Plinii Codd. conferendis suam mihi, quo accuratius hoc Scholiorum Specimen publicarem, auxiliatricem manum largiri voluit. Esaiae verba sunt C. II. c. 4. *Ut tundant gladios suos in ligones, et hastas suas in falces.*

vs. 512. *carceribus.* Januis.

vs. 513. *addunt in spatia.* Propria vox [1] ora. equi enim cursus spatio addere dicuntur.

1 Hoc, si verum fateor, non intelligo. Putabam prius nomen *Horatii* hic latere. Sed non memini me legere apud istum poëtam quod talem annotationem ab hoc Scholiasta flagitare possit. Fieri potest, ut docere voluerit *Spatium esse propriam vocem orationis.* Quae ipsa opinio non omni caret veritate.

vs. 514. *fertur.* [1] Hic vult dicere remp. bonum imperatorem sed malis praeteritorum temporum.

[2] TITUS GALLUS DE TRIBUS COMMENTARIIS GAUDENTII HAEC SCRIPSIT.

1 Scholion mancum. Fluxit autem ex hac Servii annotatione: *Hoc vult dicere: Res quidem publica habet optimum imperatorem; sed tanta sunt vitia temporum praeteritorum, quae in dies singulos aucta sunt, quemadmodum in processu equorum cursus augetur.* — 2 De hac subscriptione diximus supra p. 168 seq. et p 271.

Longiorem, quam ab initio quidem putaveram, me esse coëgit hoc, quod ex Codice Vossiano puplicavi, *ineditorum Scholiorum Specimen:* et vereor pene ne, post impensum taedii plenum laborem, fructus inde proditurus sit admodum exiguus. Quo nomine enim haec Scholia prosint, illud unicum est, quod doceant Commentarium Philargyrii olim

olim fuisse ampliorem, et duos, quorum nomina in Scholiastarum numero nondum audiebantur, Gaudentium et Gallum, antiquitus Scholia in Virgilium scripsisse. Ceterum si ea excipias, quae aliunde jam cognita erant, parum aut fere nihil continent, quod Virgilii intelligentiae aut Literarum studio prodesse possit.

Et sic tandem huic Parti Secundae finem imponimus: continuoque progredimur ad Partem Tertiam, in qua de Horatii, Ovidii, Caesaris Germanici, Senecae tragici, Lucani et Persii Scholiastis agemus.

Δ Ι Ο Ρ Θ Ω Σ Ι Σ.

Pro iis quae p. 5. leguntur *Data opera de his interpretibus disserere aliquando constituerat Heynius — vereor ne frustra speremus* haec legantur quae nuper Mahnius V. C. me docuit:

Data opera de hoc argumento disserere aliquando constituerat Ruhnkenius; imo summus ille vir *paratam fere* habuit *dissertationem de antiquis Virgilii Commentatoribus*, quemadmodum d. 26 Aug. a. 1768. ipse scripsit in annotatione ad Ecl. IV. 60. quam Heynio, primam Virgilii editionem paranti, suppeditavit. Hanc autem Dissertationem ut a Ruhnkenio numquam editam esse scimus, ita nescimus prorsus ubi istud nunc lateat κειμήλιον. Quantum ex Ruhnkenii ad Heynium Epistolis suspicari licet, haec Dissertatio ab auctore destinata fuit ut secundae Heynianae Virgilii editioni insereretur; sic enim Ruhnk. ad Heyn. scripsit d. 27. Dec. 1769. (p. 127. edit. Fr. Car. Kraft): *Dissertationem meam de Virgilii interpretibus mittam tum, cum primum Virgilii tui volumen, quod brevi futurum auguror, sub prelum revocandum erit.* Sed utrum Ruhnkenius reapse promissis steterit, illamque Dissertationem Heynio tradiderit, id ex Epistolis, quatenus supersunt, plane non constat. Thomas Kiddius, qui a. 1807. opuscula Ruhnkeniana edidit Londini, videtur opinatus esse ipsam in Bibliotheca Leidensi servari, quum ita scribat in Praef. p. LIX. *Annos abhinc plus minus triginta eruditos certiores fecit Heynius* (*in Addend ad Virgil. Aen. IV.* 240.) *Ruhnkenium nostrum „ paratam habere dissertationem de antiquis Virgilii Commentatoribus;" quam ut ab interitu vendicaret W.* (Wyttenbach.) *per Ruhnkenii manes rogamus, precamur, obtestamur.* Hanc autem nunc quidem inter Bibliothecae Leidensis thesauros non reperiri, affirmaverunt mihi Geelius et Bergmannus: quorum ille denuo mea causa indicem Schedarum Ruhnkenianarum perquisivit: hic vero dudum sua causa sollicitus fuit quum Ruhnkenii opusculorum editionem

nem pararet; isque sic scripsit in Praef. T. I. p. XXXI. *Est autem memoratu dignum, quod illo tempore scripsit idem Heynius in Add. ad Virgil. Aen. IV. 240. « Ruhnkenium paratam habere dissertationem de antiquis Virgilii Commentatoribus.» Quorsum pertinere quae leguntur in Koenii Praef. ad Gregor. p. IX. ad Hymn. in Cer. v. 450. et Ep. Crit. II. p.* 198. 204. 209. 216. *censet Kidd. Praef. p. LIX. Quid vero ejus rei sit, dicere non possumus: nam adhuc quidem nihil ejus generis inter schedas Ruhnkenianas repertum est.*

Vix necesse est dicere quantopere dolendum sit quod tanti viri opusculum perierit: idque eo magis etiam, quod quum Ruhnkenius Dissertationem suam Heynio promisisset, hic, quominus ipse de isto argumento dissereret, destiterit. *De antiquis Virgilii interpretibus*, ita ipse inquit, *diligentius agere cum constituissem, fregit impetum, quod audieram, Viros doctissimos inter Belgas cum maxime eum lapidem volvere.*

Interim Heynius (1) tamen, ne prorsus cet.

Quae p. 166. leguntur: *Nolo tamen diffiteri — suae spontis est* ita corrigantur:

Noli autem putare, id, quod Pomponius Sabinus citet ad Aen. VI. 81. SPONTE SUA. *Propter preces et sacrificia. Cornelius Celsus ait: qui suae spontis est.*

esse scholion ad Virgilium. Imo, haec verba reperiuntur in opere de re Medica L. I. c. 1. « *Sanus homo, qui et bene valet et suae spontis est, nullis obligare se legibus debet.*»

Typothetarum erroribus, si qui supererunt, spero fore ut L. B. ignoscere velit: hi autem quod paucissimi sint, id acceptum refero eximiae Amiciss. Heynsii curae.



HISTORIA CRITICA

SCHOLIASTARUM LATINORUM.

SCRIPSIT

W. H. D. SURINGAR,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT.

PARS TERTIA.

LUGDUNI BATAVORUM,

SUMPTIBUS S. ET J. LUCHTMANNORUM

ET J. C. CYFVEERII.

1835.

Lapides et ligna ab aliis accipio: aedificii tamen exstructio et forma, tota nostra. Architectus ego sum, sed materiam varie undique conduxi. Nec aranearum sane textus ideo melior, quia ex se fila gignunt: nec noster vilior, quia ex alienis libamus, ut apes.

JUSTUS LIPSIUS in Notis ad Politic. L. I. c. I.
(Oper. Omn. T. IV. p. 203.)

W. H. D. SURINGAR

HISTORIA

CRITICA

SCHOLIASTARUM

LATINORUM.

III.

W. H. D. SURINGAR

HISTORIA

CRITICA

SCHOLIASTARUM

LATINORUM.

III.

W. H. D. SURINGAR

HISTORIA

CRITICA

SCHOLIASTARUM

LATINORUM.

III.

W. H. D. SURINGAR

HISTORIA

CRITICA

SCHOLIASTARUM

LATINORUM.

III.

CONSPECTUS
PARTIS TERTIAE.

CAPUT XIII.

§.

CA-

CAPUT XIII.

DE ANTIQUIS INTERPRETIBUS Q. HORATII FLACCI.

Quale infortunium antiquis Virgilii interpretibus accidisse memoravimus, simile quoque accidit Horatii Scholiastis. Quemadmodum enim Heynius, ne illis insigniorem operam impenderet, falsa sibi a Ruhnkenio promissae Dissertationis exspectatione retentus fuit; ita Janum nescio quae causa retinuit ab editione libelli, quem scripserat, de antiquis Horatii interpretibus. Talem utique se paratum habuisse ipse prodit in Proleg. p. XLIV. ubi, post brevem hujus argumenti expositionem, haec ait: *Et sic haec de antiquis Commentatoribus hoc loco sufficiant; dispeximus enim de iis plenius singulari libello, qui propediem lucem adspiciet.* Hic vero quod lucem non adspexerit, eo magis dolemus, quo plenius fatendum est, Horatii Scholiastas per hos ducentos et quod excurrit annos omnino mansisse intactos: adeo quidem ut nulla editio prostet tractabilis, quae, apta Scholiorum dispositione sese commendans, satis commode lecto-

rum usui inservire possit (1). Et insunt huic, quod tractamus, argumento duae praecipuae difficultates: altera est, quod non satis notum sit, quinam fuerint antiquiores Horatii interpretes, quorum quippe nomina nusquam ab Acrone vel Porphyrione memorata sint nec aliunde cognoscantur nisi ex clausula Vitae Horatii, ab incerto auctore scriptae, quae in quibusdam vetustis Codicibus, sed in aliis aliter disposita, reperitur. Altera est, quod ii ipsi, quos superstites habemus, Acronis et Porphyrionis Commentarii tantam inter se habeant similitudinem, ut, si vere loqui volumus, in Horatium Scholia duplicis recensionis, non vero duos Scholiastas superesse dicendum sit.

Nec tamen neminem habemus, quem sequamur: Geor-

(1) Non immerito igitur Baehrius in Historia Literaturae Romanae, germanice scripta §. 108. n. 2. dixit: *Eine vollständige Sammlung und Bekanntmachung dieser alten Scholien in einer neuen Bearbeitung ist daher sehr zu wünschen.* Ego ipse jam aliquot annos novam horum Scholiastarum editionem molitus, in eamque rem non contemnenda subsidia nactus sum, ignorans id, quod nuper ex Orellii Epist. Crit. ad Madvig. p. LV. didici ,, Ferd. Hauthalium, virum doctissimum et accuratissimum, collatis permultis Codd., Acronem et Porphyrionem emendandos sibi proposuisse." Hujus igitur opera si peritiorum desiderio satisfaciat, ego meum laborem supprimam. At vero Orellii commendatio vix sinit dubitare, quin Hauthalius peritiori manu telam suam texturus sit, quam Ge. Bernhardus, qui, nuper Horatii Opera edere instituens, additis in titulo verbis *Scholiastarum Veterum Acronis et Porphyrionis Scholia typis excudenda curavit*, bonos librorum emtores decepit.

Georgius enim Fabricius, idem qui Virgilii interpretibus diligentem manum admovit, novam Acronis et Porphyrionis editionem curans, quae Basileae a. 1555. prodiit, in Praefatione, more suo, id est, re bene perspecta, de Horatii Scholiastis breviter exposuit. Hujus igitur disputatiunculam operae pretium duco hic integram inserere. « *Interpretes Horatiani*, ita scribit ille, *ex vetustissimis fuerunt quinque, C. Aemilius, Julius Modestus, Terentius Scaurus, Helenius Acron, Porphyrio. De Aemilio et Modesto accepimus e fragmento codicis vetusti, vitam Horatii continente, quod editioni suae praeposuerunt Basilienses. Cajum Aemilium optime omnium commentatum, in eodem fragmento legitur: et Julium Modestum, artis scriptorem fuisse disertissimum dicit Charisius* (1). *Scauri autem decimum in Artem poëticam librum, idem* [p. 182. et 188.] *adducit. Helenium Acronem bis citat Porphyrio* [ad Sat. I. 8. 25. et II. 3. 83.], *Porphyrionem Priscianus* (2). *Diomedem carminum genera in odis singulis annotavisse constat. De carminibus Horatianis praeterea scripserunt Caesius Bassus, cujus fragmentum extat: et accuratissime omnium Atilius Fortunatianus, quem edidit Janus Parrhasius, verum adeo mutilum atque corruptum, ut cum*

(1) Quo loco Charisius talem laudem Julio Modesto tribuat, reperire non potui.

(2) Porphyrionis mentionem in Prisciani libris frustra quaesivi. At illius nomen, ut mox videbimus, memoratur a Charisio p. 196. Itaque non dubito, quin Fabricius leviter lapsus sit.

cum libri Grammaticorum veterum omnes recusi sint, uni huic nemo admovere manum ausus fuerit. Praeterea de personis Horatianis aliqui ex antiquis scripserunt, quorum bis mentionem facit ad primi libri tertiam Sat. [vs. 21. et 90.] *Porphyrio, intelligens videlicet eos, qui ex professo fabularum et historiarum obscuritatem sunt interpretati: cujusmodi commentarios etiam Tib. Claudium Donatum edidisse in Virgilium, ipsius ad Maximum Donatianum filium, epistola testatur* (1): *sed et horum interpretum, et trium quos nominavi priorum Aemilii, Modesti, Scauri scripta penitus interierunt: nisi aliquae (ut ego suspicor) annotatiunculae sint Commentariis Helenianis admixtae. Nam in unum locum saepissime binae, interdum tres pluresve expositiones leguntur, neque semper unius generis: similiter de una eademque historia diversae proferuntur sententiae, ut de Fannio Quadrato poëta Romano, in Sermonibus* [I. 4. 21.]: *de Tyrtaeo Atheniense, in Arte poëtica* [vs. 402.]. *Omne autem reliquum quod est, id Helenio et Porphyrioni asscriptum fuit. Verum utriusque libri adhuc sunt mutili: desideratur enim Narratio Porphyrionis de vita Horatii, cujus ipse mentionem ad Sermones facit, libri primi, Sat. sexta* [vs. 41.]: *desiderantur Graeca epigrammata, quae ab eodem commentatore aliquoties adducuntur, et pluri-*

(1) Hanc ipsam Donati epistolam, a Fabricio in sua Virgilii editione p. 1825. publicatam, dedimus in Parte II. p. 57.

sima fortasse alia. — Ego autem nihil conqueror magis, quam quod interpretes isti non modo non integri, sed ne emendati quidem satis ad hanc aetatem pervenerint. Quod si esset factum, minus in iis errorum inveniretur, minus interdum ineptiarum: nam inveniri non nego: sed illud quidquid est, et cognosci facile potest, et non attribuendum hominibus eruditis est, sed temporum vitiis, quibus barbariei foeditate et luto, multis seculis omnia fuerunt contaminata. Priscos autem in hunc poëtam Commentarios ejusmodi injuria et calamitas si non attigisset, ut ad Heresbachium aliquando scripsit Bentinus (1), facile pateremur recentiores quosdam interpretes obsolescere."

Haec Fabricius, qui, ut dixi, rem bene perspexit: nam, praeterquam quod recte de Acronis et Por-

(1) Michaël Bentinus, qui Horatii opera cum Commentariis Acronis edidit Basil. a. 1527. sic scribit in Epistola Nuncupatoria ad Conradum Hertzbachium: „*Interpres*, loquitur autem de Acrone, *etsi non vetustissimus, utpote Prisciani et Servii, quem semel aut iterum citat, aetate posterior, certe omnium judicio inter Horatianos interpretes facile primum sibi locum vendicat. Nam Porphyrionis bonam partem desideramus. C. Aemilium, Modestum, Gelenium* (sic) *et caeteros, de nomine tantum novimus, quorum si extarent commentarii, facile pateren recentiores, si ita videtur, obsolescere. Verum cum his unus ab interitu vix servatus sit, indignus sane visus est, qui contemptu et typographorum incuria totus periret. Proinde curavimus ut et nitidior et emendatior tuo nomini condictus in lucem prodiret.*"

Porphyrionis commentariis judicaverit, acriterque subodoratus sit, in his latere antiquiorum interpretum scholia, hic, ut mihi quidem videtur, multo judicio emendavit istud fragmentum Codicis vetusti, in quo antiquiorum interpretum nomina memorantur, quum pro duobus *Gelenii* et *Acronis* nominibus unum *Helenii Acronis* nomen reposuerit: quod mendum miror et Bentinum fugisse et Sichardum, qui Bentino hujus copiam fecerat (1).

Sed ubi de Georg. Fabricio loquor, non possum quin profitear ipsum perquam egregie de Acrone et Porphyrione meritum esse, utpote qui horum Commentaria, quae ante ipsum miserrime corrupta et lacera erant, multo emendatiora ediderit. Et hanc Fabricii laudem agnoverunt quoque recentiores Horatii interpretes: sic Janus in Praef. p. LXII. Fabricii editionem vocat *principem editionem* et Mitscherlichius p. XLV. ipsam inter *praestantissimas sed et rarissimas* numerandam esse censet (2).

Post

(1) Ante Bentinum a nemine, quantum scio, ista Vita edita est. Sic autem ipse in Praef. scribit: « *Autoris vitam ex antiquo codice, cujus copiam nobis fecit Jo. Sichardus, amicus noster cum primis humanus et eruditus, quod et brevis et tamen hoc praeter caeteros haberet quod ejus interpretes ordine recenseret, huc apponendam putavimus.*"

(2) Nec tamen inficiandum est, scholia passim in aliis editionibus prestare emendatiora. Equidem Fabricii editionem sequar, ad eamque correctiones meas referam. Saepius autem mihi profuit editio, quae ex officina Ascensiana (ut ad calcem libri legitur) prodiit *ad quintum Calendas Septemb. MDXXIX.*

Post Fabricium, Horatii Scholiastis manum admovit Jacobus Cruquius, publicato Commentatore, qui ab editoris nomine plerumque *Commentator Cruquianus* vocatur. Hunc, etsi id non diserte memoret, Cruquius videri voluit ex MS. Codice edidisse: sic vulgus utique loquebatur: sed non sine *vobelas* suspicione. Franciscus Dousa saltem (hujus enim nomen significari videtur literis Fr. D.) in *Auctario Veteris Commentatoris*, quod prostat in edit. a. 1611. p. 688 — 695. opinatur Cruquium, Acronis et Porphyrionis Commentaria ope Manuscriptorum Codicum in integrum restituere conatum, quae antea duorum fuissent, in unum corpus contulisse, ac *Commentatoris* titulo insignivisse. Sunt tamen, in plerisque enim est opinionum diversitas, qui opinentur Cruquiano Commentatori suum honorem relinquendum esse; ut suo loco dicemus.

Si morem nostrum sequi volumus, erit nobis in hoc capite exponendum: primum de Scholiastis quorum Commentarii supersunt, i. e. de Acrone, Porphyrione et Commentatore Cruquiano; porro de antiquioribus, quorum opera perierunt; tum de iis qui perperam Scholiastarum numero habentur; tandem, si quae nobis de ineditis Scholiastis innotescant.

§. 1.

HELENIUS ACRO

ET

POMPONIUS PORPHYRIO.

Acronem et Porphyrionem ut una recenseamus, sunt, quae suadeant. Ingratum enim est, quae de ambobus dicenda sunt, de singulis dicere: quod alioqui in plerisque fieri oportuisset, quandoquidem, licet hic illic a se discedant, ambo tamen ex eodem fonte profluxisse existimandi sint, vixque dici possit, singulos in Horatium commentatos esse. Accedit aetatis, qua quique vixerint, obscuritas; quo fit ut ignoremus, uter alterutro sit antiquior, prioremve sibi locum vindicet. Quibus namque auctoris aetas definiatur, quum sint argumenta vel externa vel interna; illa quidem omnino desiderantur (1): quum, quae de ipsis afferuntur testimonia, a

(1) Acronis quidem Commentarii in Terentium, ut supra vidimus Part. I. p. 92. saepius a Charisio citantur. Sed si concedatur, quod equidem non negandum esse censui, Terentii et Horatii interpretem, unum fuisse hominem, quid inde probatum erit praeterquam quod Acro fuerit Charisio saltem antiquior. Charisio, inquam; cujus et ipsa aetas maxime incerta est. Saxius in Onom. Lit. T. I. p. 481. suspicatur, ipsam referri posse ad Macrobii aevum, id est, circiter 100 ann. ante Priscianum. Quod si recte dictum sit, merito mirandum est, Prisciani

a recentioribus profecta sint, qui ut in eo consentiunt lucubrationes istas doctas et utiles dicendas esse, corruptas tamen et interpolatas, ita ad unum omnes fatentur ignorari auctorum aetatem; haec vero, id est, interna argumenta, ejusmodi esse videbimus, quae parum aut nihil valeant, e quibus quippe certi nihil et probabile vix quidquam conjecturâ assequi liceat. Cum aetate autem proxime conjunctum est judicium de singulorum doctrina et meritis: praecipue ubi dixeris alterum alterius operam compilasse; quo facto hanc quaestionem perquam gravissimam esse nemo negabit.

Ge. Fabricius videtur opinatus esse, Acronem fuisse antiquiorem, argumento quod dicat Acronem bis a Porphyrione citari. Et revera in hujus Commentario nunc quidem duo scholia leguntur in quibus Helenii Acronis nomen memoratur:

ad Sat. I. 8. 25. Cum sagana majore. *Memini me legere apud Helenium Acronem, Saganam fuisse nomine, libertam Pomponii senatoris qui a triumviris est praescriptus. Sed cum dicat majorem, ap-*

pa-

ni testimonium ab Acrone in partes vocari ad Epist. II. 2. 228. quem locum infra memorabimus. — Porphyrionis nomen semel memorat Charisius p. 196. « Sarcte *pro integre. Sarcire enim est integrum facere. Hinc* sarcta tecta uti sint, *opera publica publice locantur, et ut Porphyrio ex Verrio et Festo in Auguralibus, inquit, libris ita est* sane sarcteque." Sed num iste idem sit cujus Commentarii in Horatium feruntur, equidem idoneis causis non audeo contendere.

paret, aut sororem hanc habuisse minorem se, aut fuisse et aliam Saganam illis temporibus, minorem hâc, vel aetate, vel natalibus, vel censu.

ad Sat. II. 3. 83. NESCIO AN ANTICYRAM. *Anticyra et oppidum et insula hoc nomine, sicut Helenius testatur, in qua elleborum plurimum nascitur. Et alibi* [h. Sat. vs. 166.] » *Naviget Anticyram.*" *et est Propontidis insula.*

Haec igitur scholia, si certum esset, ita ab ipso Porphyrione conscripta esse, litem satis facile compositum iri censerem. Sed quum constet, Porphyrionis, non minus quam Acronis, Commentarios multis locis interpolatos esse, cavendum videtur, ne istis, quae fortasse ab aliena manu in Porphyrionis Commentarium intrusa sunt, plenissima fides habeatur. Illud quidem parum facio, quod editi ante Fabricium in priori scholio exhibeant *apud Helenum Cronem*; hoc tamen non reticendum opinor, non inveniri apud Acronem ea, quae Porphyrio inde citet, sed Acronianum scholion potius videri ex Porphyriano constipatum esse. Est enim hujusmodi: CUM SAGANA MAJORE. *Ostendit fuisse etiam minorem: aut majorem natalibus, aut aetate, aut censu, aut majorem quam fuit ipsa Canidia.*" Et quod ad alterum scholion attinet, quod non negem ex Acroniano duci potuisse, video in antiquioribus editionibus pro *Helenii* exstare *Clarenii* nomen. Non deest itaque, quo horum scholiorum auctoritas in dubium vocari possit.

Haud secus ac Fabricius, censuisse videtur Nic. Hein-

Heinsius, qui ad Silium Ital. L. III. 381. de locis qui ab utroque Scholiasta citantur, sic judicat, ut suspicetur, Porphyrionem interdum Acroni credere, quam citatum locum adire, maluisse.

Item Ever. Otto in Disput. de Alfeno Varo c. 2. (in Thesaur. Juris T. V. p. 1638.), qui, utriusque scholiis ad Sat. I. 3. 30. inter se collatis, Porphyrionem non dubitat *Acronis compilatorem* vocare.

Et eandem opinionem, sed non addito argumento, prodit Baxterus ubi in Praefat. ait: « *Forsitan tu quaeras, quid ego de his sentiam: rem omnem paucis expediam. Pomponius Porphyrio, homo doctus atque diligens, incertum quo aevo, stante certe Deorum cultu, Helenii Acronis, vetusti Grammatici, forsan etiam aliorum fusiora Commentaria, in breve Compendium redegerat: Magistri Librarii sequioris aevi hunc itidem compilavere; quorum in numero cum Pseud-Acrone et Pseudo-Porphyrione, Cruquianus interpres nominandus venit.*"

Praeterea famam vulgarem Acroni antiquiorem aetatem tribuisse, hinc apparet, quod in omnibus omnino editionibus, quas quidem viderim, Acronis Commentarii primas teneant. Nec aliter statuendum esse facile cuivis apparebit, qui Scholiorum a singulis conscriptorum rationem paulo accuratius intueatur. Intuere v. c. hoc Porphyrionis scholion ad Carm. III. 16. 41. REGNUM HALYATTICI. *Halyattus autem rex Persarum dicitur fuisse: vel, ut alii dicunt, rex Lydorum, pater Croesi.*

et

et scito Acronis annotationem hoc ipsum docere; quod Porphyrio ab aliis dictum esse narrat; est enim hujusmodi: *Halyattiicus, rex Lydiae, pater Croesi qui opimo imperio usus est.* Utri jam primas deferendas esse censes? Equidem opinor Porphyrionem sua ex Acrone desumsisse, adeoque ipso fuisse recentiorem.

Aliam vero sententiam fovit Henr. Glareanus, qui, quas vulgaris opinio Acroni detulerat, Porphyrioni primas partes deferendas esse censuit in Praef. ad Annot. in Horat. p. 1347. ed. Fabric. ita scribens: « *Non sum ignarus*, haec sunt ipsius verba, *quantum mihi invidiae conflaverim, quod ausus sim Acronis scripta, magnae existimationis et plurimae authoritatis, apud quosdam viri, tot locis taxare. Mihi vero, quis Acro fuerit, non tam curae fuit, quam conatus sum a me reprehensa fulcire et rationibus et majorum authorum scriptis. — Porphyrionem autem (si quid in ejus Commentario jure reprachendendum videbitur) haud dubie excusat temporum injuria. Nam illum certum est, fuisse eximie doctum, et in enarrando hoc Poëta primas tenuisse, sed post eum hunc racematorem Acronem venisse: quem non puduit integros versus ex illius Commentario in suum legere; ac nugacissimas nugas subinde assuere*" (1). Sic Glareanus: at qualis il-

(1) Saepius in Annotatione Glareanus. Ad Carm. I. 7. eandem sententiam prodit haec ait: « *Haud scio quis ve-*

ille judex! quem adeo Annotationes suas non magis ad interpretandum Horatium, quam ad reprehendendum Acronem scripsisse censeam. In Acrone vel levissimos errores damnat, in Porphyrione plerumque gravissimos excusat: si quae frugi sint in Acrone, contendit ipsum haec Porphyrioni surripuisse (1): contra, si quae in Porphyrione absurda sint, non veretur contendere, ea ex Acronis assumentis in Porphyrionis Commentarium venisse (2). At-

vetus sit Acro, qui Od. 1. L. III. Servium allegat: et Priscianum L. II. Epist. Videtur autem is idem Acro ex aliorum flosculis sibi sertum collegisse. Nam lectis in suum Commentarium Porphyrionis verbis assuit mira saepe emblemata. Nisi forsitan, quod injuria temporum fieri potuit, alius quispiam sciolus Acronis Commentarium corruperit." Ad Carm. L. 37. « *Vel ex hoc loco conjicere licet Acronis Commentarium esse post Porphyrionem coacervatum. Nam cum ille de Haemonia parum vel nihil diceret, Acro adjecit* ab Haemo Thraciae monte: *nec hoc contentus; sed*, ibi etiam pugnatum esse *adnectit, nec quando, nec abs quo explicans. Virgilii etiam carmen nihil ad rem faciens subjicit. Sed omnium absurdissimum, quod constructionem confundit* cet." Ad Carm. III. 10. « *Tanais, inquit Acro, fluvius Scythiae, qui et Danubius. Vel ex hoc item loco perspicere licet quam perspicacis judicii fuerit Acro. Si non injuria temporis potius in culpa est, ut quidam putant. Nam cum Porphyrionis verbis addit, continuo declarat se nihil scire: Fluvium Scythiae Tanaim dixit Porphyrio. His verbis Acro assuit* qui et Danubius."

(1) E. c. ad Carm. III. 12 Acro notat: « *Ostendit eos magis periclitari qui fugiunt.* Glareanus ait: *Haec verba bene habent, sed ex Porphyrione videntur sublecta.*

(2) Ad Carm. III. 2. Porphy-

Atqui Glareanum haeres putabis, si alicubi Porphyrio absurde interpretetur, et ad eum locum Acronis Commentarius taceat? Non haeret, qui ex tripode solet loqui. Ubi Porphyrionis vitia nequit Acroni inculcare, aliud habet refugium: impostoris culpa est, ait, non Porphyrionis (1). Ad hanc igitur normam quum singulorum Commentarios judicet Glareanus, manifeste ostendit, se Acroni iniquiorem esse.

Et Porphyrionem non tantum Acrone antiquiorem, sed et multo minus, quam quidam existiment, fuisse recentem, ex indiciis, quae in ipso Porphyrionis Commentario reperiuntur, ostendere studuit Henr. Stephanus in Diatribe, cui titulum fecit *in veri Porphyrionis Commentarios Emendationes, nec non quasdam ad eosdem accessiones, ex antiqua quadam veteri libro sumptas*, quae cum aliis ejusdem Diatribis subjecta est Horatio quem a. 1588 edidit, p. 151—168. Ex Stephani disputatione, quamvis et hic, mea quidem opinione, Acroni iniquior fuit, operae pretium duco haec, quae ad nostram quaestionem pertinent, excerpere. » Ex do-

phyrio notat: *Non Romanorum scilicet dextra, sed Deorum, qui cogunt aurum in usus Romanos.* Glareanus ait: *Haec verba plane non intelligo: fieri autem potest, ut ex Acronis assumentis in Porphyrionis commentarium venerint.*

(1) Ad Ep. II. 2. (ad cujus epistolae postremam partem Acronis commentarius desideratur) Porphyrio notat: *Magos dicimus quasi magnos, a magnis rebus quas se perficere posse jactant.* Glareanus ait: *Hoc ab impostore aliquo adjectum Porphyrioni.*

» doctis aliquot viris, a quibus docti olim in Horatium commentarii scripti fuerunt, superest tantum Porphyrio (1): sed tamen hujus partim commentarios, partim commentariorum reliquias, in quanto merentur pretio plerisque non esse, quibusdam vero etiam sordere video: dum alii, quaecunque in iis legunt, tamquam non a Porphyrione, sed a nescio quo Pseudo-Porphyrione, vel quodam Porphyrione impostore (ut alii vocant) scripta, legenda esse existimant: alii vero, non integros sed aliquam tantum (quosdam in locos) habere se eorum partem: alii vero ne hanc quidem partem, integram, id est, incorruptam, esse queruntur. At ego, quum quanto magis Porphyrionis sive commentarios sive scholia evolvo, tanto pluris illum faciam, (ita quidem certe ut interim quae sunt supposititia ab iis quae illius sunt distinguam) et habeam ex quodam veteri libro emendationes in plerosque locos, quae, dum illos suae integritati restituent, simul etiam facient ut ejus doctrinam magis perspectam habeamus; non minus de Horatii studiosis quam de Porphyrione posse bene mereri putavi, si emendationes illas simulque nonnullas ad aliquot locos accessiones ipsis proponerem.

» Sed antequam ad eas veniam, aliquot locos » af-

(1) Hoc quomodo intelligi voluerit, satis, ni fallor, apparet ex iis, quae alibi Stephanus prodit, aiens: Acronem omnia propemodum ex Porphyrione mutuatum videri. Cf. Diatr. II. p. 61.

» afferam, ex quibus conjicere possumus, hunc Pom-
» ponium Porphyrionem (ut in illo veteri libro ap-
» pellatur) multo quam quidam existimant anti-
» quiorem, aut (si antiquitatis appellatio iis reser-
» vanda seculis est quae seculum ejus longa anno-
» rum serie praecesserunt) saltem multo minus re-
» centem fuisse. Sumam autem initium a quibusdam
» ritibus, quos et suo fuisse seculo scribit. In
» ista enim Horatiana [Carm. III. 8. 1.] *Martiis*
» *coelebs quid agam Calendis*, annotat cum alia,
» tum haec: *Calendae autem Martiae hodieque*
» *matronarum dies festus est.* ubi tamen in ty-
» pograph. editionibus *hodie quoque* legitur. Hunc
» item in versum [Carm. I. 36. 12.] *Neu morem*
» *in Salium sit requies pedum*, scribit: *Salii*
» *autem, sacerdotes Martis, hodieque tripudiare*
» *in sacrificiis Martis dicuntur.* Hic enim *hodie-*
» *que* non ad verbum *dicuntur*, sed ad infinitivum
» *tripudiare* fertur: atque ideo *dicuntur tripudia-*
» *re hodieque*, non autem affirmans, *tripudiant*
» *hodieque* dicit, quod fortasse ad illa sacrificia
» seu sacra solis sacerdotibus aditus pateret. Sed
» hoc saltem ex loco illo discimus, habuisse tunc
» quoque Martem sacerdotes qui Salii vocarentur.
» Sic etiam ubi ab Horatio [Carm. III. 11. 6.]
» *testudo* dicitur *amica templis*, scribit: *Fidicines*
» *hodieque Romae sacrificiis adhiberi videmus.*
» In istum quoque locum [Epod. 8. 11.] *funus*
» *atque imagines Ducant triumphales tuum*, an-
» notat: *In funere autem nobilissimi quique so-*
» *lebant praeferre* (nisi potius scripsit, *nobilissi-*
» *mis quibusque solebant praeferri*) *imagines*
ma-

» *majorum: quod observari videmus in funeri-*
» *bus principum.* Jam vero et cujusdam ritus, qui
» Athenis suo tempore servaretur, mentionem facit.
» Nam in istum Sat. tertiae libri prioris locum [vs.
» 11.] — *persaepe velut qui Junonis sacra fer-*
» *ret*, apud eum haec legimus, Κανηφόροι *hodieque*
» *Athenas appellantur quae sacra capite portan-*
» *tes lento gradu incedunt.*

» Ut autem a ritibus qui usque ad ejus seculum
» permanserant, ad alia veniam, istud loquendi
genus, — *ab ovo Usque ad mala citaret* (quod
» legitur Sat. tertia [vs. 6.] libri prioris) post-
» quam dixit significare, *Ab initio coenae usque*
» *ad finem*: addit, *Ovum enim hodieque initium*
» *coenae est: quippe quum in gustu statim a bal-*
» *neis offeratur.* Ubi *gustum* non dubito quin acci-
» pere, ita ut apud Martialem [XI. 32. 4.], debea-
» mus, de primo missu, seu ferculo. In Sat. quo-
» que quintam [vs. 7.] libri primi, in eum videlicet
» locum ubi Horatius scribit, se in Foro Appii
» bellum ventri indixisse, propter aquam, quod ea
» esset deterrima, scribit, *Hodieque in foro Appii*
» *viatores propter aquam, quae ibi teterrima*
» *est, manere vitant.* Sed hoc fortasse non perin-
» de annotatu dignum videbitur: quod fieri potue-
» rit ut loco illi ea incommoditas ad recentia usque
» tempora remanserit. Ad Latinitatem quidem cer-
» te quod attinet, ea praesertim ejus rei quam dixi
» exempla suppeditare potest quam plurima: multis
» enim ex locis illam ejus seculo aliquantum adhuc
» floruisse discimus: veluti ex eo quod scribit [ad
» Sat. I. 9. 35.], suo quoque seculo dictum fuisse *in*

» *Telluris*, priscam videlicet ellipsin servanda. Ex
» eo item quod [ad Carm. III. 14. 22.] ait *colorem*
» *myrrheum* tunc quoque dictum fuisse. Sic etiam
» ex hoc loco [ad Epod. 2. 32.] *Amites hodieque*
» *appellantur furculae quibus retia in venatione*
» *vel in aucupio suspenduntur*. Jam vero et quo-
» rundam vocabulorum alioqui rariorum, quae
» apud Horatium occurrunt, apud ipsum quoque
» usum habemus: ut nominis *mediastinus* in Sat.
» libri prioris quintam [vs. 35.]."

Ex hujusmodi autem indiciis, si mea sententia quaeratur, audacissimum imo periculosissimum esse contendo, si quis auctoris aetatem certo definire velit. Porphyrio enim, ut plerique alii Scholiastae, multas annotationes ex antiquiorum interpretum operibus ad verbum adeo in suos Commentarios transtulit; ex quibus si de Porphyrionis aetate statuere sustineamus, ipsum sine dubio antiquiori, quam deceat, aetati, addicturi simus necesse est. Consentientem hac in re habeo Peerlkampium, cujus haec sunt in Epist. ad Descurium p. XIX. » *Aetas auctorum ex Scholiis confici non potest, quia posteriores e prioribus ea excerpebant, quae ipsis placerent, non addito nomine cujus essent, sine judicio et ratione.*" Apparet igitur, caute omnino iis utendum esse, quae Stephanus tamquam indicia aetatis, qua Porphyrio vixerit, collegit. Et potuerat ille multo plura memorare hujusmodi scholia, in quibus auctor, (ut nimirum Stephano videtur) de aevi sui historia, ritibus, moribus, locutionibus et proverbiis meminit. Equidem, quamquam non ignorem nihil certi inde confici posse,

ope-

Operae pretium duxi totum Porphyrionis Commentarium percurrere et singula inde scholia excerpere, in quibus vel levissima sive Porphyrionis sive antiquiorum interpretum aetatis mentio fiat. Huc inprimis haec referenda sunt scholia:

ad Carm. I. 22. 10. CANTO LALAGEN. *Compono scilicet librum* Lalagen. *Ita liber Sex. Decii* Collyra *inscribitur eo quod de Collyra amicus* (l. amica) *scriptus sit. Etiam nos sic plerumque loquimur.*

ad Carm. I. 23. 6. SEU VIRIDES RUBUM DIMOVERE LACERTAE. Rubus *species sunt mori agrestis. Sic denique a rusticis hodie in Italia appellantur.*

ad Carm. II. 1. 19. FUGACES TERRET EQUOS. Fugaces *pro velocibus accipe: et in sermone hodieque* fugam *pro velocitate dicimus, cum de equis loquimur.*

ad Carm. II. 9. 17. DESINE MOLLIUM TANDEM QUERELARUM. Desine querelarum *Graeca elocutione figuratum est; alioquin nos* queri *dicimus.*

ad Carm. II. 11. 16. ASSYRIAQUE NARDO. *Ea quae nunc* Syria *dicitur, olim, addita syllaba,* Assyria *nominabatur.*

ad Carm. III. 10. 7. ET POSITAS UT GLACIET NIVES. *Ostendit, quod revera in Italia frequenter evenit, post nivem positam in Aquilone vento serenatum esse, et frigore ejus gelu super nivem concrescere.*

ad Carm. III. 23. 15. CORONANTEM MARINO RORE: Marinum rorem *hodieque in Italia virgultum quoddam appellant.*

ad Carm. IV. 12. 18. QUI NUNC SULPICII. Sulpicii *Galbae horrea dicit; hodieque autem Galbae horrea vino et oleo similibusque aliis referta sunt.*

ad Epod. 12. 21. MURICIBUS TYRIIS ITERATAE VELLERA LANAE. *Purpuram Tyriam, quae iterum, id est, bis tingitur conchilio, unde hodie Dibaphas appellant.*

ad Epod. 14. 8. AD UMBILICUM ADDUCERE. *Pro finire et consummare, quia in fine libri umbilici ex ligno aut osse solent poni.*

ad Sat. I. 3. 32. AT EST BONUS AT TIBI AMICUS. *His ergo colligit, amicorum vitia, si levia sint, ferenda esse; secundum illud quod praecipitur per proverbium: Amici mores noveris, non oderis* (1).

ad Sat. I. 4. 14. ECCE CRISPINUS MINIMO ME PROVOCAT. *Sensus ex proverbiali consuedine ductus. Solemus enim dicere* minimo me digito provocat, *cum volumus quem intelligi tantum valere minimo digito, quantum alius totis viribus.*

ad

(1) Est, ni fallor, proverbium monachicum; haud scio an non multo melioris notae quam notissimum illud *Amore, More, Ore, Re, Junguntur amicitiae.* Vel quod huic non dissimile est *Dum fervet olla, Vivit amicitia.*

ad Sat. I. 4. 100. HIC NIGRAE SUCCUS LOLIGINIS. *Ex loliginis succo livorem mentis vult intelligi, ex aerugine venenum. Malos autem homines* atros *ac* venenatos *dicere solemus.*

ad Sat. I. 4. 123. UNUM EX JUDICIBUS SELECTIS OBJICIEBAT. Judices *equites Romanos dixit: ex equestri enim ordine judices leguntur hodieque.*

ad Sat. I. 5. 24. FERONIA. *Tarracinam se quarta hora tandem pervectum esse dicit: hodieque autem paulum citra Tarracinam fons Feroniae est.*

ad Sat. I. 5. 25. MILLIA TUM PRANSI. *Quia illis temporibus adhuc Tarracinensis urbs in altissimo monte erat: inde postea in aequiorem locum deposita est, ut non solum sint adhuc vestigia aedificiorum in monte, sed et murorum.*

ad Sat. I. 5. 32. AD UNGUEM FACTUS HOMO. *Translatio a marmorariis, qui juncturas marmorum tum demum perfectas dicunt, si unguis superductus non offendatur. Unde jam quaecunque perfectissima esse volumus significare*, ad unguem facta *dicemus.*

ad Sat. I. 5. 46. ET PAROCHI QUAE DEBENT LIGNA SALEMQUE. *Ex verbo* praebuit, *quod est in principio versus*, praebuerunt *hic assumendum est.* Parochi *autem copiarii dicuntur ἀπὸ τοῦ παρέχειν, id est, ab exhibere: hodieque autem a copiariis prae-*

praestantur haec iis, qui reip. causa iter faciunt.

ad Sat. I. 6. 104. Ducenda petorrita. Petorritum *genus vehiculi, quod* v u l g o *carrum* d i c i t u r.

ad Sat. I. 6. 118. Campana supellex. *Scilicet, quia Capuae* h o d i e *aerea vasa studiosius fabricari dicuntur.*

ad Sat. I. 10. 75. Vilibus in ludis dictari carmina malis. *Ludis literariis dicit, in quibus carmina vulgata pueris adhuc rudibus dictari* s o l e n t.

ad Sat. II. 4. 81. In mappis. Mappas *antiqui dicebant, quae* n u n c *mantilia. Lucil.* [p. 14. ed. Fr. Dousae] *ait:* „*Et vellit mappas.*"

ad Sat. II. 7. 17. Mitteret in pyrgum. Pyrgum *quod* n o s *Fritillum* d i c i m u s, *in quo conjectae tesserae agitataeque mittuntur.*

ad Epist. I. 4. 2. In regione pedana. Pedum *oppidum haud longe ab Urbe fuit; nunc non est: verum* a d h u c *regio ipsa Pedana dicitur.*

ad Epist. I. 5. 5. Sinuessanumque petrinum. Petrinus *unicus* (l. vicus) o l i m *in agro Phalerno, quo intelligitur, ad Phalernum, Torquatum invitare.*

ad Epist. I. 15. 5. Sane myrteta relinqui. *Sane, inquit, aquas frigidas petunt propter quam rem gemit et irascitur vicus* de-

deseri Musa suadente. Myrteta vulgo Myrtarias dicunt.

ad Epist. I, 17. 30. Mileti textam. *Sane nunc vestes Milesiae pretiosae sunt.*

ad A. P. 32. Aemilium circa ludum. *Aemilii Lepidi ludus gladiatorius fuit, quod nunc Polycleti balneum est.*

ad A. P. 319. Morataque recte. *Fabula bene instructa. Unde in consuetudine dicere solemus*, bene moratum, *eum qui rectos mores ediderit.*

ad A. P. 399. Leges incidere ligno. *Aereis enim tabulis antiqui non sunt usi, sed roboreis: in has incidebant leges, unde adhuc Athenis legum tabulae Axones vocantur.*

ad A. P. 430. Ut qui conducti plorant. *Alexandriae obolis conducuntur, qui mortuos fleant: et hoc tam valde faciunt, ut ab ignorantibus* (1) *illorum fuisse credantur qui efferuntur. Hi ergo vocantur* Θρηνῳδοί.

ad A. P. 437. Animi sub vulpe latentes. *Sanna-*

(1) Puta *familiares*, vel simile quid. Ceterum Porphyrionem (narrantem Alexandriae obolis conduci solitos qui mortuos *flerent*) errasse putat Hier. Baruffaldus in Dissert. de Praeficis c. 3. (in Sallengrii Thesauro Antiq. T. III. p. 761. B.) « Non enim flebant, inquit Baruffaldus, neque lacrimas emittebant, sed praecinere tantum solebant.»

natores et εἴρωνας appellamus, qui benigne irrident.

Ad eandem fere rationem suae aetatis περιστάσεις passim in suis Commentariis memorat Acro. Quamquam et inde nihil certi conjicere possimus, lubet tamen quaevis indicia memorare. Acronis igitur haec sunt:

ad Carm. I. 36. 14. AMYSTIDE. Amystis, *ut quidam putant, potionis genus apud Thracas: ideo amystis dicta, quia certa mensura clausis oculis potabatur uno ductu. Alii* Amystin *gemmam intelligi volunt, quae praesenti usu Amethystus dicitur.*

ad Carm. II. 11. 16. ASSYRIA NARDO. *Quae nunc* Syria, *olim Assyria vocabatur.*

ad Carm. III. 23. 3. HORNA FRUGE. *Vino novello. Nunc usque Tusci* horna, *novella vina dicunt.*

ad Carm. IV. 12. 18. QUI NUNC SULPICIIS ACCUBAT HORREIS. Sulpicia horrea *dicebantur, ubi nunc Galbae: illic hordeum condi consueverat.*

ad Sat. I. 2. 62. OBLIMARE. *Deterere, consumere, tractum a* lima, *qua fabri utuntur, aut certe a* limo, *ut sit obducere, ut dicimus quaedam limo obducta periisse.*

ad Sat. I. 3. 11. JUNONIS SACRA FERRET. *Κανηφόροι apud Athenas hodieque dicuntur, qui sacra in capite portant, et lento gradu incedunt.*

ad

ad Sat. I. 5. 3. LONGE DOCTISSIMUS. *Notandum quod hanc particulam superlativo junxit, nos enim dicimus* longe doctior.

ad Sat. I. 5. 87. DICERE NON EST. *Ut dicimus:* solvendo non est.

ad Sat. I. 5. 97. BARI MOENIA. *Baris civitas Apuliae, quae appellatur Barium, et Adbaris dicitur hodieque, ut dixit grammaticus Theotistus* (1).

ad Sat. I. 6. 5. NASO SUSPENDIS ADUNCO IGNOTOS. *Id est, nec ignoti tibi fastidia afferunt: quod vulgo* sannam *dicunt.*

ad Sat. I. 6. 22. QUONIAM IN PROPRIA NON PELLE QUIESCAM. *Id est, proprio ordine et statu. Sumtum est ex proverbio: Nam* non quiescere in pellibus suis *dicimus eos, qui, humiliore loco nati, majora desiderant.*

ad Sat. I. 6. 117. ADSTAT ECHINUS. Echinum *dixit vas aeneum, in quo calices lavantur, quod modo Trisillae appellamus* (2).

ad

(1) Videtur is esse, quem Priscianus magistrum habuit; qui bis honorificam ipsius mentionem facit: p. 701. *Theoctistus, omnis eloquentiae decus, cui, quidquid in me sit doctrinae, post Deum imputo.* et p. 1134. *teste sapientissimo domino et doctore meo Theoctisto.*

(2) Cangius in v. *Triseles*, referendum censet ad Delphicum, scribendumque *trisiles* vel *trisilas*; Graecis τρισκελὴς τράπεζα, quod habet Commentator Cruquii.

ad Sat. II. 3. 227. TUSCI TURBA IMPIA VICI. Tusci vici *ideo, quia ubi nunc vicus Thurarius dicitur, Tusci vicum acceptum habitarunt: inde nomen est vico.*

ad Sat. II. 8. 71. PATINAM SI FRANGAT AGASO. Agaso *proprie dicitur servus qui jumenta curat. Hic autem satirice escarum ministrum agasonem vocavit, quem vulgo dicunt inferiorem* (1).

ad Epist. II. 1. 228. ACCERSAS. *Inter arcesso et accerso hoc interest:* Accerso, *id est, voco, et venit a verbo Accio, accis, quod est quartae conjugationis.* Arcesso *autem idem significat, quod et primitivum ejus, a quo derivatur, id est, arceo. Sed secundum Priscianum* [p. 559.] arcesso *venit ab* arceo, *quod nunc* (2) *dicimus* adcio, *et compositum ex* ad *praepositione, et* cio *verbo, quod*

(1) Leg. *infertorem*, id est servum qui dapes mensis imponit; qua voce utitur Schol. Juvenalis ad S. V. 83. IX. 110 XI. 142. Ita *inferre* pro, mensae imponere, utitur Apicius L. II. 1. 2.

(2) Hoc non ad Acronis, sed ad Prisciani aetatem referendum est, cujus haec ipsa verba sunt L. I. p. 559. « *Antiquissimi vero pro ad frequentissime* ar *ponebant, ut* arvenas, arventores, arvocatos, arfines, arvolare, arfari *dicentes pro advenas, adventores, advocatos, adfines, advolare, adfari; unde ostenditur recte* arcesso *dici ab* arcio *verbo, quod nunc* accio *dicimus, quia est ex* ad *et* cio *compositum.*" De Prisciani testimonio, ab Acrone in partes vocato, supra diximus p. 6.

quod est uoco, quia antiqui dicebant, at (l. ar) pro ad.

ad A. P. 97. PROJICIT AMPULLAS. *Id est irata uerba et superba. Adhuc enim ampullas uocamus, quasi inflata vasa.*

ad A. P. 430. UT QUI CONDUCTI PLORANT IN FUNERE. *Hoc est qui conducuntur ad funera, sicut saepe graviora faciunt vera dolentibus; ita et assentatores plus laudant quam uerus amicus. Item antiqui praeficas dicebant mulieres, quae mortuos alienos conductae plorabant, quod fit in quibusdam provinciis.*

Haec Acro; e quibus tamen haud scio, an quisquam, nisi audacioris temeritatis notam in se trahere velit, ullam de hujus Scholiastae aetate conjecturam facere audeat. Nec fere dubito, quin cuivis facile persuadeam, ut credat, temerarium esse, indiciis, quae singuli Scholiastae aetatis suae passim memorent, plenissimam fidem habere, si dixero duas, easque gravissimas, huic rei impedimento esse causas.

Primum scimus, utrumque Scholiastam usum esse antiquiorum interpretum lucubrationibus, indeque aliquoties integras annotationes, ad verbum adeo, descripsisse; cujus rei vestigia partim reperire mihi videor in iis scholiis, in quibus singuli vel eadem verba ad explicandum usurpant vel eosdem auctorum locos excitant: partim ipsi fatentur, aliorum interpretationes memorantes, additis verbis *quidam volunt, alii dicunt, alii sic exponunt* et similibus.

Hoc

Hoc igitur nisi cogitemus, imprudentes annumerabimus ipsos antiquiori, quam deceat, aetati.

Alterum hoc est, quod utriusque Commentarios a librariis et sequioris aevi magistris misere passim interpolatos esse constet. Quam in rem merito dudum conquesti sunt Petrus Nannius Syll. Miscell. L. I. c. 5. (in Gruteri Lamp. T. I. p. 1229.) » *Utinam tandem sit aliquis Hercules, qui Augiae stabulum expurget, eaque ejiciat e Commentariis magnorum virorum, quae illis falso adscribuntur. Doctissimus et elegantissimus est interpres Acron, ceterum ita obrutus est insulsissimis naeniis, ut ne speciem quidem sui retineat.*" et Casp. Barthius ad Stat. Theb. I. 325. » *Sed nos veris injuriam saepe facimus Eutatios, Acronas, Servios, Cornutos, cet. in Scholiastis nunc superstitibus nominantes, cum illorum Heroum (nam et Grammatici suos habent) exiguae supersint reliquiae effultae undique, et effarctae tenebrionum claustralium paedoribus*" (1). Itaque si quis parum considerate plenam istis

(1) Ab eodem Acro vocatur « *Scholiastes Horatii consutilius.*" vid. ad Statium T. II. p. 228. Cf. Advers. p. 995. ubi « *Correptores Acronis* " et p. 1222. « *Commentarius priscus et olim Acronis nomine editus.*", et p. 1829. « *Acro seu Porphyrio, sive potius collectitius acervus glossarum in Horatium.*" Similiter passim Cruquius in notis ad Horatium, cujus, inter alia, haec sunt ad Epod. 9. p. 274. « *Donati, Servii, Porphyrionis, Acronis, ceterorumque primi nominis grammaticorum Commentarios mala sane barbaries ita conspurcavit, ut nisi ipsi auctores aliquando reviviscant, non*

latis scholiis fidem habeat, periculum est, ne interdum nubem pro Junone amplectatur, temereque hos Scholiastas post Priscianum floruisse contendat: quo tamen uterque sine dubio fuit antiquior.

Quod quum ita sit, de singulorum aetate pronuntiare non audeo; quin et malo suam singulis laudem relinquere, quam alterum alterius operam compilasse opinari: quum, mea quidem sententia, nulla causa sit, quominus singuli antiquiorum inter-

non crediderim unquam illam spurcitiem elui posse." Et in Epistola ad Lectorem p. 10. haec scribit: *In editis olim per Henricum Petri operibus Horatii, inter innumeros fere explanatores legere quidem est virorum doctissimorum Acronis et Porphyrionis numeros et nomina, sed in plerisque eis adscriptis miror atque detestor non oscitantiam typographi; sed ineptos cucullos, qui tantos viros non reveriti, suae stupiditatis labe non puduit aspergere. Facile conjicio eos in ejuscemodi librarios incidisse, quales per aliquot annos valide nos exercuerunt; at hoc vehementer abominor, tam praecellentibus scriptoribus eos tantam barbariem nuncupasse. Quod certe ne facerem, et judicarem ex doctis enarrationibus nihil quam cucullata superesse commenta (praeter admodum pauca a nobis magno labore ab aliis separata) ea non enarratoris, sed Commentatoris esse volui. Deinde cum quatuor legerim Horatii interpretes, Porphyrionem, Acronem, Modestum et Scaurum; nec ullis Blandiniis, Tonsanis, aut aliis scriptis appositum nomen alicujus: quid, cui, quaeso, adscriberem? Fecerint hoc alii typographi ut suos typos plausibiliores redderent; nostrum sane non fuit tam stulte te lectorem ludere, tibique pro thesauris carbones ostentare.* Cf. ad Sat. II. 3. p. 443. *a.*

terpretum lucubrationes usurpasse et sic quasi ex eodem fonte profluxisse existimari possint.

Pergo monstrare, id quod modo dixi, utrumque Scholiastam antiquiorum interpretum lucubrationibus usum esse. Hujus autem rei quamvis neuter disertam mentionem faciat, tamen non dubito, quin in singulorum Commentariis vestigia reperiri possint, et fere suspicor, pleraque ista scholia, in quibus eaedem a singulis phrases usurpentur, iidemve auctorum loci memorentur, desumta esse ex Commentariis antiquiorum interpretum, quales olim a C. Aemilio, Modesto et Q. Terentio Scauro, scripti esse narrantur; quam suspicionem plenius comprobabo in nova, quam aliquando paraturus sum, Horatianorum Scholiastarum editione. Et vero satis manifeste apparet ex iis scholiis, in quibus Acro et Porphyrio aliorum interpretationes, quamquam non addito nomine, memorant. Ex utriusque Commentario quaedam afferemus exempla. Acronis igitur haec sunt:

ad Carm. I. 14. 1. O NAVIS. *Per allegoriam Ode ista bellum significat civile; in qua quidam volunt quod moneat remp. Certius tamen est, quod Sex. Pompejum Pompei fil. moneat.*

ad Carm. I. 28. 3. PROPE LITTUS MATINUM. Matinus, *mons Apuliae, juxta quem Archytas sepultus est, sive ut quidam volunt, plana Calabriae.*

ad Carm. II. 13. 21. QUAM PENE FURVAE REGNA PRO-

PROSERPINAE. *Ac si diceret, parvo interstitio retenti sumus.* Furva *mystico nomine dicebatur Minerva; aut* furvae *flavae, matronymicon, ut* [Virg. Ge. I. 96.], *"Flava Ceres." Alii volunt* furvae *nigrae* (l. pro *nigrae*) *positum, unde et furta putant dicta, quia committuntur in obscuro.*

ad Carm. III. 1. 18. DESCENDAT. *Nonnulli autem distinguunt, ut hic melior fama et moribus contendat cum supra dicto scilicet qui generosior petitor descendit in campum. Potest autem et sic dici: Hic contendat, id est, vivat melior fama et moribus, ut ostendat varios actus hominum una necessitate perire.*

ad Carm. III. 3. 67. TER UXOR CAPTA. *Quidam Andromachen intelligi volunt propter Hectorem et Astyanactem.*

ad Carm. III. 6. 17. PRIMUM NUPTIAS INQUINAVERE. *Quidam etiam volunt ipsum Augustum tangi his versibus, qui alienam conjugem tulerit; et genus bonum patris sanguinis alieni coitus admixtione polluerit.*

ad Carm. III. 7. 3. THYNNA. *Bithyna. Quidam enim volunt Thynam civitatem vicinam Bithyniae dictam, Ponto confinem. Quidam Thynnum piscem magis intelligendum suadent.*

ad Carm. III. 19. 1. QUANTUM DISTET AB INACHO CODRUS. *Telephum, Graecum poëtam,* se-

sodalem suum alloquitur, jocose eum corripiens, quod historias non pertinentes ad propositum potius loquatur, quam quae sint aptae convivio. Alii volunt reprehendi Telephum, quod, quantum temporis interesset ab Inacho usque ad Codrum, quaereret.

ad Epod. 3. 21. MANUM PUELLA SUAVIO OPPONAT TUO. *Id est, refutet puella suavium tuum pro allii foetore et in sponda lecti fugiat olentem virum. Quidam volunt Terentiam concubinam Mecaenatis eum significare voluisse.*

ad Sat. I. 2. 9. CONDUCTIS NUMMIS. *Faenore sumtis. Conducuntur enim quasi nummi, pro quibus merces solvitur; quamvis alii* conductis, *congregatis, intelligant.*

ad Sat. I. 3. 29. ACUTIS NARIBUS. *Ab acutis hominibus rideri possunt hi, qui iracundiores sunt et inepti.* Acutis naribus *ergo μεταφορικῶς dicit a canibus, qui odore inveniunt cubilia bestiarum. Alii sic exponunt: Habet aliqua vitia, ita ut paulo iracundior sit, ne possit deridentium urbanitatem, quae tunc maxime exercetur, sustinere: praestat etiam de se ridendi materiam, quod rusticius tonsus sit, et toga ipsius defluat, laxosque calceos habeat.*

ad Sat. I. 3. 31. RUSTICIUS TONSO TOGA DEFLUIT. *Quidam dicunt, de Caesare hoc dictum esse, quod* fluebat *ejus semper lo-*

toga, id est, non erat semper bene composita, et imperito tonsore utebatur.

ad Sat. I. 5. 53. Musa velim memores. *Quidam reprehendunt Horatium, quod de rixā dicturus, petivit auxilium Musae stulte; sed oratorie hoc fecit.*

ad Sat. I. 9. 76. Et licet attestari. *Denunciantes litem antestatos habebant, quibus praesentibus conveniebant, ita ut aurem illis tertio vellerent. Sic Servius magister urbis exponit* (1). *Alii sic exponunt: Quod Horatium interrogaverit si testis esse pateretur, et Horatius obtulerit aurem ultro. Solebant enim testium aures tenere, et ita dicere: Memento quod tu mihi in illa causa testis eris, quod est* antestari.

ad A. P. I. Humano capiti. *Scribit autem ad Pisones, viros nobiles et disertos, ad patrem et filium: vel, ut alii dicunt, ad fratres.*

ad A. P. 21. Amphora coepit. *Hic quidam dicunt praeceptum aliud esse, alii eum de oeconomia adhuc loqui.*

ad A. P. 32. Aemilium circa ludum. *Circa hunc ludum Imus erat quidam statuarius.* (A-

(1) Hunc locum supra memoravimus, ubi de Servio egimus, Part. II. p. 72. Eundem Servium citat Acro ad Carm. III. 1. 2. quod scholion dedimus ibid. p. 62.

(*Alii dicunt* imum *brevem. Alii in extrema parte ludi positum*,) *qui cum ungues, et capillos, et multa alia membra bene formaret, in perfectione statuae deficiebat.*

ad A. P. 84. ET EQUUM CERTAMINE PRIMUM. *Id est, Castorem. Licet alii dicant Pindarum et Amphimum, qui ante omnes ad palmam venerunt.*

ad A. P. 120. SI FORTE REPONIS ACHILLEM. *Si scriptis tuis recondis et quasi iterum reducis ac reddis vivum carmine tuo. Vel etiam* reponis, *scribis, aut transfers, quod alii dixerunt de ipso. Apud Commentatorem sic inveni relatum. Apud antiquos, tragoediarum comoediarumque scriptores cum primum in scenam prodirent, favorabiliter excipiebantur, etiamsi male agerent, ut illorum ad scribendum iterum allicerentur animi, et praetore cogente totam necesse erat peragi fabulam. Si vero iterum male egissent, incipiebant derideri: et ideo dixit* reponis, *quasi iterum profers. Alii sic exponunt:* Poni *dicitur agi vel scribi*, reponis *igitur itidem scribis. Si ergo Achillem quo* (l. de quo) *semel Homerus scripsit, velis scribere, talem debes facere, qualem Homerus ostendit. Aut* reponis, *ad imitationem Homeri describis.*

Eadem ratione Porphyrionem passim aliorum inter-

terpretationes memorare, ideoque et ipsum antiquiorum lucubrationibus usum esse, haec probant ipsius scholia:

ad Carm. I. 7. 15. ALBUS UT OBSCURO. *Hanc oden quidam putant aliam esse, sed eadem est. Nam et hic Plancum alloquitur, in cujus honorem et superiore parte Tibur laudavit.*

ad Carm. I. 7. 32. CRAS INGENS ITERABIMUS AEQUOR. *Quidam stulte ab* itinere *verbum fictum putant; sed nequaquam sic accipiendum, cum simplicior elocutio magis rationem habeat.*

ad Carm. I. 20. 1. MODICIS. *Videtur* modicum *pro* parvo *positum, quod quidam negant, existimantes* modicum *a* modo *dictum et significationem habere ejus quod Graece μέτριον dicitur.*

ad Carm. IV. 15. 1. PHOEBUS VOLENTEM. *Quidam separant hanc oden a superiore: sed potest illi jungi, quoniam hic laudes dicuntur Augusti.*

ad Epod. 9. 11. ROMANUS, HEU HEU POSTERI NEGABITIS. *Qui non intelligunt, putant importunum transitum repente a Sex. Pompejo ad Antonium factum, nescientes redire poëtam ad initium eclogae, ubi* [vs. 2.] *ait:* „*Victore laetus Caesare.*"

ad Sat. I. 1. 105. EST INTER TANAIM QUIDDAM SOCERUMQUE VISELLI. *Tanais spado fuit, ut quidam aiunt, Maecenatis libertus,*

tus, ut nonnulli L. Munatii, ut nonnulli Plancii (1): *Viselli autem socer Herniosi* (l. herniosus). *Sumsisse hoc ex proverbio Graeco, sub nominibus relatum est. Illi enim ita dicunt* (2) . . . . . . *Quod tamen et in Latino sermone usurpari scimus.*

ad Sat. I. 2. 25. MALTHINUS TUNICIS DEMISSIS AMBULAT. *Sub Malthini nomine quidam Maecenatem suspicantur significare; ab re tamen finxit; μαλθακὸς enim quasi μαλακὸς dicitur: porro autem tunicis demissis ambulare eorum est qui se molles ac delicatos haberi velint.*

ad Epist. II. 1. 55. ACCIUS ALTI. *Ut Sophoclis, Aeschyli, Euripidis, qui alti sint. Alii sic accipiunt: tamquam senis doctrina et gloria adscribatur Pacuvio, Accio vero altitudo ingenii sublimitasque verborum. An ambo famam consequuntur, alter docti, alter alti tragoediographi?*

ad Epist. II. 1. 230. AEDITUOS. *Narratores atque judices* (3). *Aeditui enim templorum* ac

(1) Ruhnken. ad Vell. Paterc. I. 63 de Planco agens, obiter monet Planci nomen hic cum Plancii confundi, et hoc scholion sic emendat: *Tanais spado fuit, ut quidam aiunt, Maecenatis libertus, ut nonnulli L. Munatii Planci.*

(2) Baxterus: « *Vide an tali modo concipi potuerit hoc Proverbium:* Δήμεγκέ τι Ταναΐς καὶ Βισέλλου ἑκυρός.»

(3) Lego *indices*; quos Cice-

ac numinum, quibus inserviunt, sacrorum originem advenis et ignorantibus narrant. Alii aedituos pro clientibus ac familiaribus dici putant, ac per hoc laudatores poëtasque significat.

Ex his itaque locis satis manifesto apparet, fuisse olim, qui ante Acronem et Porphyrionem in Horatium commentati sint; quorum adeo Commentarios verosimile est, etiam in aliis scholiis ab ipsis usurpatos esse, in quibus illud *alii* vel *nonnulli* non diserte additum sit.

De patria et religione horum Scholiastarum parum aut nihil constat. Sunt tamen, qui in ipsorum Commentariis satis certo stantem Deorum cultum subodorari sibi videantur; quemadmodum Baxterum et Stephanum opinatum esse, supra vidimus p. 11. et 16. Janus idem suspicatus est ex hoc Acronis scholio

ad Sat. I. 9. 70. CURTIS JUDAEIS. Curtis, *quia pellicula imminuti sunt. Quia Moses rex Judaeorum, cujus legibus reguntur, negligentia medicinalis effectus* (1), *et*

cero de Leg. II. 27. vocat *interpretes religionum*. Graece vocantur ἐξηγηταί. Pollux VIII. 124. Ἐξηγηταὶ δ' ἐκαλοῦντο, οἱ τὰ περὶ τῶν διοσημείων, καὶ τὰ τῶν ἄλλων ἱερῶν διδάσκοντες. Vide Ruhnken. ad Timaei Lex. p. 109. sqq.

(1) Glareanus ad haec verba ait: « *Nota latinitatem sive Acronis sive impostoris alicujus* negligentia medicinalis effectus, *pro: indigens medicina.*" Baxterus sic emendat Acronis verba: *negligentia* φιμωθεὶς *medicinali-*

et ne solus esset notabilis, omnes circumcidi voluit.

Neque hoc immerito, ut videtur; nam quod in hoc scholio dictum est, plane convenit cum ratione qua Ethnici de Historia Hebraica loquebantur (2). Possis dicere, hanc annotationem, ut multas alias, ab Acrone ex antiquioris cujusdam interpretis labore desumtam esse. In multis aliis fateor sic potuisse fieri: attamen nego, hoc scholion ab Acrone repeti potuisse si Christianus fuisset.

Porphyrionem autem fuisse hominem paganum, Baxterus (ad Sat. I, 9. 70.) apparere putavit ex hoc ipsius scholio:

ad Sat. I. 5. 103. NEC SI QUID MIRI FACIAT NATURA. *Verissima opinione hoc dicitur, Con-*

liter confectus est. Sed magis placet emendatio Gesneri legentis *negligentia medici talis* (i. e. curtus) *effectus est.* Eaque egregie confirmatur MSto Franekerano, praeterquam quod hic separatis vocibus scribatur *me dici:* unde apparet librarium hoc scholion non intellexisse.

(2) Puta quae Tacitus Hist. V. 2. sqq. de Judaeis narret. *Moses*, ita scribit c. 4. *quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit.* et mox c. 5. *Circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur.* Et Juvenalis XIV. 102. *Tradidit arcano volumine Moses: Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti: Quaesitum ad fontem solos deducere verpos.* ad q. l. vetus Scholiasta, qui hac re se non Christianum fuisse prodit, haec annotavit: *Moses, sacerdos vel rex ejus gentis, aut ipsius quidem religionis inventor; cujus Cornelius etiam Tacitus* [Hist. V. 4.] *meminit.*

Constat omnia miracula certa ratione fieri, de quibus Epicurei prudentissime disputant.

addere potuerat hoc, in quo Porphyrio de Deorum cultu sua aetate vigente loquitur, scholion: ad Carm. I. 5. 12. MISERI QUIBUS INTENTATA. *Videmus autem quosdam hodie quoque pingere in tabulis suos casus, quos in mari passi sint, atque in fanis marinorum deorum ponere. Sunt etiam qui vestem quoque ibidem suspendunt, Diis eam consecrantes.*

Audacius tamen sit, de singulorum patria hariolari velle, quandoquidem neuter quidquam memoret, unde de ipsa suspicari possimus. Nolo tamen diffiteri, mihi, ubi de Tiberi, de Campo et de aliis Romae locis passim in ipsorum Commentariis res notissimas memorari viderem, subinde in mentem venisse, ipsos nec habitasse Romae, nec in eorum, qui Romae habitarent, usum, suos Commentarios scripsisse. Cujusmodi v. c. haec sunt Acronis scholia:

ad Sat. II. 3. 17. OMNIS RES MEA JANUM AD MEDIUM FRACTA. Janus medius *locus dictus prope basilicam Pauli, ubi vasa aenea venumdabantur. Vel locus in Rostris, in quo expertus erat paupertatem. Ad* medium *autem ideo, quia in Rostris simulacrum Jani erat, ubi res pecuniariae agebantur per foeneratores. Jani statuae tres erant; ad unum*

unam illarum solebant convenire creditores et foeneratores, alii ad reddendum, alii ad locandum foenus.

ad Sat. II. 6. 19. LIBITINAE QUAESTUS ACERBAE. *Est autem* Libitina *locus in Urbe, quo constituuntur qui efferenda corpora conducunt et praebent funeribus necessaria.*

ad Sat. II. 6. 35. ADESSES AD PUTEAL. *Locus Romae, ad quem conveniebant foeneratores.*

ad Epist. I. 7. 1. QUINQUE DIES TIBI POLLICITUS ME RURE FUTURUM. *Hac epistola excusat se Maecenati, quod ultra placitum ejus moretur ruri, propter aestatem scilicet fervidam, quam timebat pati si Romam veniret. Aestuoso enim tempore gravis est habitatio Romae.*

ad Epist. I. 11. 4. CAMPO. *Hic locus Romae celeberrimus habebatur, eratque amoenus Urbis locus.*

ad Epist. II. 1. 192. NAVES. *Quidem vectas per Tiberim, qui non longe aberat a Theatro.*

Et Porphyrionem quoque alibi, quam Romae, habitasse videmur nobis suspicari posse ex hac ipsius annotatione:

ad Sat. I. 4. 34. FOENUM HABET IN CORNU. *Imitativo charactere hoc fingit dicere eum, qui conscientia peccatorum timeat maledicum poëtam. Romae autem videmus h o d i e q u e foenum, velut ansulam factum*

ctum in cornulo bovis; quo signum datur transeuntibus, ut eum vitent.

si enim Romae habitasset Porphyrio, fuisset, opinor, dicturus *videmus hodieque*, non autem *Romae videmus hodieque*. Addo hoc scholion, quod Porphyrionem non credo scripturum fuisse si pro iis scripsisset qui Romae habitarent:

ad Epist. I. 7. 48. Carinas. Carinae, *locus in Urbe, ubi est Pompejana domus. Virgil.* [Aen. VIII. 361.] » *Lautis mugire carinis.*"

Jam vero etsi ignoretur, quae singulorum Scholiastarum aetas fuerit et patria, nec certo definiri possit, utrius doctrina majoris aestimanda sit, quum nesciatur, in quantum singuli antiquiorum interpretum lucubrationes excerpserint, nemo tamen propterea, opinor, de amborum Commentariorum pretio quidquam detractum velet. Equidem saltem non vereor contendere, utriusque Commentarios et universae Literarum cognitioni et inprimis Horatianae poëseos interpretationi egregie prodesse: quippe qui et ingentem contineant rerum copiam, quae scitu sunt dignissimae, et vero multas Horatiani aevi historias, genealogias, fabulasque conservarint et hominum notitias, aliunde non cognitas, absque quibus esset, ut multa in Satiris praesertim et in Epistolis ignorarentur (1). Quae quum ita sint, miror

A-

(1) Acronem interpretandi laude inferiorem quam Porphyrionem esse censet Fr. Vavassor in Antibarbaro p. 506. Item Janus, qui in Praef. p. XLIV. haec scribit:

Acronem et Porphyrionem tam parvi aestimatos esse a Massono, qui in Horatii Vita ord. chronol. delin. p. 86. ait *annotationes sub eorum nomine tam varie et corrupte ventilatas nullius esse ponderis;* quas adeo plerique recentiores Horatii interpretes maximi ponderis esse uno quasi ore pronuntiarunt. Exemplo sit Baxteri Commentarius, in quo, ut ipse ait, *Veterum Scholiorum Reliquiae merito suo facem praeferunt* (1). Sed inprimis Bentlejus magnam auctoritatem habuit antiquis Scholiastis, e quorum annotationibus passim meliorem lectionem acri, quo valebat, ingenio, subodoratus, Horatium feliciter emendavit (2). Nec ali-

bit: *Quidquid sit, Acronis et Porhyrionis scholia, sive excerpta sint e vetustioribus Commentariis, sive ab ipsis partim exarata (utrumque enim arbitror statuendum), in maximo habenda sunt pretio: servarunt enim nobis plurimas bonas et antiquas interpretationes, multas fabulas et historias, item opiniones antiquas, quas alibi frustra quaeramus. Principatum autem tenet Porphyrion, vir eximie doctus, Graecae etiam linguae peritissimus, qui et elegantem pulchri sensum prodit, spiritumque poëticum majorem sane, plurimis recentiorum interpretum.*

(1) *In hoc Commentario*, sunt ipsa Baxteri verba in Praef. *Veterum Scholiorum Reliquiae, quas, tanquam Tabulas e naufragio, summa cum diligentia, ex imperitis rudioris aevi compilatoribus collegimus, merito suo facem praeferunt. Absque his foret, vel eruditissimi in multis frustra desudaverint; quinimo in plurimis sane caecutire deprehenduntur.*

(2) Praeiverat in hoc emendandi genere Henr. Stephanus in Diatribe de editione Horatii p. 56. seq. et Georg. Waddelus in Animadvers. Critic. (Traj. ad Rh. 1738.) p. 45. alibi.

aliter Gesnerus sensit; qui utique in Praefat. ad Baxterianam Horatii editionem: *Horatio*, inquit, *illud commode praeter plerosque accidit, quod inventi sunt mature Grammatici, qui vel nomina Horatiana libris explicarent, vel scholia et annotationes scriberent, quibus ea loca declararent, quae obscuritatem aliquam — contraxerant: qui praestarent Horatio, quod suo Boilaevio nostra memoria praestitit, ab ipso adjutus auctore, Brossettus: cujus absque commentario esset, quotusquisque Gallorum ipsorum hodie intelligeret Boilaevium? Antiquissimi ergo eorum, quos hodie Scholiastas vulgato nomine appellamus, discere multa ex senibus, vel ex libris poterant, quorum postea memoria intercidit.* Et quid de Peerlkampio dicam? quantam ille auctoritatem Scholiastis tribuerit, qualemque de ipsorum labore fecerit usum, norunt omnes qui vel paginam praestantissimi libri legerint. Idque a Peerlkampio factum iri exspectandum erat, qui tribus lustris ante dixisset, esse e sua opinione nullum adhuc Horatii editorem, qui, pro rei gravitate ita uti par esset, Scholiastarum operam usurpasset (1).

Quod

(1) In praefat. ad Oosterdykii versionem Carminum Horatii (Harlemi 1819.) p. XIX. « *De duisterheid der verschillende plaatsen ontstaat niet door de schuld van Horatius: want, volgens het getuigenis van Suetonius* [in Vita Horatii §. 19.], *was hij vrij van dat gebrek; maar door eenige zinspelingen op zaken, welke door den grooten afstand van tijd en het verlies van zoo vele geschriften*

Quod dixi, Acronis et Porphyrionis Commentarios universae Literarum cognitioni prodesse, hoc non sine causa dictum est, quandoquidem nulla Literarum pars sit, quin inde aliquid subsidii arcessat. Quantum inde lucis veniat Antiquitatis studio, et alii ostenderunt et inprimis Dempsterus in Paralipom. ad Rosinum: porro, Mythologia quale subsidium inde accipiat, docuit Munckerus in notis ad Mythographos Latinos: tum, Jurisprudentiae Romanae studium quid inde proficiat, patet ex Gothofredi Commentario ad XII Tabularum leges: denique, si quis dubitet, an Historia Literarum inde notitias nanciscatur, alionde non cognitas, is legat, cum alios qui de ipsa scripti sunt, tum qui nuper in Germania prodiit, doctissimum Weicherti librum de *Poëtarum Latinorum, Hostii, Laevii, C. Licinii Calvi, C. Helvii Cinnae, C. Valgii Rufi, Domitii Marsi, aliorumque vitis et carminum reliquiis.* Similiter suum quoque inde lucrantur reliquae Literarum partes, Historia, Grammatica, et inprimis Etymologia. Et quam-

ten der Ouden voor ons onbekend zijn. Daarom heb ik altijd groot belang gesteld in de uitgegevene en nog onuitgegevene Scholiasten. Deze menschen hadden vele werken voor handen, waardoor zij bijna tot den leeftijd van Horatius konden opklimmen. Het spreekt dus van zelve, dat men bij hen vele, onontbeerlijke en wetenswaardige zaken vindt, welke men elders te vergeefs zal zoeken. En evenwel heb ik opgemerkt, dat tot nog toe geen mij bekend uitgever al het gebruik van deze Scholiasten gemaakt heeft, hetwelk van dezelve te maken was".

quamvis utriusque Scholiastae praecipuum consilium fuerit Horatium explicare, de reliquis tamen etiam scriptoribus optime meruerunt. Quum enim passim locos citaverint e scriptoribus, quorum opera nunc non supersunt, fragmenta servarunt, quae aliunde non cognoscuntur, ut Ennii, Lucilii, Sallustii: quemadmodum hoc ab Hesselio, Dousa, Cortio, aliisque Viris Doctis, qui Fragmenta collegerunt, notatum est. Praeterea, quum Scholiastae passim aliorum dictiones cum Horatianis comparaverint, puta Terentii, Ciceronis, Virgilii, Lucani, Statii, apparet et horum intelligentiae subinde ista Commentaria egregie prodesse. Quin et, quod sane non minoris aestimandum est, haud raro ansam praebent alios scriptores emendandi: non enim ita semper Terentii, Virgilii et reliquorum loci citantur, ut nunc in libris legimus, sed subinde meliorem lectionem secuti sunt, quam quae vel in antiquissimis, qui sunt, Codicibus inveniatur; cujus rei exemplum dedit Bentlejus ad Terentii Andr. III. 2. 49. Garatonius ad Ciceron. pro Coelio c. 11. Broukhusius ad Lucan. Pharsal. VI. 55. aliique. Quamquam hac in re quemvis probe cautum esse oporteat, quum certum sit, non omnes locos qui citentur, aeque religiose ab ipsis inspectos esse, imo saepius ex memoria fuisse citatos; quod ipsum tamen tantum abest ut conceptam de Scholiastarum fide opinionem minuat, ut potius ipsorum doctrinae aestimationem insigniter augeat. Hoc enim comprobat, optimos quosque scriptores diligenter ab ipsis lectos fuisse. Et videre mihi videor ip-

ipsos Scholiastas interdum optimos auctores imitatos esse; sic Acro ad Carm. I. 31. 18. usurpat Juvenalis verba *mens sana in corpore sano*, quae sunt ex Sat. X. 356. Idem ad Carm. III. 6. 45. Ciceronianum adhibet *Nihil est enim opere et manu factum quod non conficiat consumatque vetustas*, quod est ex Orat. pro Marcell. c. 4. Idem et Porphyrio ad Carm. III. 18. 6. utuntur Terentiano *sine Cerere et Libero friget Venus*, quod est ex Eunucho IV. 5. 6. Similiter ubi Acro ad Sat. I. 3. 113. scribit: *novit quid sit amarum, quid dulce, quid album, quid nigrum: quid justum, quid injustum nescit*, nemo non facile recordabitur Ciceronianum de Democrito dictum in Tusc. V. 40. Ut jam nunc alia mittam, cujusmodi est Terentianum *veritas odium parit* (ex Andr. I. 1. 41.) quod Acro usurpat ad Sat. II. 6. 27. Ex quibus locis non immerito suspicari posse mihi videor, in hisce Scholiis multos latere poëtarum versus, quorum auctores sive antiquiores Scholiastae non nominaverint, sive recentiores omiserint.

Acronis Commentarios, quales eos nunc habemus, non unius auctoris esse, verum pluribus locis interpolatos, merito inde suspicatus est Fabricius, quod in unum locum saepissime binae, interdum tres, pluresve expositiones legantur. Eandem suspicionem plenius explicuit Henr. Stephanus in Diatribe de sua editione Horatii p. 61. cujus disputationem hic iterum adscribemus. Ita autem ille scribit:

» Enimvero continere me non possum quin de illis

» enar-

» enarratoribus aliquid adjiciam: id est, quin il» lorum sortem deplorem, qui apud plerosque tan» tum abest ut ullam suorum laborum gratiam re» portent, ut etiam ob eos pessime audiant. Imo » vero in eo illos reprehendunt, in quo vicem illo» rum potius dolere deberent. Illi enim ipsi qui » Porphyrionem et Acronem, quos habemus, sub» dititios vel suppositilios appellant, qui laceros esse » Commentarios illorum, qui externa barbarie et » quidem varia foedatos negare non possunt, qui » Pseudoporphyrionem et Pseudacronem vocandos » censent, alicubi, tamquam sui obliti, in Porphy» rionis et Acronis barbariem invehuntur. Alii vero » longius etiam progrediuntur, et eo quidem usque » ut nihil eorum quae sub horum grammaticorum » nomine ad nos pervenerunt, illorum esse conce» dant (1). At ego contra paucula quaedam quae » apud

(1) In horum numero est Janus Parrhasius, qui in Epistola ad Galeatium Thyenaeum (in Gruter. Lampad. T. I. p. 734.) ita scribit: « *Ego vero Thyenaee summa veneratione Veterum memoriam semper, et nunc, si quando maxime, prosequor, cum non agnosco trivialium magistrorum nugas, ut Acronis, in cujus eruditionem praestantemque disciplinam non cadunt errata, quibus scatent ea quae circumferuntur in Horatium. Licebit* (*inquis*) *hoc ipsum de Servio ceterisque dicere: quos in jus a minimo quoque literatore vocari cottidie videmus. Agere Servii reliquorumque caussam nunc otium mihi non est: at Acronis ea Commentaria non esse quae leguntur in Horatium, nisi certissima ratione docuero, nolim credas. Helenius Acron aetate sua Grammaticus anxie doctus, accuratas in Terentium reliquit enarrationes, unde te-*

» apud Porphyrionem leguntur (nam ex eo Acro » omnia propemodum mutuari videtur) tanti facio, » ut dicam, barbariem illam quae plerisque locis » ejus scholia conspurcavit, esse velut nebulam (ut » et hic Horatiane loquar) candidis stellis spar- » sam. Quid? nonne apud Servium quoque, qui » in Virgilium scripsit, nonne apud ipsum etiam » Donatum, qui luculentissimos illos in Terentium » commentarios edidit (apud illum tamen magis) » multa legimus quae aliquid barbariei resipere vi- » deantur. Neque tamen quisquam est qui se mul- » tum ex eorum lectione profecisse negare possit. Sed

testimonium Charisius identidem citat, antiquior aliquanto quam Servius. Id quod inde colligitur, quod cum Grammaticos omnesque passim per quos profecerit (qui candor ejus est) alleget, unum certe Servium non omisisset, si is ante se exposuisset opera Vergilii, quem cum suis interpretibus frequenter habet auctorem. Vester Acron apud Horatium I. Sermon [9 76.] Denunciantes, *inquit*, litem, antestatos habebant, quibus praesentibus conveniebant, ita ut aurem illis tertio vellerent. Sic Servius magister Urbis exponit. *Ex his apparet Acronem, quem dicitis, Honorato fuisse posteriorem, cum Charisius aut aequalis Servii fuerit, aut eum (quod vero propius est) una ut minimum aetate praecesserit. Ad haec (cur enim non suo potius eum gladio jugulemus?) Vester Acron in Flacci vita, commemoratis poëtae scriptis, hoc addit:* Commentati in illum sunt Porphyrion, Modestus et Helenius Acron omnibus melius. *Acronemne putas adeo stultum ut se tum illa prodentem connumeraret Horatii Commentariis, qui ante se claruerant? aut inepte gloriosum, ut semet ipse ceteris omnibus anteponeret?"*

« Sed enim multo magis foedati sunt illorum quam » horum Commentarii, dicet quispiam. Hoc et ipse » fateor: sed propterea contemnendos esse nego: » ac potius, quae apud eos sunt insignia, tanquam » aurum e stercore (ut ajebat ille) colligi debere » dico. In eandem profecto et Graecorum scholia » calamitatem incidisse videmus, et quidem ea etiam » quae primi ordinis esse existimantur. Potissimum » autem particulae ἌΛΛΩΣ adminiculo hanc ca- » lamitatem illis invectam fuisse arbitror. Dum » enim quisque sibi licere putavit quidvis illis in- » serere, modo illam particulam iis quae inserturus » esset praefigeret, ad ea tandem expositionum » monstra ventum est, ut alicubi humano capiti » cervicem equinam junctam reperiamus. Multo » tamen periculosiores sunt loci in quibus illa parti- » cula omissa fuit: quippe quae lectorem (eum » quidem certe qui talem ejus usum cognitum ha- » bet) praemonere saltem possit. Quis vero et in » Latinis scholiis vocem ALITER eundem usum » praestitisse credat? Inauditam me rem narrare » scio, sed quam tamen faciam ut lectores mox » credant. Testimonium autem ex illo ipso nostri Ho- » ratii enarratore anonymo, vel potius ex iis quae » apud eum leguntur verbis, proferam. Haec enim » apud eum scripta sunt, in Satyram septimam » libri posterioris: *Inducitur servus ex comoe-* » *dia, puta Davus callidus: qui dicit se non* » *posse ferre, dominum suum alia laudare et* » *alia facere. Aliter inducit Horatius servum* » *loquentem cum domino suo de variis hominum* » *moribus, libereque taxantem domini sui vitia:*

 quod-

» *quodque aliter vivat quam prae se ferat.* Hic
» enim verba illa *Aliter inducit Horatius*, quid
» obsecro sibi velle dicemus? quo referri illud *ali-*
» *ter* censebimus? Nimirum *aliter* est illud Grae-
» corum scholiorum ἌΛΛΩΣ. debetque ita scribi
» hic locus: *Inducitur servus ex. com. — qui di-*
» *cit se non posse ferre, dominum suum alia*
» *laudare et alia facere.* ALITER. *Inducit Ho-*
» *ratius servum*; *cet.*"

Quod Stephanus affert testimonium, est e Commentatore Cruquiano; sed potuerat etiam ex Acrone afferre, quum in hujus Commentario eadem res sit; est enim ipsius scholion ad eumdem Horatii locum hujusmodi:

ad Sat. II. 7. 1. JAM DUDUM AUSCULTO. *Hac satira libere pulsans domini vitia, quae celat et aliter quam promiserat, vivit. Inducitur servus, sicuti in Comoedia, qui dicat se non posse ferre dominum, qui alia laudet et alia faciat. Ex persona sua Horatius, aliena vitia carpit.* *Alias: Inducit servum loquentem cum domino de variis hominum moribus.*

Nos, quod Stephanus uno exemplo ostendere satis habuit, operae pretium ducimus pluribus exemplis comprobare: quo plenius appareat, Acronis Commentarios, quales nunc in editionibus prostant, non unius, sed plurium auctorum foetum esse. Nec tantum istud vocabulum ALITER vel ALIAS, ut Stephanus monuit, manifestas interpolationes indicat, sed et alia vocabula, qualia sunt AUT, VEL, VEL ETIAM, et ITEM, eandem in hisce Scholiis si-

significationem habere credibile est. De multis pauca citasse sufficiat:

ad Sat. I. 1. 101. UT VIVAM MAEVIUS AUT SIC UT NOMENTANUS. *Maevius enim tam parcus fuit, ut merito sordidus appellaretur. Contra Cassius Nomentanus tam prodigus fuit, ut sestertium septuagies libidini et gulae impenderet. Hujus cocum, nomine Damam, Sallustius Crispus centenis millibus aeris conductum habuit. Aliter. Nomentanus aut proprium nomen est, aut gentile de Nomentana civitate. Significat quemdam Cassium luxuriosum, qui inde fuit.*

ad Sat. I. 1. 104. VAPPAM JUBEO AC NEBULONEM. Vappae *dicuntur perditi et luxuriosi.* Nebulones *vero vani et leves, ut nebula. Aliter.* Vappa *dicitur stultus et insulsus, qui nihil sapit. Dicitur enim vinum* vappa, *quod perdidit saporem.*

ad Sat. I. 2. 37. AUDIRE EST OPERAE PRETIUM. *Audire* (l. audite), *inquit, quae patiuntur moechi, qui eos odistis. Fructus est his, qui oderunt moechos, audire quantis incommoditatibus astringantur. Vel etiam. Operae pretium est audire, quod etiam voluptas, quam capiunt moechi, non est plena. Imminuitur autem multis incommoditatibus. Ordo: Operae pretium audire vos, qui non vultis. Vel. Operae pretium est audire moechos, qui non vultis proce-*

dere recte ad meretricem quemadmodum laborent omni parte, et quemadmodum saepe cadat haec voluptas, atque haec ipsa rara inter dura pericula corrupta multo dolore, tam in expendendo pecunias, quam propria membra perdendo. Urbane abutitur Ennianis versibus. Ille enim [Annal. L. I. p. 31. ed. Hessel.] *ait: » Audire est operae pretium procedere recte, Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis." Sed illud urbanius, quia cum Ennius* vultis *dixit, hic* non vultis *intulerit.*

ad Sat. I. 2. 63. PECCESVE TOGATA. *Matronae, quae a maritis ob adulterium repudiabantur, togam accipiebant, sublata stola propter ignominiam. Toga autem meretrici apta: ita enim prostare solebant cum pullis togis, ut discernerentur a matronis. Et ideo qui* (l. quia) *adulterii damnatae fuerant, hac veste utebantur. Aliter. Togatae dicebantur in publicum procedere foeminae adulterii admissi causa. Alii* togatam *dicunt libertinam, quia antea libertinae toga utebantur.*

ad Sat. I. 4. 14. MINIMO ME PROVOCAT. *Minimo autem digito solent provocare, qui volunt ostendere plus esse virium in suo digito minimo, quam in alterius toto corpore. Vel. Minimo provocare dicuntur hi, qui in responsione plus ipsi permit-*

mittant, quam exigant ab adversario(1).

ad Sat. I. 4. 21. BEATUS FANNIUS. *Poëta, cui ultro delatae sunt capsae, ut suos libros mitteret, et auctoritatem reciperet. Fannium quemdam non satis bonum poëtam recepit in auctoritatem Senatus. Aliter. Fannius iste malus poëta fuit, qui cum antea contempsisset datam sibi imaginem a Senatu, postea dum moreretur, petiit, ut delatis in publicum capsis suis, cum propriis libris incenderetur. Aliter. Fannius loquacissimus poëta fuit, cui Senatus audiendi fastidio ultro imaginem et capsas dedit. Item aliter. Fannius Quadratus eo tempore satiram scribebat, et erat sine liberis. Hujus imagines et libros haeredipetae in publicas bibliothecas referebant, nullo merito doctoris.*

ad Sat. I. 5. 38. CULINAM. Culina *dicta est coquina* (l. colina), *quia ibidem dii penates* colantur. *Aliter.* Culina, *id est coquina ab eo quod* culiat *carbones.*

ad Sat. I. 5. 62. CAMPANUM IN MORBUM. *Aut oris foeditatem aut arrogantiam. Dicun-*

(1) Ex Bentleji conjectura legendum est *in Sponsione plus ipsi promittant.* Idque confirmatur MSto Franekerano: *minimo autem digito solent provocare qui volunt ostendere plus esse virium in suo minimo quam alterius in toto corpore. Aliter. Minimo provocare dicuntur hi, qui in Sponsione plus illi promittunt, quam exigunt ab adversario.*

cuntur enim Campani et foedi esse et arrogantes. Si foedi *accipimus, κατὰ τὸ αὐτό. Aliter. Campani, qui et Osci dicebantur, ore immundi habiti sunt, unde etiam Oscenos dicimus. Aut ideo dixit* in Campanum morbum, *quia Campani morbum dicacitatis patiuntur.*

ad Sat. I. 7. 1. PROSCRIPTI REGIS RUPILI PUS. *Describit jurgium P. Rupilii cujusdam, cognomento Regis, qui aliquando in Horatium joculariter dixit, et hibridae Persii. Hic rex, Rupilius Praenestinus fuit — constrinxit. Item aliter. Publius Rupilius, cognomine Rex, Praenestinus, post exitum belli civilis commilito fuit Horatii, in castris Bruti — lacerat.*

ad Sat. I. 7. 2. HIBRIDA QUO PACTO SIT PERSIUS ULTUS. *Persius ex diversis parentibus natus, nam Clazomenius fuit, patre Asiatico, matre Romana. Translative ergo Horatius laceraverat Persium, quasi semi Romanum. Tractum ab Aquila ea, quae ex aquila et vulture nascitur. Hibridae etiam dicuntur proprie canes, qui nascuntur ex cane venatico et cane gregario. Ideo et hibrida dicebatur Persius, qui de matre Graeca natus fuerat et patre Romano. Aliter. Hibrida dicitur, qui habet patrem Graecum et matrem Italam: aut per contrarium, hibridam dicunt appellari, qui mixto genere sermonis loquatur graece latineque.*

ad

ad Sat. I. 7. 10. HOC ETENIM SUNT OMNES JURE MOLESTI. *Sensus est: Ita enim inter se mali homines decertant et nesciunt cedere, ut viri fortes in bello.* *Aliter.* *Hoc sunt modo omnes molesti, quo hi, qui contra se habent bellum, et quare? quod usque adeo dimicant uterque, donec uno superato alter victor discedat.*

ad Sat. I. 7. 16. UT DIOMEDI CUM LYCIO GLAUCO. *Glaucus enim confessus se victum, munus Diomedi misit sua arma aurea, et Diomedes sua aerea.* *Aliter.* *Diomedes et Glaucus inimici fuerunt. Diomedes fortis. Glaucus ignavus, et Diomedi munera misit, ut ab armis discederet.*

ad Sat. I. 9. 69. TRIGESIMA SABBATA. *Quae Judaei Neomenias dicunt, quoniam per sabbata Judaei numeros appellant lunares.* *Aliter.* *Trigesima sabbata dicuntur quando Calendis occurrit sabbatum.* *Item.* *Trigesima sabbata dicuntur, quando veniunt Calendae in prima luna per sabbata. Qui dies maxime a Judaeis observantur, aut quia trigesima sabbata religiosius colebantur.*

ad Sat. I. 9. 76. ET LICET ATTESTARI. *Denunciantes litem antestatos habebant, quibus praesentibus conveniebant, ita ut aurem illis tertio vellerent. Sic Servius magister urbis exponit. Alii sic exponunt: Quod Horatium interrogaverit si testis esse pateretur, et Horatius ob-*

obtulerit aurem ultro. Solebant enim testium aures tenere et ita dicere: Memento quod tu mihi in illa causa testis eris, quod est antestari. *Aliter. Olim qui antestabantur auriculam contingebant — Plautus in Persa* [IV. 9. 10.] *Leno ad Satyrionem parasitum » Nonne attestaris? et parasitus: » Tuane ego causa carnifex cuiquam mortali libero aures atteram." Aliter.* Attestari, *id est teste uti quod judicii causa volo manum injicere. Nam haec erat consuetudo, si quis vadato non paruisset — injuriarum poterat accusari.*

ad Sat. I. 10. 30. Canusini more bilinguis. *Canusini enim cum sint Latinae gentes, a Diomede Graecitatis partem traxerunt, et per istius regionis tractum Graeca lingua in usu fuit: unde ea pars Italiae Graecia Magna dicta est. Aut quia Canusium oppidum constat ex Graecis et Latinis, quidam istum Pitholeontem Canusinum fuisse dicunt, aut pro quocunque Canusino dixit. Aliter. De Pitholeonte dicit: nam et iste de Canusio fuit. Dicit autem* bilinguem, *quia et Graeci et Latini apud Canusium habitant et utuntur utroque sermone.*

ad Sat. I. 10. 56. Quid vetat. *Ut ego legam Lucilium? quaeram utrum natura sua negavit ei compositos versus facere:*

an

an natura rerum, de quibus scripsit. Aliter. Quid prohibet quaerere, utrum ingenio an natura duriores fecerit versus, an operis necessitate.

ad Sat. I. 10. 77. EXPLOSA ARBUSCULA. *Arbuscula quaedam mima fuit, quae, cum sibilo vulgi ejiceretur e theatro, placeret autem paucis equitibus, dixit: Contenta sum his prudentibus, quamvis pauci videantur esse fautores. Aliter. Arbuscula quaedam mima fuit, quae placebat bonis potius quam plurimis. Haec aliquando explosa a populo dixit: Hoc Equitum Romanorum plausu contenta sum. Consolabatur autem se his verbis.*

Reliqua testimonia mittimus: neque enim nunc omnia conquirere juvat; quae notavimus, satis probant, Acronis Commentarium, ut iste nunc editus est, multa, quae ab aliena manu adjecta sint, continere. Quis enim credat, talia ab ipso Acrone profecta esse, qualia ista nunc sunt, quae memoravimus scholia? Imo, parum abest quin certissimum sit, alteram quamque explicationem ab alio interprete, et tertiam, si qua adsit, a tertio quodam interprete adjectam esse. Quamquam non audeo contendere primam esse semper Acronis, quum probe sciam librarios in describendis scholiis saepius ὕστερον posuisse πρότερον.

Ne tamen Acronis labor pejus audiat quam mereri videtur, monendum est, hujusmodi apertas interpolationes frequenter quidem in Commentario ad

ad Satiras reperiri, rarius ad Epistolas. Ad Carmina paucissimae reperiuntur: hujusmodi saltem, quibus hoc adverbium praefixum invenitur. Sed non dubito quin et in his subinde quaedam interpolata sint, quandoquidem, ut recte Stephanus monuit, *non omnibus locis quibus aliqua ab alio inserta fuerint, appositum hoc adverbium inveniatur.* Hos autem locos non tantum multo periculosiores esse sed et difficilius ab iis quae vere ab Acrone scripta sunt, posse dignosci, quilibet, etiam me tacente, facile intelliget.

Est tamen ubi facillime interpolatoris manum agnoscas; quemadmodum in his Acronis scholiis:

ad Carm. I. 1. 14. Myrtoum. *A Myrtilo auriga sive victimario Pelopis, quem cum deprehendisset, quod axes suos corruperat in Hippodamiae certamine, in pelagus eum praecipitavit, ex cujus supplicio mare nomen accepit. Seu a Venere, propter myrtum; non a Myrtilo, nam Myrtilium diceretur.*

ad Carm. I. 28. 29. Neptunoque sacri custode Tarenti. *Neptunus apud Tarentum devotius colebatur; vel, quia in Neptuni tutela dicitur fuisse; vel, quia Neptuni filius Phalantus apud Tarentum Herculi et Neptuno templa constituit.*

Et sic in aliis passim scholiis duplex vel triplex, modo similis, modo diversa, modo plane contraria reperitur ejusdem loci explicatio.

Itaque, quum haec horum Scholiorum ratio sit, ut omnino incertum videatur, quid ipsi Scholia-

stae

stae scripserint, quid ab impostorum manibus additum sit, sane injuriam faciemus Acroni et Porphyrioni, si ipsis imputare velimus, quod in hisce Scholiis passim vocabula reperiantur quae vel plane ignoravit Romana lingua, vel a sequiorum tantum temporum scriptoribus usurpantur. Cujus generis haec sunt in Acronis Commentariis: *nimietas* ad Carm. II. 2. 1. III. 24. 39. *possibilis* ad Carm. II. 19. 9. *competens* ad Carm. I. 18. 1. *deterioratus* ad Carm. I. 35. 16. *deterioratio* ad Carm. III. 27. 53. *prostitutio* ad Carm. II. 8. 17. *inexorabilitas* ad Carm. II. 13. 20. *deliciose* ad Carm. III. 1. 17. *angustiatus* ad Carm. III. 1. 33. *maleloquium* ad Carm. IV. 3. 16. *juvamen* ad Epod. 5. 8. *adversitas* ad carm. Sec. 27. *indisciplinatus* ad Sat. I. 3. 36. *conversatio* ad Sat. I. 6 62. *coloramentum* ad Epist. I. 20. 12. *amicabiliter* ad Art. Poët. 411. *irrecuperabiliter* ad A. P. 452. Apud Porphyrionem haec leguntur: *contemptibilis* ad Carm. I. 25. 10. *possibilis* ad Carm. II. 19. 9. *ociositas* ad Epod. 7. 15. *verbotenus* ad Sat. I. 3. 96. et alia his non multo meliora. Haec igitur, quamquam contendere nolo ista plane fuisse aliena a seculo quo hos Scholiastas vixisse probabile videtur, equidem non omnia ipsis imputaverim, sed pro parte saltem iis hominibus imputanda esse censeam qui Acronis et Porphyrionis Commentarios suis annotationibus augere studuerunt.

Priusquam disputationem nostram finiamus, hoc quoque monendum est, quod iterum docet Stephanus

nus l. c. » *Ut autem multa illis futilia et frivola adjecta fuerunt, ita non dubium est quin multa quae magni momenti erant, et lectoribus magno adjumento esse poterant, fuerint detracta. Quod nisi contigisset, multa quae quaerere alibi cogimur, (et quidem frustra interdum) ibi inveniremus. Ejusmodi est illud Sat. decima libri primi de Lucilio*, [vs. 54.]

Non ridet versus Enni gravitate minores?

Verisimile est enim enarratores aliquod hujus irrisionis exemplum attulisse, sicut a Servio allatum esse videmus." Qua in re, nam sua cuique sententia est, vereor ne Stephanus non satis cogitaverit, posse etiam nimium exspectari. Equidem saltem istam suspicionem ipsi Stephano defendendam relinquo.

Certius hoc est, Acronis et Porphyrionis Commentarios, quales in editionibus exstant, non integros esse, sed ex utriusque labore partes aliquas intercidisse. Acronis quidem desiderantur scholia ad posteriorem partem Epist. 2. lib. II. a vs. 105 —215. Porphyrionis Commentarius passim deficit, in postrema parte Sat. 6 et 8. libri II. item in 2 et 9 Epistola libri I.

Praeterea desideratur, quae a Porphyrione scripta fuit, Narratio de Vita Horatii, cujus ipse meminit hoc scholio:

ad Sat. I. 6. 41. Namque est ille. *Patre libertino natum esse Horatium, et in narratione, quam de vita ipsius habui, ostendi,*

di. Ergo Novium hunc libertinum esse indignatur, atque eum tamen in Quatuordecim ordinibus sedere.

Reperiuntur quidem in nonnullis Codicibus plures incertorum auctorum narrationes de Vita Horatii, in quibus id ipsum narratur, quod Porphyrio se ostendisse, in hoc scholio dicit. Sunt autem praecipuae tres, quas editores certatim suis editionibus praemiserunt. Altera utique longior sic incipit: *Q. Horatius Flaccus, Venusinus, patre, ut ipse quidem tradit, libertino et exactionum coactore, ut vero creditum est, salsamentario.* Altera, quae brevior est, tale habet initium: *Q. Horatius Flaccus libertino patre natus in Apulia.* Neutra tamen ad Porphyrionem referenda esse videtur. Prima enim aut Suetonium, quod vulgo creditur (1), habuit auctorem, aut certe eundem illum grammaticum, a quo et aliorum poëtarum, puta Terentii, Lu-

(1) Et vel ipse Porphyrio Suetonium pro auctore hujus Vitae agnoscit, haec scribens ad Epist. II. 1. 1. « *Apparet hunc librum, ut supra diximus, hortatu Caesaris scriptum esse, cujus rei etiam Suetonius auctor est. Nam apud eum epistola invenitur Augusti, increpantis Horatium, quod non ad se quoque plurima scribat.*" Similiter auctor scholii a Cruquio editi ad Carm. IV. 1. 1. « *Statuerat Horatius ad tertium usque librum complere opus carminum; verum tribus libris jam editis, ex maximo intervallo hunc quartum scribere compulsus est ab Augusto, ut refert Suetonius in Vita Horatii, in laudem privigni sui Drusi Neronis.*" Quod utrumque testimonium extat in Vita, quam Suetonii nomine habemus, §. 11. et 12.

Lucani, Juvenalis et Persii, Vitae scriptae sunt. Alteram autem ab alio quodam quam a Porphyrione scriptam esse ideo arbitramur, quod in ipsius clausula inter antiquos Horatii interpretes ipse Porphyrio nominetur. Tertia, eaque ab his diversa, a Cruquio reperta est in tribus Codicibus Blandiniis, cujus hoc est initium: *Q. Horatius Flaccus praecone patre natus, libertinae conditionis; Venusinusque fuit, quae civitas Apuliae est.* Sed nec hanc esse eam, quam Porphyrio scripserit, propterea arbitramur, quod ea, utpote magis de metris ab Horatio adhibitis exponens, vix dici possit *Narratio de Vita Horatii*; qui titulus tamen majus quid polliceri videtur. Praeterea omnium harum, quae supersunt, Vitarum auctores non nisi in transitu docent Horatium libertino patre natum esse: Porphyrionem autem uberius, id est, additis aut aliorum testimoniis aut argumentis ex ipso Horatio petitis, istud comprobasse, verosimile est; hoc enim, mea quidem sententia, τῷ *ostendi* subesse videtur.

§. 2.

COMMENTATOR CRUQUIANUS.

Hoc nomine significatur Horatii interpres, quem exeunte seculo XVI. edidit Jacobus Cruquius, sive, ut proprium ipsius nomen erat, Jacques de Crucque, natione Flander, Literarum apud Brugenses Professor, qui pro temporum, quibus vive-

bat,

bat, doctrina, habet quo in Horatium demeruisse glorietur (1); quapropter miror ipsum tam acerbe reprehensum esse a Tan. Fabro Epist. L. 2. et II. 64. Ut enim nunc sileam de Undecim Codicibus MSS. quorum ope et auxilio Horatium emendare studuit, quis ipsi negabit indefessi laboris laudem, quem impendit conquirendo undique scholia et glossas ex Codicum, quos usurpavit, marginibus et interlinearibus spatiis? Hujusmodi laborem et dies saepe noctesque requirere, facile intelligent qui antiqua Scholia in Codicibus MSS. legerunt, et editori credent, ingenue haec ita narranti in Epistola ad Cornelium Cruquium filium, quae exstat ante Comment. ad Art. Poet. p. 639. »*Commentaria*, inquit, *antiqua ex scriptis praecipue* [illegible] *Blan-* [illegible]

(1) Cruquius Horatium cum Commentatore edere coepit a. 1565. initio facto a Quarto Carminum Libro; biennio post edidit Epodôn librum a. 1567. porro duos Satirarum libros a. 1573. Hi tres libelli promulsidis instar editi sunt *form. Octav.* Integrum Horatium *form. Quart.* edidit a. 1578. 1579. 1587. et 1593. quarum editionum, ut videtur, ipse curam gessit. Has secutae sunt Edd. a. 1597. 1603. 1611. 1620. et 1678. quas post Cruquii mortem vel saltem absque ipsius cura prodiisse, inde suspicamur quod [illegible] Appendicis [illegible] continebant a Jano Dousa [?] scriptum; tum vero satis certo scire nobis videmur ex Monito ad Lectorem, Suetonianae Horatii Vitae subjecto. Errat igitur Saxius in Onom. Lit. T. III. p. 389. scribens Cruquium a. 1611. mortuum esse: quem equidem jam ante a. 1597. occidisse crediderim. Ex novem istis Cruquianis Edd. *classica editio* habetur ea quae a. 1611. prodiit. Vid. Janus in Praef. p. XXVII. et Mitscherl. p. XLVIII.

Blandiniis (1) *collegi et coadunavi, quae profecto me sic exercuerunt suis barbariei telis occultis, et numquam non ex alto pulvere, quasi in nebulam jam condensato, hostiliter emicantibus, ut non raro rejectis armis desperarim de victoria: atque adeo ad id pugnae genus certum erat amplius non regredi, nisi impulisset nos operis incepti summa, quae mutila nimis erubuit apparere lectoribus. Quod ne fieret, ab initio operum Horatianorum, quidquid in antiquis scriptis et Blandiniis et aliis offendimus lectu scituque utcumque dignum, ad finem usque descripsimus: qua in re nobis nihil adscribimus praeter immensos, diurnos nocturnosque labores, et integram fidem.*

Hoc testimonium non magis citavimus ut laus, quae Cruquio debetur, appareret, quam ut ipsum Cruquium audiremus fatentem, scholia ista e variis Codicibus excerpta esse, nec vero, qua opinione multos versari vidimus, unius auctoris operam esse. Ita nempe opinatus videtur Nic. Heinsius, qui ad Virgil. Ecl. I. 18. de Horatii Scholiaste Cruquiano, quemadmodum ipsum vocat, haec ait: » *hujus ta-*

(1) Codices Blandinii seu Blandiniani, ita vocati sunt a *Bibliotheca Blandinia* i. e. Bibliotheca Patrum Benedictinorum Sti. Petri in monte Blandinio Gandavi; *quae nunc, pró dolor*, (id est Cruquii aetate, cujus haec ipsa verba sunt ad Sermon. L. 1. p. 308.) *una cum Dunensi, a barbaris, nec unquam satis execrandis εἰκονοκλάσταις prorsus lacera, distracta, deperdita, exusta est, non sine incomparabili rei litterariae, et omnium disciplinarum immedicabili vulnere.* Cf. Janus Praef. ad Horat. p. III.

tamen apud me magna non est auctoritas, utpote qui sit interpolatus foedum in modum, adeo ut Isidorum illic citatum offendas, posteriorum temporum scriptorem, et alios nihilo fere antiquiores." Nec satis diligenter horum Scholiorum indolem examinavit Janus, qui in Praefat. p. XXXVII. ita scribit: „*Fuerunt, in his Barthius et T. Faber, qui huic Commentatori exiguum admodum pretium statuerent; nam nihil in eo esse, quod non in Acrone et Porphyrione jam legatur. Quod licet negari non possit, confluxisse quasi videri ex illis Scholiasten Cruquianum, tamen is quaedam subinde addit, alia aliter, luculentius etiam interdum, exponit. Quare hactenus suam ei dignitatem relinquendam putem; quamvis si quis severior esse velit, ipsa ea, quae ille plura exponit, pro interpolatis et novis habere possit.*

Decepit multos istud nomen *Commentator*, quo Cruquius haec Scholia insignivit. Neque hoc adeo mirum est, si quis, non lecto editoris monito, sic in errorem se abduci passus sit: quod non facile accidisset si Cruquius pluralem numerum usurpasset *Commentatores*, vel hanc syllogen Scholiorum, simplici nomine *Scholia* vocavisset. Et hoc quidem, mea saltem sententia, rectius fuisset. Praeterea τὸ *Commentator*, ut minus Latinum, ipsis jam displicuisse Cruquii aequalibus, suspicari licet ex Epistola ad Lectorem quae posterioribus editionibus praemissa est, in qua se ad hunc modum defendit: „*In antiquis Commentariis jam pridem in quartum Odarum, Epodos et Satyras evulgatis, Lector Candide, nonnullos intelligo, et*

non postremae notae viros subsannare, atque adeo rejectare dictionem illam Commentator, *quasi minus idoneam; nec satis, ut* enarratorem *notet, Latinam: quod etiamsi non penitus infitier, tamen si diligentius animadvertant nostrum ea in re consilium et epistolam ad lectorem olim libro Odarum quarto praepositam candidius perlegant, aequiores certe nobis eos fore crediderim. Nam quis eum nominet honorifice, quem ne novit quidem? ut taceam ea quae evolvi in Horatium scripta vix ullo honore digna, sed ita lacera, manca, mutila, lacunosa, et tantum non carie, vetustateque deperdita, ut ex iis vix hos Commentarios consarcinaverim. Quid? quod auctoris nomen opera nulla consequi potuerim?*

Sed quicunque haec Scholia credat unius interpretis operam esse, is profecto numquam haec cum editis Scholiis contulit. Hoc enim si quis faciat, manifeste videbit hunc Commentatorem nihil aliud esse nisi syllogen Scholiorum longe maximam partem ex Acrone et Porphyrione consarcinatam, sed passim laciniis aliunde depromtis auctam: quas equidem lacinias, quum plerumque ad poëtae verba explicanda nihil pertineant et subinde alienissimo loco appositae sint, parvi aestimandas esse opinor. In his alia sunt, quae recentissimae aetatis notam prae se ferunt; quale hoc est, quod et Mitscherlichium offendit:

ad Sat. II. 4. 81. In scobe qantus consistit sumtus. *Hic scobis et haec scobes dicitur, rasura serrarum. Graece* Πρίσμα.

σμα. *Theotisca lingua* urpora [1].

Alia vel ex locupletiori Acronis Porphyrionis exemplari, vel ex alius antiquioris interpretis ope profluxerunt; cujusmodi est versus ille Ennii, citatus

ad Epist. I. 13. 10. LAMAS *Lacunas majores, continentes aquam pluvialem seu coelestem, ἀπὸ τοῦ λαιμοῦ, id est, quae ingluvies est et vorago viarum, seu fossae fluviorum. Hinc quoque dictae sunt Lamiae, puerorum voratrices. Ennius: » Silvarum saltus, latebras, lamasque lutosas"* (2).

quae Ennii verba, quum nec in Acronis Porphyrionisve Scholiis, ut nunc quidem sunt, nec a quoquam

(1) Mitscherlichius in Praef. ad Horat. p. XVII. opinatur istam vocem esse Germanorum Bohr: subtilius tamen, ut videtur, Cramerus in notis ad Juvenal. Scholiast. XIV. 67. et in Add. p. 631. censet scribendum esse *utpora* vel *utpurra* « ut sit cascum antiquatumque substantivum verbi quod etiamnum inter populos arctoos viget, utpurre s. udparre, h. e. foramen, quod est, purgare, et generaliter, sordes et quod superfluum est de loco aliquo evellere". Hujus antiqui verbi vestigium superest in nostro admodum frequenter usitato *uitporren*, quod confinis significationis est cum verbo *uitbooren* (exterebrare): et sic reditur ad id, quod Mitscherl. opinabatur, *urpora* significare *Terebram*.

(2) Hic versus, quem in Fragmentis ab Hesselio editis frustra quaesivimus, non fugit diligentiam novissimi Ennianorum Annalium editoris E. S. (Lipsiae 1825.) qui haec verba retulit ad L. XI. p. 146.

liberatus est indulgente sibi Augusto, et multa etiam illi donavit Maecenas, amicus Augusti Caesaris.

dulce decus. Quia principibus placuisse viris non ultima laus est.

Acro: *decus. Quia magna laus est placere meliori.*

3. *sunt quos curriculo.* Sunt quos delectat inire curule certamen. Exponit autem varia hominum ingenia, et non unas omnium voluntates, ne sit arrogantiae quod sibi poëticam videatur vendicare, cum singulos quosque rerum aliarum diversus habeat amor.

Acro: *sunt quos. Sunt qui delectantur inire curule certamen. Exponit autem varia hominum ingenia, et non unas voluntates, ne sit arrogantiae, quod sibi poëticam videatur vindicare doctrinam, cum singulos quosque rerum aliarum diversus habeat amor.*

pulverem Olympicum. Agonalem pulverem excitare cursu. Circenses agonici in honorem Jovis Olympici sunt inventi apud Eliden: unde Virgil. » hic et ad Elaei metas."

Acro: *pulverem Olympicum. Agonalem etiam habere pulverem in curru suo. Circenses Agonici in honorem Jovis Olympici sunt inventi apud Elidem: unde Virgil.* [Ge. III. 202.] « *Hic et ad Elaei metas.*"

* *Olympicum.* Olympias autem dicebatur tempus quinque annorum, siquidem expletis quatuor annis, quinto quoque anno celebrabatur festivitas in honorem Jovis Olympici, ab Olympia campo sic dicti. In illa autem festivitate omnia genera ludorum certaminumque excercebantur, et nunc equis, nunc curribus certabatur; quos cursus omneis uno verbo no-

notavit, dicens: *curriculo;* et quia terminus ponebatur, ad quem ita cursum flecterent, nec eum tangerent, ait: *meta evitata.*

* Per Asteriscum praepositum hic, ut et in sequentibus, significari velim hoc Scholion in editis Acronis vel Porphyrionis Commentariis non reperiri.

4. *fervidis.* Vertigine ipsa calentibus.

Acro: *fervidis. Vertigine ipsa calentibus*

5. *evitata.* Sic circumdata, caute circuita, ne offenderentur.

Acro: *evitata. Circumducta, ne offendatur.*

palmaque nobilis. Quia nobileis facit ipsa victoria, et divinis honoribus consecrat.

Acro: *palmaque nobilis. Alios palma nobilis, id est, victoria terrae dominos facit, et divinis honoribus consecrat, utpote victores, ac per hoc neque aurigas neque viro forti aliud placet.*

6.* *terrarum dominos.* Factos.

ad deos. Ad Capitolium cum palma triumphanteis.

Acro: *ad deos. Ad Capitolium, ac si diceret cum triumpho.*

7. *mobilium turba.* Quiriteis ait *mobileis*, referens ad vulgi levitatem, nam facile movetur: ut Virgil. [Aen. I. 149.] » fervetque animis ignobile vulgus." Loquitur autem de iis qui favorem vulgi captantes, optent, cum ingressi sunt theatrum, plausum sibi dari a populo: sic enim excipiebantur in theatrum principes, de quibus populus bene sentiebat, hos enim plausus *ter geminos honores* appellat.

Acro: *mobilium. Ad vulgi levitatem refert, quia sunt faciles animis, et facile movetur vulgus.* Porphyrio: *Mobiles Quirites ait, referens ad vulgi levitatem. Loquitur autem de eo qui favorem vulgi captans, optet, cum ingressus sit theatrum, plausum sibi edi a populo, sic enim excipiebantur in theatrum principes, de quibus bene populus sentiebat. Hos enim plausus* tergeminos honores *appellat.*

8. *ter geminis.* Finitus numerus pro infinito, id est, multis: aut etiam *ter geminis*, id est tribus honoribus primis, Quaestura, Praetura, Consulatu.

Acro: *tergeminis. Finitus numerus pro infinito, vel etiam aut Quaestura, aut Praefectura* (l. Praetura), *aut Consulatu.*

9. *illum.* Zeugma ab inferiori: repetendum enim verbum *dimoveas.*

Acro: *illum. Zeugma ab inferioribus.*

10. *de Libycis.* Species pro genere, ab excellentia.

Acro: *Libycis. Species pro genere.*

verritur. Colligitur, trahitur.

Acro: *verritur. Colligitur, trahitur.*

11. *findere.* Colere, fodere.

Acro: *findere.* Colere, fodere.

sarculo. Genus ferramenti rustici, quod Graeci τὸ σχαλίδιον vocant.

Acro: *sarculo. Genus ferramenti rustici, quod Graeci* σκαφίον (l. σκαφεῖον) *vocant.*

12. *Attalicis.* Id est, regiis opibus. Attalus autem rex Pergamorum fuit, a quo haeres institutus est populus Romanus. Est autem sensus: Cuicunque semel agricultura placuit, coepitque de agris suis

suis frumentum reponere, nullis praemiis ei persuadeas, etiamsi regias opes promittas, ut nauta fiat.

Porphyrio: *Attalicis. Id est, regiis opibus. Attalus autem rex Pergamenorum fuit, haereditate* (l. cujus haer.) *populus Romanus locupletatus fuerat. Est autem sensus: Quicunque consueverit agrum suum colere, numquam sollicitatur ad navigandum etiamsi regis opes promittas ut hoc faciat.* Acro: *Sicut, inquit, illi cui semel agricultura placuit et cepit de agris suis frumentum, nullis praemiis persuadeas ut nauta sit: sic nec ipsi cui lyrica* cet. et mox: *Attalus rex Pergamenorum ditissimus fuit, cui propter opum magnituditunem Pop. Rom. testamento successit.*

13. *Cypria* Abusive, pro quacunque navi: sive quia validiores fiant ex ligno Cyprio, speciem pro genere posuit.

Acro: *Cypria. Abusive ponitur pro quacunque, sive quia validiores illic sunt.*

14. *Myrtoum.* A Myrtilo auriga auxiliario Pelopis in Hippodamiae certamine: quem, quod peteret ex pacto uxoris ipsius Hippodamiae primum osculum, in pelagus praecipitavit, ex cujus supplicio nomen accepit.

Acro: *Myrtoum. A Myrtilo auriga sive victimario Pelopis, quem cum deprehendisset, quod axes suos corruperat in Hippodamiae certamine, in pelagus eum praecipitavit, ex cujus supplicio mare nomen accepit.*

pavidus. Proprium epitheton nautarum.

Acro: *pavidus. Proprium epitheton nautarum.* Qui haec annotavit, sive Acro fuerit, sive aliquis antiquior interpres, non legit *pavidus* sed *impavidus*: hoc enim, non vero illud, est proprium epitheton nautarum. Et sic potuerat hoc scholio uti Peerlkampius ad comproban-

bandam eam, quae acri ipsius ingenio debetur, emendationem.

15. *luctantem.* Confligentem.

Acro: *luctantem. Confligentem.*

Icariis. Icarus, Daedali filius, pennis sole resolutis, quas cera illigatas patris arte sumserat, in mare corruit, et nomen imposuit mari Icario.

Acro: *Icariis. Icarus, Daedali filius, pennis resolutis, quas cera alligatas arte patris sumserat, in mare corruit, et nomen imposuit mari Icario.*

16. *mercator.* Mercator cum tempestatem in mari patitur, optat rusticam vitam, et in patria sua rura colere, abhorrens tempestatem; mox ubi evaserit periculum, eandem petit vitam. Quo argumento significat omneis amare vitam cui assueverunt. Ordo est: mercator metuens luctantem Icariis fluctibus Africum, otium et oppidi sui rura laudat, mox reficit rateis.

Porphyrio: *Mercator. Sensus est: Mercator cum tempestatem in mari patitur, abhorret navigare et optat jam rusticam vitam, et in patria sua rura colere; mox ubi evaserit periculum, eandem vitam repetit. Per quod colligit neminem posse aliquid agere, praeterquam quod consueverit.* Acro: *mercator. Ordo est: Mercator metuens luctantem Icariis fluctibus Africum, otium et oppidi sui rura laudat, mox reficit quassas rates, ut trabe Cypria pavidus nauta secet Myrtoum mare.*

17.* *mox.* Supple *tamen.*

18.* *quassas.* Violentia Africi venti disjunctas et laceras.

indocilis. Indoctus, impatiens.

Acro: *indocilis. Pro indoctus vel impatiens pauperiem pati.*

19.

19. *est qui nec.* Ordo est: Est qui nec spernit, cet. Dicit alios lautiore vita delectari et conviviis apparatis, ut continuare diei possint aliquam partem.

Porphyrio: *est qui. Ordo: Est qui nec spernit. Dicit autem alios lautiore vita delectari.* Acro: *est qui nec. Est qui delectatur conviviis apparatis, ut continuare diem velit.*

Massici. Massicus mons est in Campania, ubi optima vina nascuntur, ut Virgil. » atqui non Massica munera Bacchi."

Acro: *Massici. Locus est in Campania, ubi optima vina nascuntur.*

20. * *solido.* Integro.

demere. Supple, ut non intermittat, sed in laetitia continuet unam partem diei.

Acro: *demere de die. Scilicet ut non intermittat, sed continuet laetitiam totius diei.*

21. *nec spernit.* Amat. Litote, ut Virgil. » Munera nec sperno."

Porphyrio: *nec spernit. Ut Virgil.* [Aen. VII. 261.] « *Munera nec sperno." Litote.* Acro: *spernit. Litote. Dicit alios lautiore vita delectari.*

viridi. Amoeno loco et conviviis apto.

Acro: *viridi. Amoena et conviviis apta.*

22. *stratus membra.* Synecdoche. Ut: » oculos suffusa niteteis." Pro eo quod est, habens membra strata cet.

Acro: *membra stratus. Figura est, ut* [Virgil. Aen. I. 228.] « *Oculos suffusa nitentes." Pro habens membra strata sub viridi arbore.*

* *le-*

» *lene caput.* Apud fontem scaturientem.

» *lene.* Leniter fluentis, quo strepitu suadet somnum.

aquae sacrae. Omnis enim fons in origine sacer est.

Acro: *sacrae aquae. Omnis enim fons in origine sua sacer est, et sonitu suo suadet etiam somnos.*

23. *multos castra.* Exercitium militare. Ut: » Juvat evasisse tot urbeis Argolicas."

Acro: *multos castra. Exercitium militare delectat. Ut* [Virgil. Aen. III. 282.] « *juvat evasisse tot urbes.*"

lituo. Litui acutus est sonus, tubae gravis. Inter tubam et lituum hoc interesse inveni apud antiquos scriptores, quod Lituus equitum est et incurvus; Tuba vero peditum et directa.

Acro: *lituo tubae. Litui acutus est sonus, tubae gravis. Inter lituum et tubam hoc distare inveni: lituus equitum est et incurvus, tuba vero peditum est, et directa.*

25. *detestata.* Exsecrata propter mortem filiorum: quia in bello juvenes et adolescentes animositate temerarii sunt periculorum contemtores. Ut Virgil. » Vota metu duplicant matres."

Acro: *detestata. Exsecrata propter mortem filiorum, qua* (l. quia) *in bello pueri et adolescentes animositate incauti sunt, ut Virgil.* [Aen. VIII. 556] « *Vota metu duplicant matres.*"

sub Jove. Ac per hoc sub coelo acri nocturno tempore, quo feris tenditur. Dicit autem alios studio venandi plerumque in silvis pernoctare relictis conjugibus.

Acro: *sub Jove. Jovem ponit aërem et nocturnum tem-*

tempus, quo feris tenditur. Porphyrio: *sub Jove. Ac per hoc sub coelo. Dicit autem alios studio venandi plerumque in silvis pernoctare.*

26. *tenerae conjugis.* Aut delicatae, aut nuper in matrimonium acceptae.

Acro: *tenerae. Aut delicatae, aut nuper in matrimonium copulatae.*

27. *fidelibus.* Sagacibus, silentium in investigando servantibus. Virgil. » et odora canum vis." Lucret. » fida canum vis."

Acro: *fidelibus. Sagacibus, vel silentium investigando* (l. in inv.) *servantibus. Virgil.* [Aen. IV. 132.] « *Et odora canum vis.*" Porphyrio: *fidelibus. Melius generaliter — nam et Lucretius* [L. VI. 1220.] «*Fida canum vis.*

28. *teretes.* De terete fune factas.

Acro: *teretes. Non teretes plagas, sed tereti fune factas.*

Marsus. Sabellus. Speciem pro genere posuit. Virgil. » dentemque Sabellicus exacuit sus." Majores enim forma et ferociores esse dicuntur.

Acro: *Marsus. Sabellus. Species* (l. speciem) *pro genere posuit; ut Virgil.* [Ge. III. 255.] « *Dentesque Sabellicus exacuit sus.*" *Majores enim forma et ferociores esse dicuntur.*

29. *praemia.* Poëtarum scilicet, quia poëtae hedera coronantur. Virgil. » Pastores hedera crescentem ornate poëtam Arcades." deinde: » atque hanc sine tempora circum Inter victrices hederam tibi serpere lauros." Dicit ergo divinum se honorem per poëma adeptum.

Acro: *praemia. Poëtarum scilicet, quia poëtae hede-*

de-

dera tantum solebant coronari. Virgil. [Ecl. VII. 25] « *Pastores hedera crescentem ornate poëtam.*" *Divinum ergo se honorem dicit per poëma adeptum.* Porphyrio : *Praemia doctarum frontium hederas ait, quia his poëtae coronabantur, unde et Virgil.* [Ecl. VIII. 12.] *ait:* « *Atque hanc sine tempora circum Inter victrices hederam tibi serpere lauros.*"

30.* *miscent.* Nam poëtae diis quodammodo similes sunt, propter sua scripta quae sunt immortalia.

31. *Nympharumque leveis.* Fere Lyrici carminis materia est, de amoribus, nemoribus et fontibus, ac si quia sunt his similia aut proxima.

Porphyrio : *Nympharumque. — Per ea egregiam gloria* (l. gloriam) *dicit consequi, de quibus canit fere Lyrici carminis materia, de nemoribus ac fontibus et si quae sunt his similia aut proxima.*

32.* *secernunt populo.* A vulgo separant et vilioribus, ac per hoc sublimem faciunt.

32.* *Euterpe cohibet.* Haec una Musarum est, et interpretatur, *bene delectans:* haec tibiam invenisse dicitur in qua sonus est vocalis.

"*Polymneïa.* Haec etiam una est Musarum, dicta quasi *multae memoriae.* Et est Epenthesis, sicut in illo Virgil. » alituum pecudumque genus Polymneïa cantat."

Scholion corruptum sic emendandum esse me docuit Peerlkampius: *Polymneïa. Haec etiam una est Musarum, dicta quasi* multae memoriae. *Et est Epenthesis, sicut in illo Virgil.* [Aen. VIII. 27.] « *Alituum pecudumque genus.*" *Polyhymnia est quae* multum cantat. — Scholiasta citavit *alituum* tamquam exemplum Epentheseos pro *alitum*, ut *Polymneïa* pro *Polymnia:* deinde tam *Polyhymnia* voluit explicare, quam explicavit *Po-*

Polymneïa. Eodem vitio laborat Acronis scholion: *Polyhymnia. Una ex Musis. Virgil. « Alituum pecudumque genus Polyhymnia cantat.*" Integer Virgilii versus est: *Alituum pecudumque genus sopor altus habebat.* Sed clausula *Polymneïa cantat*, quae in utroque scholio tamquam Virgilii verba citatur, nusquam apud Virgilium legitur.

34. *Lesboum.* A Lesbo insula dictum, propter Alcaeum poëtam.

Acro: *Lesboum. A Lesbo insula; de Alcaeo dicitur.*

barbiton. Lyram majorem septichordem.

Acron: *Barbiton. Lyram dictam a sono. Dion etiam libro septimo, Citharoedi, inquit, Lyras septicordes eburneas, quae Barbita dicuntur, tendentes, quorum usus obsolevit aetate mea. Haec ille.* Nempe Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. L. VII. p 476. 26. Sylb. « Κιθαρισταὶ λύρας ἑπταχόρδους ἐλεφαντίνας, καὶ τὰ λεγόμενα βάρβιτα κέρκοντες· ὧν παρὰ μὲν Ἕλλησιν ἐκλέλοιπεν ἡ χρῆσις ἐπ᾽ ἐμοῦ." Sed fere non dubito quin hoc testimonium ab aliena manu, ex Anto. Mancinelli annotatione, in Acronis Commentarium intrusum sit. Et in antiquioribus Edd. istud non legitur.

35.* *Lyricis.* Qui omnes Graeci erant: nam primus poëta lyricus latinus fuit Horatius.

inseres. Id est o Maecenas, si me recipies in numerum Lyricorum poëtarum, ad caelos usque evehar.

Acro: *feriam sidera. Si me receperis inter Lyricos poëtas, tunc merito gloriae adaequabo astra.*

Apparet satis, ni fallor, id quod diximus, Scholia quae Cruquius Commentatoris nomine edidit, esse congeriem ex variis enarratoribus sed potissimum ex Acrone et Porphyrione constipatam; adeo ut

ut Barthii argumentatione vix egeamus. *Quod de hoc autem dixi*, sic scribit Barthius in Advers. L. XI. c. 2. *congeriem variorum esse, facile ex auctoribus, quos citat, agnoscimus, ut ea regula judicandis scriptoribus talibus fere non fallit. Producuntur Graeci auctores quos non habemus: Anacreon ad L. I. c. 27. Ennius aliquoties, Stesichorus, Archilochus, Lucilius, Varro. Alii qui minime vulgi manibus, ut arbitror, triti erant, inter quos est Petronius ad carmen 5 Epod., ad 15 Appulejus. Jam vero et cadentis aevi nominantur Servius ad L. III. c. 1. Donatus ad L. II. c. 7. Sedulius poëta Christianus ad Epod. 13 ex quibus vel folio patere potest aevi varii esse prolem.*

Melius igitur, mea quidem sententia, de Literis meriturus fuisset Cruquius, si, quae in singulis invenisset Codicibus, Scholia suo quaeque numero, nec vero uno omnia tenore edidisset. Haberemus tum variorum interpretum labores, quorum, etsi nomina ignoraremus, facile apparere potuisset, variam esse aetatem, variam doctrinam, variam auctoritatem: quorum alii aliis majorem sibi laudem vindicarent, alii satis cito, ut recentioris aevi proles, abjici potuissent.

Itaque quum talis sit horum Scholiorum indoles, eos operam perdere censeo qui de Commentatoris doctrina, aetate vel religione hariolari velint, perinde ac si unus aliquis horum Scholiorum auctor sit. Hoc tamen fecit Thom. Munckerus qui ad Hygin. fab. 138. (p. 575. *b. edit. v. Stav.*) opina-

natur Commentatorem fuisse Christianum, propter haec duo ipsius scholia:

ad A. P. 308. QUID DECEAT. *Quid sit decorum scribere et utile. Divus Augustinus in libro de Doctrina Christiana dicit, hic inprimis legendum esse hunc poëtam.*

ad A. P. 332. LINENDA CEDRO. *Cedrus est arboris species, cujus resina nigri coloris est, qua quidquid fuerit oblitum, numquam putrescit: unde nobilium poëtarum chartae hac oblinebantur, ne corrumperentur a tineis. Hac etiam vidimus particulas sanctae crucis oblitas, quarum color velut Indicus apparebat. Cupressus autem est cedri species, unde confici solent capsulae, in quibus reponebantur scripta poëtarum contra tineas.*

addo duo alia scholia, in quibus Isidorus et Sedulius, qui uterque scriptor Christianus fuit, citantur:

ad Carm. III. 29. 4. BALANUS. *Balanus generaliter appellatur omnis glans sive nux: specialiter autem glans odorifera, de qua conficitur unguentum satis unctioni capitis aptum, quod appellatur myrobalanum, teste Isidoro* [Orig. L. IV. c. 12. §. 6.]: *hic autem glandem pro unguento posuit.*

ad Epod. 13. 8. ACHAEMENIA PERFUNDI NARDO. Achaemenia, *Persica, ab Achaemene Persarum rege, cujus ira sedari non poterat, nisi caede duodecim hominum.*

Sedulius [Paschal. Carm. I. 184.] „*Cujus Achaemeniam rabies accenderet iram.*" *Vet. Persae primum dicuntur invenisse usum nardi.*

Rectius igitur, sic equidem opinor, contendisset Munckerus, ex istis quidem scholiis apparere, fuisse inter eos quorum Scholia Cruquius collegit, saltem unum, qui Christianae Religionis cognitionem habuerit.

Qualiscunque autem horum Scholiorum origo fuerit, hoc tandem a me monitum esse velim, futurum Horatianorum Scholiastarum editorem vix telam suam bene pertexturum esse, nisi hunc, qualis a Cruquio ex locupletioribus et subinde minus inquinatis Codicibus editus est, laborem diligenter et κατὰ πόδα, sed et caute usurpet ad emendanda, quae vel in Fabricii editione interdum miserrime corrupta sunt, Acronis et Porphyrionis Scholia.

Memoratis interpretibus, quorum opera supersunt, nunc videamus de iis, quorum lucubrationes perierunt.

Acronem et Porphyrionem non fuisse Horatianorum interpretum antiquissimos, adeoque fuisse nonnullos his antiquiores, satis manifesto inde apparet, quod ii ipsi in suis Commentariis aliorum interpretationes memorent: quamquam omisso sem-

semper nomine, et additis solummodo, ut supra vidimus, verbis *quidam volunt*, *alii dicunt*, *alii sic exponunt.* At vero quantas ipsis gratias haberemus, si, quorum operam subinde usurparint, nomina addidissent: quemadmodum Servius fecit in memorandis interpretibus qui ante se in Virgilium commentati fuerant. Hi autem quum satis habuerint dicere *nonnullos* sic, *alios* aliter interpretatos esse, eo sane nomine Horatiani minus quam Virgiliani de Literis meruerunt Scholiastae.

E Charisio scimus, Scaurum aliquando in Horatii Artem Poëticam scripsisse Commentarium: sed reliquorum interpretum, si qui fuerint, nomina aliunde non cognoscuntur nisi ex clausula Vitae Horatii, ab incerto auctore scriptae, quam primus, quod scio, edidit Michaël Bentinus e Codice, cujus copiam ipsi fecerat Jo. Sichardus. Huic autem notitiae an merito plenissima fides haberi possit, ideo dubitamus, et quod ista Vita ignoti parentis proles sit, et quod clausula ista in aliis Codicibus aliter exhibeatur. In Bentini editione (quae Basileae prodiit 1527.) Vita ista sic prostat:

Q. Horatii Flacci Vita ex Vetusto quodam exemplari descripta.

Q. Horatius Flaccus, libertino patre natus in Apulia, cum parente in Sabinos migravit. Quem cum pater puerum Romam misisset in ludum literarium, parcissimis eruditus impensis, angustias patris vicit ingenio: coluitque adolescens Brutum, sub quo Tribunus militum, civili bello

 mi-

militavit, captusque a Caesare, post magnum tempus, beneficio Mecaenatis non solum servatus, sed etiam in amicitiam receptus est. Quapropter Mecaenati et Augusto in omnibus scriptis suis venerabiliter assurgit. Scripsit Carminum Lib. IIII. Carmen Seculare: Epodon: de arte poëtica: Epistolarum Lib. II. Sermonum II. Commentati sunt illum Porphyrion, Modestus, J. Gelenius, Acron, omnium optime C. Aemilius.

Finis.

Qui breviore spatio Bentini editionem secuti sunt editores, ad verbum omnino hanc Vitam repetiverunt, quemadmodum Henricus Petrus in Horat. edit. Basil. ad cujus finem notatus est a. 1545.

Sed Fabricius pro duobus nominibus *J. Gelenius* et *Acron*, unum substituit *Helenius Acron:* et ita e Blandinio Codice edidit Cruquius p. 697.

Porro pro *omnium autem optime, C. Aemilius* Cruquius ex eodem Bland. Cod. dedit *omnium autem optime Acron:* quod plerique recentiores interpretes servarunt, Baxterus, Janus, Mitscherlichius.

Et Parrhasius tandem, cujus disputationem supra retulimus p. 48. istam clausulam sic exhibet: *Commentati in illum sunt Porphyrion, Modestus et Helenius Acron omnibus melius:* sed unde ita legendum esse didicerit, non memorat. Vix autem dubito quin ita scriptum repererit in aliquo Codice MSto. Mirum enim est quantopere Codd. in his verbis a se invicem discedant. In MSto Franeke-

ra-

rano legitur: *Commenti in illum sunt Porphirion, Modestus, Helenius et Acron; melius omnibus Acron.* Codex Thevenotianus habet: *Commentati sunt in illum Porfyrius Modestus Acron. et Helenus. Sed Acron reliquos vicit.*

Idem autem Parrhasius opinatur, Vitam istam ab Acrone conscriptam esse, eoque nomine Acronem reprehendit, quod, ubi Horatii interpretes connumeraret qui ante se inclaruissent, semet ipse ceteris omnibus anteposuisset.

Sed praeter dubitatam incertamque scripturae diversitatem, hoc potissimum illius Vitae auctoritatem dubiam reddit, quod, quum ignoretur qua aetate conscripta fuerit, incertum sit, an ipsius auctori cognita esse potuerint antiquissimorum interpretum nomina: quorum adeo lucubrationes jam mature interiisse verosimile est, quandoquidem ipsas nec Charisius cognoverit, nec Priscianus, nec quisquam veteris aevi grammaticus. Quapropter, quum ipse Aemilii et Modesti nomina non ex aliorum mentione cognoscere potuerit, alterutrum statuamus necesse est: aut ipsum istorum interpretum nomina finxisse, ideoque nullam fidem mereri, aut eo aevo ipsum vixisse, quo adhuc Aemilii et Modesti Scholia superessent, vel saltem satis certa fama esset istos olim in Horatium scripsisse. Quod in aliorum testimoniorum penuria maxime dubium manebit. Sed instituti nostri ratio requirit, ut singuli a nobis memorentur.

§.

§. 3.

C. Aemilius.

In eorum igitur interpretum numero, quorum Scholia dudum perierunt, primo loco memoramus C. Aemilium, etsi Horatii vitae Enarrator hunc postremo loco posuerit: a cujus quidem ordine non recedendum putassem, modo certum fuisset ipsum antiquos illos interpretes chronologico ordine memorasse. Quod quum ille parum curasse videatur, singulorumque, quos nominat, aetas aeque obscura sit, non immerito hunc honorem Aemilio tribuisse videbimur, si hoc fecisse dicamus propter praecellentem doctrinae laudem, quam idem auctor ipsi tribuit. Quid enim quaeso, in tanta brevitate, majus dici potuerat quam quod *omnium optime* in Horatium commentatus sit? quod, si recte judicatum sit ab anonymo scriptore, paene non dubito dicere, nihil magis esse dolendum quam quod Aemilii opera sic penitus interierit, ut nobis de ipsa nihil praeter gravissimum desiderium supersit.

Fabricius suspicatus est, aliquas Aemilii annotatiunculas latere in Acronis Commentariis: in quam opinionem hae re se adductum esse dicit, quod in Acronis Commentariis ad unum locum saepissime binae, interdum tres pluresve, diversi potissimum generis, expositiones inveniantur. Hoc igitur ita intelligendum est, ut Fabricius secundam quamque et tertiam ejusdem loci expositionem ex Aemilii,

Mo-

Modesti, vel Scauri Scholiis, recentiorum librariorum manu, in Acronis Commentarios intrusam esse putaverit.

Equidem in eo assentior Fabricio, ut verosimile esse opiner, latere in Acronis Commentariis nonnullas, ut Aemilii, sic et reliquorum antiquiorum interpretum explicationes; in eo tamen ab ejusdem suspicione discedendum esse arbitror, ut ipsas non censeam a recentioribus librariis adjectas esse, sed potius ab ipso Acrone et Porphyrione usurpatas, Id est, suspicor antiquiorum interpretum annotationes in iis scholiis latere, in quibus Acro et Porphyrio usurpant illud *alii dicunt* vel *nonnulli sic exponunt:* non vero, quod Fabricius opinabatur, in iis scholiis in quibus binae vel tres explicationes prostant interpositis voculis *aliter*, *vel*, *item*, similibus. Quas equidem, ut supra dixi, pro librariorum additamentis, sive ex proprio ingenio, sive alicunde, depromtis, habendas esse censeo.

Ceterum, quum omnis de Aemilio notitia, unico, quod memoravimus, Enarratoris istius testimonio contineatur, nihil omnino notum est nec de aetate qua vixerit, nec de Commentariorum fatis, quos scripsisse perhibetur.

§. 4.

Modestus.

Neque certiora scimus de Modesto, quem idem Enarrator inter Horatii Commentatores numerat. Hujus quidem nominis fuisse aliquando Grammaticum,

sa-

satis probant diserta auctorum testimonia. Martialis L. X. Epigr. 21. »*Scribere te, quae vix intelligat ipse Modestus, Et vix Claranus, quid, rogo, Sexte, juvat?*" Quintilianus L. I. c. VI. »*Ingeniose sibi visus est Cajus Granius* coelibes *dicere, veluti* coelites, *quod onere gravissimo vacent, idque graeco argumento: ἠιθέους enim eadem de causa dici affirmat. Nec ei cedit Modestus inventione: nam quia Coelo Saturnus genitalia absciderit, hoc nomine appellatos, qui uxore careant.*" Disertius etiam Suetonius de Illustr. Gramm. c. XX. ubi narrat Hyginum habuisse libertum, Julium Modestum nomine, *qui in studiis atque doctrina patroni vestigia secutus sit.* Porro Gellius L. III. c. 9. memorat Julium Modestum *in secundo Quaestionum confusarum.* Et Macrobius denique ter Julii Modesti mentionem facit L. I. Saturn. c. IV. »*Julius Modestus de Feriis.*" L. I. c. X. »*Julius Modestus ideo sacrificari Angeroniae deae, quod populus Romanus morbo, qui Angina dicitur, praemisso voto sit liberatus.*" L. I. c. XVI. »*Julius Modestus affirmat, Messala augure consulente pontifices an nundinarum Romanarum nonarumque dies feriis tenerentur, respondisse eos nundinas sibi ferias non videri.*"

Sed quum nemo horum narret, illum Modestum in Horatium commentatum esse, merito dubitare videmur, an hic idem auctor habendus sit. Idque etiam dubitavit Janus. Is tamen addit: »*Forte rectius putetur is, quem Charisius (p. 183. Putsch.) artis scriptorem disertissimum dicit.*"

Ad

Ad hanc vero opinionem quod attinet, vereor ut Janus argumentum repererit quo probari posset; quem adeo censeam satis temere Fabricii vestigium secutum esse, qui, ut supra p. 8. vidimus, idem Charisii testimonium adduxit. Id igitur Janus satis fidenter e Fabricio desumsit. Equidem saltem hoc apud Charisium reperire non potui.

Sed alia apud Charisium exstant testimonia, quae egregie probant Modestum aliquando Grammaticae operam navasse. Sunt haec hujusmodi:

p. 56. PLURUM *Modestus putat esse dicendum, non* plurium *cum* i. *Ea enim nomina quae comparanda sunt, genitivo* i *habere non debent; ut: fortiores*, fortiorum; *meliores*, meliorum; *sic plures, horum* plurum; *sed consuetudo* plurium *cum* i *dicit. Unde et Terentius in Phormione* [IV. 3. 6.] » *Nova hic compluria*" *dixit.*

p. 58. TUS, *a tundendo, sine adspiratione dicitur, quamvis Julius Modestus ἀπὸ τοῦ θύειν tractum dicat.*

p. 78. LARGE *et* LARGITER, *Julius Modestus utrumque recte dici ait: sed* large *esse qualitatis*, largiter *quantitatis, unde nascitur* largitas *aut* largitio, *nam* largitudo *nusquam invenitur nisi apud Nepotem* [in fragm. c. VII. 2. T. II. p. 356. ed. Bardil.]

p. 80. GULAM, *ut Julius Modestus ait, per* u *scribemus, non per* y, *quae Graecis vocabulis necessaria est et saepe in* u *trans-*

transit; ut Suecius ait in Mido » *Inter se degularunt omnia.*" *Afranius in Brundusinis* » *Degulasse oportuit.*"

p. 100. Compluria, *Terentius in Phormione* [IV. 3. 6.] » *Nova compluria.*" *ubi Plinius, Julius Modestus, inquit, ita definiit: Quae nomina comparandi fuerint, et accusativis pluralibus in is exient s. fortioris*, fortiorum, *facere debet, non* fortiorium, *id est, ante um syllabam* i *recipere non debet, ita* complura *et* complurum *esse dicendum, consuetudo tamen et hos* plures *dicit et haec* pluria.

p. 188. Large. *Julius Modestus ait qualitatis hoc esse.* Largiter *idem Modestus ait quantitatis. Denique Laberius in Augure* » *Largiter, inquit, lucri feci.*"

Equidem autem hac in re nihil certi statui posse existimo. Ubi enim Janus statuere vellet, Modestum, Horatii commentatorem, potius esse eum qui a Charisio quam qui a Suetonio memoretur, prius demonstrare debuerat Charisianum et Suetonianum duos fuisse Grammaticos: quod quidem in aliorum testium desiderio non magis probari potest quam Charisianum fuisse qui in Horatium scripserit.

§. 5.

Q. Terentius Scaurus.

Aemilio et Modesto admodum notior est Q. Terentius Scaurus, *grammaticus*, ut a Gellio L. XI. c.

c. 15. vocatur, *vel nobilissimus divi Hadriani temporibus*, de quo supra exposuimus in Virgilii interpretibus. Hunc autem, quem et alia grammatica opera scripsisse certum est, etiam in Horatii Artem Poëticam commentatum esse, diserte docet Charisius, duo inde fragmenta memorans:

p. 182. IMPARITER. *Horat. Epistol.* [ad Pisones vs. 75.] » *Versibus impariter junctis*" *ubi Terentius Scaurus in Commentariis in artem poëticam L. X. Adverbium, inquit, figuravit.*

p. 188. PRIMUS. *Pro inprimis, uti Maro* [Aen. I. 1.] » *Trojae qui primus ab oris*" *ubi Terentius Scaurus Commentariis in artem poëticam libro decimo, Non quia ante omnes, inquit, sed ante quem nemo est, et addit, quo genere plures primi accipi possunt.*

Praeter haec vero de toto Commentario, qui, ut a Charisio docemur, saltem decem librorum fuit, nihil omnino superesse, et Horatii et universe Literarum causa dolendum est.

Stephanus tamen in Diatr. de Porphyr. p. 166. §. 39. suspicatur Scauri aliquod fragmentum latere in hoc Porphyrionis scholio

ad Sat. II. 5. 92. STES CAPITE OBSTIPO. *Tristi ac severo. Secus inclinato dicit.*

quo loco pro *Secus* opinatur legendum esse *Scaurus:* idque in vetusto exemplari se invenisse dicit Canterus Nov. Lect. L. II. c. 16. (in Grut. Lamp. III. 557.); quin et confirmatur a Commentatore Cruquii, apud quem haec leguntur:

ad

ad eumd. locum. Obstipo. *Fixo, immobili, tristi; vel, ut Scaurus dicit, inclinato in alterum humerum.*

Inde autem oriri possit haec quaestio, an Scaurus quoque in Satiras commentatus sit, quandoquidem hoc epitethon in Arte Poëtica non occurrat, neque in Virgilii carminibus. Sed quis hoc probaverit? quum et in aliis Scauri operibus, quae perierunt, Horatii Scholiastae istam interpretationem reperire potuerint. Neque etiam absurdum est statuere, Scaurum in Commentario ad Art. Poët. largam occasionem invenisse de aliis verbis disputandi, quam quae in ipso libello, quem explicaret, invenirentur.

§. 6.

Anonymi qui de Personis Horatianis scripserunt.

Praeter Scholiastas, quos memoravimus, Fabricius huc quoque retulit anonymos scriptores *qui de Personis Horatianis scripserunt*, quorum meminit Porphyrio hisce scholiis (1):

ad

(1) Dubium est, an Porphyrio eosdem hoc quoque scholio significaverit: ad Sat. I. 1. 105. *Est inter Tanaim quidam. Sumsisse hoc ex proverbio Graeco, sub nominibus relatum est.*

ad Sat. I. 3. 21. MAENIUS ABSENTEM. *Qui de personis Horatianis scripserunt, aiunt Maenium scurrilitate notissimum Romae fuisse: hic, post patrimonium abrosum, Calendis Januariis, in Capitolio clara voce optavit, ut quadraginta nummorum aeris alieni haberet. Quaerente quodam quid sibi vellet, quod tam solenni die aes alienum optaret habere, Noli mirari, inquit, Octingenta habere debeo* (1). *Hic fertur domo sua, quam ad forum spectantem habuerat, divendita, unam columnam sibi ibi excepisse, unde gladiatores spectaret, quae ex eo* Columna Maenii *nominabatur, cujus et Lucilius* [p. 13. ed. Fr. Dousae] *sic meminit: » Maenius columnam cum peteret."*

ad L. I. Sat. 3. 91. MENSAVE CATILLUM EUANDRI. *Qui de personis Horatianis scripserunt, aiunt Euandrum hunc caelatorem et plasten statuarum, quem M. Antonium ab Athenis Alexandriam transtulisse, inde inter captivos Romam perductum, multa opera mirabilia fecisse.*

Vix

(1) Lege *Octoginta debeo*: nam, ut Gesnerus ad h. l. recte monuit, verbum *habere* redundat in hac narratione; et ad *quadraginta et octoginta* minimum *millia* intelligi debent: vel potius notae numerales legendae per adverbia *quadragies*, *octogies*.

Vix dubitare licet, quin horum scriptio magnopere profuerit Horatii Carminum, inprimisque Satirarum et Epistolarum intelligentiae (1), adeo quidem ut non minus dolendum sit, ipsam periisse, quam Donati libellum de Historica Exegesi Aeneidos desiderari (2). Sed quandoquidem non scripserint scholia, equidem hos Scholiastarum numero eximendos esse opinor.

Porphyrio plurali numero loquitur *qui scripserunt*: neque tamen haec loquendi ratio necessario suadere videtur, ut cogitemus, plures fuisse qui hoc argumentum datâ operâ tractaverint. Et sic

(1) Audi Weichertum in Disput. *de Iarbita Timagenis aemulatore* §. 1. in opere laudato p. 391. „*In interpretandis Q. Horatii Flacci carminibus plurimum interesse, ut personas, quibus illa vel inscripta sunt vel quae in eis nunc diserte nunc breviter et quasi in transitu memorantur, cognitas et necessitudinem, quae illos inter et poëtam intercederet, perspectam habeamus, inter omnes constat. At vero haec res quot quantisque implicita sit difficultatibus et quam densa prematur caligine, neminem fugit, qui umquam eam interpretationis partem tentare easque tenebras dispellere animum induxerit. Quare vehementer dolendum est, quod eorum, qui de* Personis Horatianis *scripserunt, libros a Scholiastis passim memoratos nobis intercepit temporum iniquitas: quo factum est, ut, quae sit poëtae mens, quique hujus illiusve loci verus sensus atque acumen, aut prorsus nos lateat, aut non nisi incerta ambiguaque conjectura queat constitui. Quod cum in universum de Horatii poëmatis valeat, tum praecipue in ejus Satiris atque Epistolis locum habet*"

(2) Barthii querelam de interitu Donatiani operis supra memoravimus Part. II. p. 48.

sic Porphyrionis verba intellexit Weichertus; qui adeo suspicatur Acronem fuisse hujus scriptionis auctorem, argumento quod haec nusquam ab Acrone, sed solummodo a Porphyrione in partes vocetur. » *Istius προσωπογραφίας auctor*, sic scribit Weichertus, *quis fuerit ex multis illis, qui in Horatium commentati sunt, ne probabili quidem conjectura divinari potest. Id autem notatu dignum videtur, illud opus nusquam, quod meminerim, ab Acrone, sed a Porphyrione demum allegatum inveniri, quem illo juniorem fuisse certum est: nam Porphyrio usus est Acronis Commentariis, ut ipse ait ad Libr. II. Satir. I. v. 25. Cf. Funccius de inerti et decrepita L. L. senectute Cap. IV. §. 10. p. 307. Hinc facile quis colligat, illud de personis Horatianis opus ab ipso Helenio Acrone esse compositum.*" Haec autem Weicherti suspicio, si verum fateor, mihi quidem non admodum probabilis videtur: et argumentum, quo ista nititur, sane est levissimum. Si utique Acro, priusquam Scholia in Horatium scriberet, προσωπογραφίαν Horatianam scripsisset vel post ista absoluta scribere constituisset, alterutrum certe fuerat exspectandum, ipsum, ad eos versus in quibus poëta aequalium suorum mentionem facit, aut suam operam fuisse memoraturum, aut nihil fuisse annotaturum. Jam vero scito Acronem de singulis fere, quae apud Horatium memorantur, personis more suo annotasse. An igitur putas hoc ab eo factum iri, qui data opera librum de personis Horatianis aut scripsisset aut scripturus fuisset? Equidem, si mea sententia rogatur, non putaverim.

§.

§. 7.

Commentator ab Acrone memoratus.

Incertum est, utrum inter Scholiastas referendus sit anonymus Commentator, quem Acro memorat: ad A. P. 120. SI FORTE REPONIS. *Apud Commentatorem sic inveni relatum: » Apud » antiquos, tragoediarum comoediarumque scriptores cum primum in scenam » prodirent, favorabiliter excipiebantur, etiamsi male agerent, ut illorum » ad scribendum iterum allicerentur animi, et praetore cogente totam necesse erat peragi fabulam. Si vero » iterum male egissent, incipiebant derideri." Et ideo dixit* reponis, *quasi iterum profers* (1).

Nam quum Acronis testimonium non diserte narret eum Commentatorem scholia scripsisse, quin et re-

(1) Ex Acrone ducta sunt quae ad h. l. extant in Scholiis a Cruquio editis: *Apud Commentatorem inveni relatum: Cum primum scriptores comoediarum aut tragoediarum in scenam prodirent, favorabiliter excipiebantur, etiamsi male agerent: et praetore cogente totam necesse erat peragi fabulam. Si vero postea iterum* (dele istam vocem) *eandem fabulam reponerent, id est, iterum, sed male agerent, tunc plane explodebantur."*

reticeat utrum liber, ab ipso scriptus, unice ad Horatium pertinuerit, adeoque ignoretur omnino, cujusmodi Commentarius ille fuerit, sive historicus, sive prosopographicus, sive, quod fortasse verosimile est, antiquarius, equidem caute potius quam audacter pronuntiare malo. Nec credo, quemquam fore, qui ex hoc unico fragmento, de totius Commentarii forma et argumento quidquam certi subodoretur.

Vellem, quod divinare debuimus, certo constaret, quam late pateat Commentatoris fragmentum, id est, sintne ea, quibus istud scholion finitur, Commentatoris verba, an vero Acronis, explicationem suam ex isto loco derivantis. Frustra hac in re a MSS. Codd. opem petimus; in omnibus enim, quos quidem viderim, haec verba non magis distincta sunt quam in Editionibus. Quodsi vero aliunde probari possit, postrema ista *Et ideo — profers* esse Commentatoris verba, fatendum erit, hujus laborem et ad Horatium pertinuisse et ab ea, quam Scholiastae secuti sunt, explicandi forma non omnino fuisse alienum.

§. 8.

Diomedes, Marius Victorinus, Caesius Bassus et Attilius Fortunatianus.

Hos quatuor scriptores reticere nolui quoniam a Fabricio in Horatianorum interpretum numerum re-

relati sunt. Potuerant tamen, mea quidem sententia, impune praeteriri, quandoquidem nemo ipsorum Scholia scripsisse narratur. Non nego equidem singulos aliquam in Horatii carminibus operam posuisse: sed alio scriptionis genere de hoc poëta meruerunt quam Scholiastae. Scripserunt enim de metris, quibus Horatius usus est; alii quidem libellis peculiaribus, alii in majoribus de Grammatica operibus.

Diomedes scripsit *de Oratione et Partibus orationis et genere metrorum* Libros tres, qui editi sunt a Putschio in Grammaticorum Corpore p. 270—529. Postrema pars tertii libri p. 517—529. inscribitur *de Metris Horatianis.*

Marius victorinus *de Orthographia et ratione metrorum* quatuor Libros scripsit, editos a Putsch. p. 2449 — 2622. Postrema pars libri quarti p. 2609 — 2622. agit de Metris Horatianis.

Caesius bassus singularem libellum scripsit *de Metris*, in quo de Horatii metris exposuit. Prostat apud Putsch. p. 2663 — 2671.

Attilii fortunatiani opus, quod *Ars* inscribitur, item superest, sed misere laceratum, editum a Putschio p. 2671 — 2706. In postrema parte p. 2698—2706. disputat *de Metris Horatii.*

Sufficiet indicasse quales libri a singulis scripti sint: nam vel ex titulis librorum facile videmus, hos nullo omnino jure ad Horatii Scholiastarum numerum referri.

§.

§. 9.

Mavortius
et
Felix.

Nec majori jure Mavortius et Felix inter Horatii Scholiastas referentur, quum certum sit, hos nec Scholia scripsisse nec quidquam aliud, quod hujus poëtae interpretationi inserviret, operatos esse, quam ut Horatium emendaverint, id est, correxerint vitia, quibus exempla Horatianorum carminum imperita scribarum et librariorum manu conturpata erant. Praestiterunt igitur Horatio, quod Terentio praestitit Calliopius. Sed ille solus; hi conjuncta opera. Habebat, sunt Peerlkampii verba, uterque exemplum, in quo Carmina Horatii erant scripta. Mavortius suum legit, hoc est recitavit. Recitante Mavortio, Felix suum exemplum inspiciebat et lectionum diversitatem indicabat. Hoc enim est conferre, Graece ἀντιβάλλειν et παραναγιγνώσκειν. Tum constituebant lectionem, quae vera ipsis videbatur, et Mavortius suum exemplum emendabat. Qui, absoluta carminum Horatianorum recensione, usitatam formulam subjunxit: VETTIUS AGORIUS BASILIUS MAVORTIUS V. C. ET INL. EXCOM. DOM. EXCONS. ORD. LEGI ET UT POTUI EMENDAVI. CONFERENTE MIHI MAGISTRO FELICE ORATORE URBIS ROMAE. Vide Peerlkampium docte et copiose de Mavortio et Felice disserentem in Epistola ad Descurium p. XIX — XXIII.

Restat memorare ineditos Scholiastas, id est, quorum Scholia adhuc in Bibliothecarum pulvere latent, necdum in lucem edita sunt. De his autem pro rei gravitate satis diligenter disputare, perquam difficile est. Primum enim plerique editores Horatii, in memorandis Codd. MSS. quos usurparint, valde negligentes fuerunt, satisque habuerunt varietatem lectionis descripsisse, de Scholiis et Glossis ad Codicum margines notatis nihil solliciti. Tum quoque in exteris regionibus multi dicuntur esse Horatii Codices, numquam manu tractati, quorum margines scatent Glossis et Scholiis, quae tamen utrum cum editis conveniant, an vero ab Acronis et Porphyrionis labore diversa sint, omnino ignoratur: cujusmodi plures sunt in Parisiensi Bibliotheca, item Vindobonae, Florentiae, alibi. Si quis igitur de ineditis Horatii Scholiastis satis graviter disputare velit, is vel ipse exterorum regiones peragret et inedita cum editis conferat, vel peritiorum notitias curet sibi impertiri.

Plerorumque Horatii Scholiastarum laborem, qui in Bibliothecis extare narrantur inediti, equidem nihil aliud esse opinor, quam Scholia vel ex Acronis vel ex Porphyrionis vel ex amborum Commentariis modo ad verbum excerpta, modo in brevius contracta, admixtis passim laciniis, Epitomatorum cum ignorantiam tum barbariem redolentibus. Talis omnino facies est duorum Scholiastarum, e quibus

bus Barthius specimina publicavit; item ejus quem olim Graevius habuit; tum vero etiam quem possidet Bibliotheca Franekerana et duorum qui in Bibliotheca Leidensi repeiuntur. Horum omnium labores cum editis Scholiastis conferre, operae pretium erit; quo facto apparebit, quod adhuc quidem falso credidit vulgaris opinio, singulos istos nequaquam id praestitisse, quo peculiares Scholiastae haberi mereantur.

In aliis vero alia ratio esse videtur. Praeter duos, de quibus dixi, Barthius tertium quemdam cognovit, cujus Scholia ab editis plane diversa sunt. Bibliotheca Sangallensis habet Codicem cum Scholiis ineditis aliunde non cognitis, e quibus Orellius nuper speciminis causa particulam publicavit. Et Bibliotheca Leidensis tertium quemdam possidet ineditum Scholiastam Horatii, qui, quamquam pauca ex Acrone consarcinavit, longe tamen majorem scholiorum partem ex proprio ingenio depromsisse videtur. Bibliotheca Parisiensis habet Codicem (n. 7985), qui complectitur Anonymi Expositionem in Horatii Artem Poëticam et Satiras: alium (n. 8220), quo continentur Anonymi Annotationes in Odas. Bibliotheca Erlangensis habet Codicem in quo sunt Horatii Odae cum Scholiis (1). Vindobonae Codex

(1) Erlangensem tamen dubito an pro peculiari Scholiasta habeam. Hujus enim labor, notante Harlesio in Introd. in notit. Litterat. Roman. (Norib. 1781) P. II. p. 370. adeo cum editis Scholiis convenit ut tantum *aliquoties discedat*. Sic enim scribit Harlesius: *Bibliotheca Academica Erlangensis possidet Cod. membranaceum, qui conti-*

dex est (n. 244), qui continet Anonymi cujusdam auctoris Scholia in Artem Poëticam, cujus initium est: *In hoc libro est intentio Oratii tractare de poëtica arte:* item duo alii (n. 282 et 283), qui continent incerti auctoris Scholia in XVIII priores Epistolas et in nonnulla carmina lyrica. Florentiae est Codex (in Plut. LXXXXI. n. 22), qui continet Eclogas, Carmina, Epodon librum et Carmen Saeculare cum Scholiis, quae valde docta sunt judice Bandino Bibl. Laurent. T. III. p. 756. Et sic in aliis fortasse Bibliothecis alii Codices cum ineditis Scholiis latebunt (1).

Nos quidem de his, qui in exterarum regionum Bibliothecis servari dicuntur, thesauris, quum judicare non possimus, aliorum notitiam exspectamus; et nunc tantum de iis agere poterimus, qui, vel apud nostrates reperiuntur, vel ex aliorum diligentia

tinet Odas Venusinas, ubi vel supra scripta sunt interpretamenta et interdum diversae lectiones, vel orae adscripta, quamquam haud admodum multa, Scholia, quae aliquoties discedunt a reliquis editis.

(1) Ex Scholiasta Mediolanensi unum scholion, idque ab editis diversum, memorat Baxterus ad Art. Poët. 50. Et Laguna ad Lucan. I. 227. memorat elegantem glossam ad Horatium. Sed non addit ex quonam Codice hanc desumserit. Vide Peerlk. ad Carm III. 5. 1. Porro Sanderus Bibl. Belg. MSS. p. 60. memorat *Oratii Carmina cum Explanatione* inter Codices Bibliothecae Marchianensis. Et denique in Bibliotheca Nobil. Ebneri exstare *Commentarios in quasdam Horatii Odas, in Artem Poëticam, libros Sermonum et Epistolarum* docet Struvius supra a nobis excitatus Part. II. p. 254.

tia nobis quodammodo innotuerunt. De his vero hoc in universum pro certo statui posse videtur; omnes fere ineditos Scholiastas, quo antiquioris aetatis indicia prae se ferant, eo plura ex Acrone et Porphyrione desumsisse; et quo plura inde consarcinaverint, eo melius istos interpretum munere defunctos esse in iis, quae ipsi addiderint. Et sic contra, quo magis scholia differant ab editis, eo sequioris aevi ipsorum auctores habendos esse opinamur.

§. 10.

Scholiasta Barthianus Primus sive Metensis.

Quas Barthius, quum aliquando Metis esset, ex venerandae vetustatis Codice membranaceo Odarum Horatii (1) descripsit Glossas, et deinde in Ad-

(1) *Venerandae vetustatis* ita scribit Barthius l. c. *Codicem membraneum Odarum Horatii inspiciendum nactus sum, quo quoniam ultra unam et alteram horam uti non possum, glossas tamen nonnullas inde describam, ut vel sic prosim familiari meorum unico* Et ad finem capitis: *Haec et plura talia, non indigna Horatio enarrando Metis in Codice plus quam nongentorum annorum inveni, quem si quando eam urbem redire dabitur, videbo an pretio indipisci possim.* Idem L. XXXVI. c. 14. narrat se istum Codicem esse ineptum; ibidemque quinque inde scholia memorat.

Advers. L. XXXV. c. 2. edidit, earum auctorem vulgaris opinio, Barthii vestigia premens, credidit esse novum Horatii interpretem. Sed, mea quidem sententia, auctor nequaquam meretur peculiaris Scholiasta haberi. Plerasque enim hujus annotationes, si modo istas cum editis Horatianorum interpretum Scholiis conferre velit, facile quivis videbit, nihil aliud esse quam excerpta ex Acrone; quibus auctor subinde annotationem addiderit, sive de suo ingenio sive de aliorum laboribus depromtam. Nos ea, quae Barthius inde publicavit, hic repetemus, et quantum fieri potest, indicabimus, quae scholia ex aliorum laboribus desumta, quae a collectore addita sint.

ad Carm. I. 1. 13. *Trabe Cypria.* Cypriam trabem pro quacunque firma navi posuit. In Cypro enim validiores naves fiunt quam in aliis insulis.

Acro: *Cypria. Abusive ponitur pro quacunque; sive quia validiores illic sunt.*

22. *aquae lene caput sacrae.* Omnis fons in origine sua sacer est, et sub poena vetabatur eum violare. Unde Ovidius [Heroid. XV. 157] „Est nitidus vitreoque magis pellucidus amne Fons sacer, hunc multi numen habere putant."

Acro: *sacrae aquae. Omnis enim fons in origine sua sacer est, et sonitu suo suadet etiam somnos.*

23. *lituo tubae permistus sonitus.* Litui sonus est acutus, tubae gravis. Lituus ad equites pertinet: tuba ad pedites. Lituus curvus: tuba recta.

Acro: *lituo tubae. Litui acutus est sonus, tubae gravis. Inter lituum et tubam hoc distare inveni: lituus equitum est et incurvus: tuba vero peditum est et directa.*

24.

24. *bellaque matribus detestata.* Ea de ratione quod juvenes et adolescentes nimium sunt animosi et non facile redeunt ex bello.

Acro: *detestata. Exsecrata propter mortem filiorum, quia in bello pueri et adolescentes animositate incauti sunt. Ut Virgil.* [Aen. VIII. 556.] „*Vota metu duplicant matres.*"

27. *catulis fidelibus.* Quia servant silentium in vestigando; legitur et *sagacibus.*

Acro: *fidelibus. Sagacibus, vel silentium investigando* (l. in inv.) *servantibus. Virgil.* [Aen. IV. 132.] „*Et odora canum vis.*"

30. *Diis miscent superis.* Ut post obitum Deus puter. Nam animae sapientum accedebant diis, ut scribit Macrobius.

Commentator Cruquii: *Diis miscent. Nam poëtae diis quodammodo similes sunt propter sua scripta, quae sunt immortalia.*

31.* *cum Satyris chori.* Legitur Poëtis latentibus saepe Satyros apparuisse.

35. *Lyricis vatibus.* Vult esse in gloria Graecorum novem Lyricorum, nam Latini nondum erant, ut alibi [Epist. I. 19. 23.] ait: „Ego primus Jambos Ostendi Latio."

Comm. Cruq. *Lyricis. Qui omnes Graeci erant: nam primus poëta Lyricus Latinus fuit Horatius.*

ad Carm. I. 2. 7.* *Proteus.* Armentarius Neptuni.

15.* *monumenta regis.* Dicit Capitolium, juxta quod erant aedes eorum qui Julium occiderant, cujus caedem ulturus Tiberis, inundabat Romam.

17.* *Iliae.* Numitor Iliam in fluvium praecipita-

tavit, fluvius vero cum ea concubuit, et in uxorem duxit.

ad Carm. I. 3. 8.* *animae dimidium meae.* Propter idem nolle et idem velle. Unum enim cor et una anima debet esse amantium.

Auctor scholii videtur cogitasse Ciceronianum *Idem velle, atque idem nolle, ea demum vera amicitia est.*

ad Carm. I. 4. 5. *Venus junctaeque Nymphis Gratiae.* Per Venerem mulieres et meretrices intelliguntur; Gratias dicit virgines, quae nec ipsae abhorrent a choreis.

Acro: *junctaeque Nymphis. Per Nymphas mulieres intelligi voluit; per Gratias virgines.*

8.* *Vulcanus ardens urit officinas.* Hyemis tempore non opus est fulminibus; est ergo notatio redeuntis aestatis cum Juppiter novis telis opus habet.

10.* *aut flore.* Rosam praecipuam inter flores intelligit.

14.* *beate Sexti.* Bene aucte.

16.* *fabulaeque manes.* Quae post hanc vitam sunt somnii instar et fabulae esse dicit, nemo enim quid certi retulit. Hoc ut Epicureus scripsit.

17.* *domus exilis Plutonia.* Sepulcrum dicit, quod ad mensuram corporis factum est; dicit in invidiam magnorum aedificiorum. Nam qui spernunt tabernas pauperum, deinde contenti sunt sacrofago, ut ait Juvenalis [X. 172.] » Sacrofago contentus erit." *Plutonia* est regia inferni Dei.

ad Carm. I. 5. 4. *Cui flavam religas comam.* Cui comeris.

A-

Acro: *cui flavam religas comam.* *Cui comeris.*

15. *suspendisse potenti Vestimenta maris Deo.* Nautarum morem se imitatum dicit. Nam nautae, cum in periculis sunt, Neptuno fovent sacrificia et tabulam historialem. Etiam vestimenta sua adjiciunt, ut constet vota esse perfecta. Meretrix mari similis est, nam captum crudeliter nudat.

Acro: *sacer paries. Metaphora a naufragis, qui evadentes, pictas cladibus suis tabulas praeferunt, et cum quibus evaserint vestibus, eas ad Neptuni templum suspendunt. Ut Juvenalis* [XIV. 302.] « *Et picta se tempestate tuetur.*" *et Virgil.* [Aen. XII. 768.] « *Servati ex undis ubi figere dona solebant.*" *Hoc per allegoriam ostendit post nuditatem suam a meretricis se amore liberatum.*

ad Carm. I. 7. 10.* *Patiens Lacedaemon.* Patiens ideo quia ibi Dianae sacrificabatur humano sanguine. Propterea Romani quoque illuc remiserunt quod * Ephienia attulerant Lacedaemonii, Aricinam, nolentes ulterius in sacrificiis aliquem interficere. Etiam Lacedaemonii pueros quadrupedes ligatos super altare ad perfusionem sanguinis verberabant; quod utrumque magnae fuit patientiae. *Observant eruditi, cum pars capitis designatur,* timpora *in libris priscis reperiri,* tempora *cum spatium certum horarum aut dierum* cet.

Vocem *Ephienia* corruptam esse, per asteriscum monuit Barthius. Acro nihil habet ad emendandum: qui et ipse videtur corruptus. Verba sunt: *Quia in Agoneis verberibus immobiles caedebantur.* ad q. l. Vir Doctus in marg. antiq. edit. corrigit *quia Lacones* Equidem suspicor hic cogitandum esse de vocabulo *Ephicerna* vel *Epicerna*, quod, interpretante Papia, *Anathema* significat. Ceterum po-

postrema *Observant eruditi* cet. non sunt, sicut opinor, Glossatoris, sed Barthii verba, qui in hoc Codice vs. 23. scriptum invenerit *timpora populea*. Deinde addit Barthius: *Id observat in hac Oda et alibi, puto, perpriscus liber quem nimo evolvimus Servat et vetus Romana editio Valeriani Plinii L. I. c. 11. et alibi.*

ad Carm. I. 8. 8. *cur timet flavum Tiberim.* Romanis adolescentibus inter summa virtutum erat natandi exercitium, utile simul et generosum. *Utilitas exercitii in eo est: ter uncti Transnanto Tiberim somno quibus est opus alto.*

Acro: *Tiberim tangere. Natare: quod adolescentibus inter summa erat virtutum* (l. virium) *exercitationis studia. Lucan.* [VIII. 374] « *Nec frangit nando violenti vorticis amnem.*» Altera pars scholii *Utilitas exercitii* cet. iterum, ut videtur, est additamentum Barthii; qui dictum suum, quamquam non nominato auctore, verbis Horatii (Sat. II. 1. 7.) tuetur.

11. *saepe disco.* Discus est aenea scutella, quae in altum mittitur. * Possinaclum dicitur certi ponderis discus, quo juvenes in agone contendebant, fortior judicandus qui ultra designati spatii finem eum jecisset.

Acro: *disco. Discus genus ludi est certi ponderis. Dicit discum quo juvenes in agone contendebant, fortior est judicandus qui ultra designati spatii finem, eum jecisset, cum missilibus certabatur.* Comment Cr. *Posinactum dicebant certi ponderis discum, quo juvenes* cet. Utrum melius sit, dicere nescio. Cangius in Glossario non habet *Posinactum*; et *Possinaclum* nusquam invenit nisi in hoc ipso scholio.

ad Carm. I. 9. 8. *Diota.* Diota vas est habens duas aures id est ansas. * Migari dicitur magna fidelia.

A-

Acro: *diota. Vinarium vas, id est Magarum, duas habens ansas* Comm. Cr. *Vas est vinarium, duas ansas habens quasi duas auriculas, unde nomen habet: aliud est quod Magganum dicitur, vas vinarium ex ligno confectum.* Nec *Mîgari*, nec *Magarum*, nec *Magganum* apud Cangium reperitur. Sed, notante eodem in Glossario T. IV. p. 730. et in Supplem. T. II. p. 1216. et 1259. *Migeria* vel *Megeria* tam de mensura frumentaria, quam liquidorum dicitur.

13. *fuge quaerere.* In vituperium Mathesis hoc dicit, et erat adhuc Epicureus, qui dicit omnia casu et fortuna fieri.

Acro: *fuge quaerere. In vituperationem Mathesis dictum, quae . . . . magis cruciat exspectatione et quaestione futurorum.* Lacunam sic supple ex Comment. Cr. *quae, quanto plus de futuris cogitamus, tanto magis cruciat.*

16. *choreas.* Chorea est chorus saltans; nam saltatur junctis manibus. Aliquando funem cuncti saltantes manibus comprehendebant et ita in circulum ducebant choream.

Acro: *choreas. Choreae a choro dictae, quod junctis manibus saltetur.*

ad Carm. I. 10. 1. *Mercuri.* Mercurius inventor Sapientiae, Praestigiorum, Palaestrae, Furtorum hac Oda celebratur. Quidquid ad meliorandam vitam activam facit, dicebatur Mercurius invenisse. Et ideo statuae ejus variis formis finguntur; docuisse dicitur et Nigromanticen.

Porphyrio: *Mercuri facunde. Facundum Mercurium dixit, quia orationis inventor. Voce formasti. Notum est Mercurium inventorem existimari sermonis, palaestrae, lyrae et furtorum.*

ad Carm. II. 14. 15.* *frustra per auctumnos.* Auctumnos dicit, quia quodque tempus anni tres menses habet. Auctumnum novum dicimus ejus primum mensem; auctumnum adultum, secundum; auctumnum praeruptum dicimus tertium.

Hoc, et quatuor quae sequuntur scholia, Barthius publicavit in Advers. L. XXXVI. c. 14.

20.* *Sisyphus.* Sisyphus socerum suum ad convivium vocaverat; eum, post epulas perjurio seductum, in foveam plenam carbonum praecipitavit et ita exstinxit.

27.* *tinguet pavimentum.* Profundet ille pavimentum eo vino quod melius est eo quod sacrificant sacerdotes, quod electissimum tamen erat, quo tu palatum tinguescere pertimescis.

ad Carm. II. 16. 9.* *consularis submovet lictor.* Lictor est qui viam facit magistratibus in populo, dictus a *lino* quod album filum de lino, propter insigne, circum caput habebant.

Perperam hoc scholion tamquam Lucani veterem Glossam citat Vossius in Etymologico in v. *Lictor* et Gronovius ad Gell. XII. 3.

17.* *brevi fortes jaculamur aevo.* Jaculamur, periclis afficimur.

§. 11.

Scholiasta Barthianus secundus.

Similis quoque facies est alius Scholiastae, cujus la-

laborem Barthius publicavit in Advers. L. XLII. c. 4. Nam et hic plerasque suas annotationes, semel tantum nominato auctore, vel ex Acrone vel ex Porphyrione desumsit: nec quidquam fere de se addidit praeter aliquot Plinii et Gellii testimonia; quo facto valde recentem aetatem prodere videtur. Ex quonam Codice haec descripserit, non docet Barthius, qui in describendis suis Codd. MSS. plerumque fuit justo negligentior; hoc tamen docet, fuisse *veterem librum* (1). Nos iterum haec Scholia cum editis Scholiis conferemus, ut et hunc perperam pro peculiari Scholiasta haberi manifesto argumento ostendamus.

ad Carm. I. 1. 1. *Maecenas atavis.* A genere. Virgilius: „Qui tanti talem genuere parentes." Αὔξησις.

Acro: *edite. In commemoratione parentum et laudatio invenitur, ut Virgil.* [Aen. I. 606.] „*Qui tanti talem genuere parentes.*"

5.* *palmaque nobilis.* De nobilitate palmae Gellius L. III. c. 6.

7. *mobilium.* Propter levitatem hominum.

Porphyrio: *mobilium. Mobiles Quirites ait, referens ad vulgi levitatem.*

8.* *tergeminis.* Valet geminatis.

10.*

(1) Barthius l. c. *Horatii scripta fateor me supra modum amare et velle quoquo modo iis operâ nostrâ melius esse. Ea voluntate quaedam in veteri libro ad marginem scripta huc producam ne pereant; quem autem eorum auctorem dicam, non habeo.*

10.* *de Libycis areis.* Plinius libro V. Africanis, quae regio valde fertilis est.

12. *Attalicis conditionibus.* Regiis opibus.

Porphyrio: *Attalicis conditionibus. id est regiis opibus.*

13. *trabe Cypria.* Μετωνυμία. quod in ea insula validiores fabricarentur naves.

Acro: *Cypria. quia validiores illic sunt.*

15.* *Icariis fluctibus Africum.* Plinius L. III. c. 11.

17.* *mox reficit rates.* Virgilius [Aen. VIII. 556.] » Vota metu duplicant."

19. *pocula Massici.* Optimi vini Campaniae. Plinius L. XIV.

Acro: *Massici. Locus est in Campania, ubi optima vina nascuntur.*

20.* *solido demere de die.* Integro negotiis agendis.

23. *lituo tubae.* Lituus incurvus equitum: Tuba peditum recta. ACRO.

Acro: *Litui acutus est sonus, tubae gravis. Inter lituum et tubam hoc distare inveni: lituus equitum est et incurvus: tuba vero peditum est et directa.*

25. *sub Jove frigido.* Aëre. Plinius L. VIII.

Porphyrio: *sub Jove. Ac per hoc sub coelo.*

27. *catulis fidelibus.* Lucretius: » fida canum vis."

Porphyrio: *fidelibus. Melius generaliter accipiemus, quam ut venationi tantum eos fideles intelligamus: nam et Lucretius* [VI. 1220.] *« fida canum vis."*

28. *teretes plagas.* Tereti fune confectas.

A-

Acro: *te tetqs. Non teretes plagas, sed tereti fune factas.*

29. *me doctarum hederae.* Persius [V. 52.] » Mille hominum species et rerum discolor usus.«

34. *Lesboum refugit.* Alcaeus et Sappho ex Lesbo fuerunt oriundi.

Acro: *Lesboum. A Lesbo insula; de Alcaeo dicitur.*

36. *sublimi feriam.* Τοῦτο τὸ Πινδαρικὸν ἐπ' ἄλλοισιν ἄλλοι μεγάλοι, ἐμοῖ δὲ μοῖσα καρτερώτατον βέλος ἀλκῶ τρέφει.

Alio ordine haec apud Pindarum Olymp. I. 179. leguntur: Ἐμοῖ μὲν ὦν Μοῖσα καρτερώτατον βέλος ἀλκᾷ τρέφει. ἐπ' ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι.

ad Carm. I. 2. 7. *pecus egit.* Phocas.

Acro: *Proteus beluarum marinarum pastor: hunc dicit marina armenta in montibus diluvio pavisse, de quo Virgil.* [Ge. IV. 394.]. « *Immania cujus Armenta et turpes pascit sub gurgite phocas* »

15. *monumenta regis.* Numae regiam significat.

Acro: *monumenta. Regiam dixit Locus est ergo, in quo Numa Pompilius habitavit, vestem habens regiam. Cicero* [pro Mil. c. 14.] *de eodem loco: «Nuper me ad Regiam pene confecit.»* Quod scholion Oudendorp. ad Sueton. p. 293. *b.* recte emendavit ex Commentatore Cruquiano *ad Vestae habens regiam.* Teste Solino in Polyh. c. 2 *Numa habitavit in colle primum Quirinali, deinde propter aedem Vestae in Regia, quae adhuc ita appellatur.* Cf. Barth. in Advers. L. LVI. c. 5. p 2683. seq.

34. *quam jocus circumvolat.* Φιλομμειδὴς ἀφροδίτη.

Porphyrio: *quam jocus circumvolat. Potest et* ridens jocus *et* Erycina ridens *accipi, id est Homericum Erycina ridens, secundum illud* φιλομμειδὴς ἀφροδίτη. Quod est apud Homer. Iliad III. 424. IV. 10. alibi.

45. *serus in coelum redeas.* Optat ei longissimam vitam.

Porphyrio: *serus in coelum redeas. Suaviter optat Augusto, ut diu vivat.*

50.* *dici pater atque princeps.* Nam Senatus-Consulto numisma signatum est, in cujus altera parte est Augusti imago cum hac inscriptione: DIVVS AVGVSTVS PATER. In altera autem parte est ara cum hac scalptura: PROVIDENT.

De hoc numismate, cujus satis integrum exemplar vidi apud Chysium, agit Eckhel. in Doctr. Num. T. VI. p. 128. Animadvertamus in antiquo interprete studium explicandi Historiam ex numismatibus.

51. *inultos.* Lucanus de Crasso: „umbraque erraret Crassus inulta.

Acro: *Medos inultos. Parthos, a quibus Crassus occisus est: quo peremto ortum est bellum civile. Lucanus* [I. 11.] *de eodem: „Umbraque erraret Crassus inulta.“*

ad Carm. I. 28. 10. *Panthoiden iterum Orco adscriptum.* Pythagoram, qui dixit se apud Trojam Panthei filium Euphorbum fuisse idque se cognovisse agnito clypeo, quem in templo fixerat. Ennius.

Acro: *Nunc Pythagoram significat, qui praedicavit, se apud Trojam Euphorbum Panthoi filium fuisse, qui, interfectus a Menelao, iterum revixit, factus Pythagoras; idque eum cognovisse agnito clypeo, quem in templo Euphorbus fixerat. Hic ante et in Homerum dicitur renatus, postea in pavonem, postremo in Ennium poëtam, et ideo dicit eum nervis atque cute mortuum, anima diu vixisse.* Porphyrio: *Nunc Pythagoram signat, quis* (l. qui) *praedicavit, se ad Trojam Euphorbum Panthoi filium fuisse,*

ne, interfectumque a Menelao iterum revixisse et factum Pythagoram, id cognovisse agnito clypeo, quem Euphorbus habuerat.

ad Carm. III. 3. 15. *hac Quirinus Martis equis Acheronta fugit.* Insignia Romuli erant Equi Martis. Equos Martis pro insigni pugnandi posuit.

Acro: *hac. Virtute animi. Quirinum sive Romulum in honorem Augusti laudat, et ipsum ut Martis filium, Deum pro virtute factum, Acherontem mortuis deputatum vitasse confirmat.* Equos *vero* Martis *pro pugnandi insigni posuit.*

ad Carm. III. 4. 5. *amabilis insania.* Ἐνθουσιασμός.

Acro: *Auditis. Dum ad solam Calliopen loqueretur, dixit* auditis. *Vos, o Calliope, precor adspirare canenti, et quasi Deae praesentiam se sentire ait, tamquam venerit invocata, quod appellabatur* ἐνθουσιασμός. q. l legendum: *ut* [Virgil. Aen. IX. 525.] « *Vos, o Calliope, precor adspirate canenti* » *et quasi* cet.

ad Carm. III. 7. 19.* *fabulae et historiae peccare docentes.* Bellerophontis scilicet et Pelei, ab Amatoribus cantari solitae.

25.* *flectere equum sciens.* Ad Amatoria pertinet equitare et natare feliciter.

Legendum *Armatoria.* Porphyrio: *Notum est juventutem Romanam apud veteres et exercitatam in Campo Martio, et post hoc exercitium natare solitam fuisse in Tiberi, quia peritia natandi rebus* militaribus *sit necessaria.*

ad Carm. IV. 9. 2. *longe sonantem natus ad Aufidum.* » Est apud nos, sic scribit Barthius Adv. L. XXIII. c. 22., membranaceus Horatius, in quo

Glossulariis *longe sonantem* propter Cannensem illam famosissimam Romanorum cladem Aufidum perhibere docere nos nititur."

Hanc glossam utrum in eodem, an vero in alio Codice repererit Barthius, divinandum relinquere, quam diserte monere, maluit.

Ex his, quae a Barthio publicata sunt, si cum editis Scholiastis conferantur, facile videmus, quam exigua sint, quae ex proprio horum Glossatorum ingenio provenerunt, et quam paene omnia uterque ex Acronis et Porphyrionis laboribus hauserit. Nequaquam igitur dubito dicere nec hunc, nec superiorem, id praestitisse quo peculiaris interpretis nomen sibi vindicet.

§. 12.

Scholiasta Graevianus.

Ex Graeviano Scholiasta, qui ita dictus est a pristino hujus possessore Jo. Georg. Graevio, sex tantum septemve mihi notae sunt annotationes: quarum unam (ad Carm. I. 8. 6.) ipse Graevius in Lect. Hesiod. c. XVII. p. 85. aliam (ad Carm. II. 19. 21.) Broukhusius ad Tibull. II. 1. 55. reliquas Bentlejus in notis ad Horatium publicavit (1). Sed vel hae sufficiunt quo

(1) Bentlejus hunc Codicem ab ipso Graevio commodatum habuit. *Aderant et mihi*, sic scribit in Praef. *Membranae Veteres minime poenitendae. Vetustissimum sane exemplar, annorum facile DCCC, cui tamen Epi-sto-*

quo persuasum habeam, hunc interpretem non ita magnam Commentarii sui partem ex proprio ingenio depromsisse, sed pleraque sua scholia ex Acrone vel Porphyrione excerpsisse: adeoque perperam pro peculiari Scholiasta haberi. Manifesto, opinor, hoc apparebit, ubi hae annotationes cum editis Scholiis conferantur.

ad Carm. I. 4. 16.* *fabulaeque manes.* Fabulae, genitivus singularis pro *fabularum*.

Simile scholion, quod et Peerlkampius ad h. l. excitavit, legitur in MSto Franekerano: *fabulae. Genitivus potest esse singularis pro plurali i. e. manes fabularum, hoc est, quos fabulae referunt. Potest et definiendo accipi ut qui sunt manes fabulae.*

ad Carm. I. 8. 6. *Gallica nec lupatis temperat ora frenis.* Gallica, pro Gallicarum equarum ora.

Porphyrio: *Gallica ora. Pro Gallicorum ora equorum. Lupata autem frena sunt aspera, de quibus et Virgilius* [Ge. III. 208.] *sic ait: „Et duris parere lupatis."*

ad Carm. II. 19. 23.* *Rhoetum retorsisti leonis Unguibus horribilique mala.* Fabulam tangit. Dum Gigantes per montes montibus impositos peterent regna Jovis, Liber pater, filius Jovis, inducta pelle leo-

stolarum et Sermonum pars magna deërat, suppeditavit et huc transmisit praestantissimus Graevius ὁ μακαρίτης; post cujus obitum in Bibliothecam serenissimi Electoris Palatini cum reliqua ejus libraria supellectile concessit. (Notante Saxio in Onom. Lit. T. V. p. 583. falso narratum est in Biörnstählii Itinere Part. V. p. 137., Graevium libros suos Academiae Heidelbergensi testamento legasse.)

leonis cum unguibus et mala, retorsit unum Gigantem, Rhoetum nomine, ac retro praecipitavit illum. Quae pellis fertur fuisse Nemeaei leonis, quam Hercules ei dedit.

Acro: *Rhoetum enim, Gigantem, in leonem conversus occiderat Dionysius.* q. l. ut et apud Comment. Cruq. legatur *Dionysus.*

ad Carm. IV. 4. 7.* *vernique jam nimbis remotis.* Vernali tempore transacto, quo plumescunt aves.

17.* *videre Rhoeti bella Drusum gerentem Vindelici.* Retii Vindelici Norici Baioarii unum sunt.

ad Epod. I. 5. *quibus te vita si superstite jucunda; si contra, gravis.* Vacat *si.*

Porphyrio: *Bis posuit periculum, si semel abundat.* q. l. ut recte monuit Bentlejus, legendum est: *Bis posuit particulam si. Semel abundat.* Eamque emendationem egregie confirmat MStum Franekeranum: *Si particula semel sufficit, ut sit talis elocutio cet.*

ad Epod. 17. 50.* *tuus venter.* Partus ventris tui.

ad Sat. I. 2. 86. *ubi equos mercantur, opertos inspiciunt.* Divites prudentia callentes, cum equos emunt, opertos considerant; ne specie et magnitudine illorum decipiantur: ac per hoc potius ungulam pedis considerant, utrumnam mollis habeatur.

Acro: *Reges, quando emunt equos, operiunt eos ne pulchritudine inducti, aut clunium aut faciei, emant equum pedibus molliosibus. Hoc ergo dicit, unumquemque debere idem facere circa contemplationem mulieris, ut magis utilitatem, quam speciem formae ejus sequatur aut natalium.*

ad

ad Epist. I. 5. 1. *Si potes Archiacis.* Archiaci lecti, id est, breves, ab artifice Archiate, qui breves lectos studuit facere; et per hoc brevem domum intellige.

Porphyrio: *Archiacis. Archias breves lectos fecit, unde Archiacos, sicut a Boeëto Boeëtios dicimus.* Sed, judice Bentlejo, Graevianus Scholiasta perperam declinavit. Nec melius Acro: *Lecti humiles ab Archaico fabro, qui non magnae staturae dicitur fuisse.* Apud utrumque corrige *ab Archia.*

§. 12.

Scholiasta Franekeranus.

De Horatii Codice MSto, qui Franekerae (1) servatur, vix dicere possum, quantam olim habuerim exspectationem. Noveram istum non minus nostratium doctorum manibus esse tractatum, quam exterorum votis saepius expetitum (2). Et quum vidis-

(1) Quando et unde hicce Codex in Franekeranam Bibliothecam migraverit, non habeo compertum. Illum autem olim Genevae fuisse, apparet ex iis quae ad calcem primi folii adscripta sunt: *Roberti Koenigsmanni, emptus Genevae III. Id. Novembres* 1628.

(2) Bentlejus, ut ipse fatetur in Praef. ad Horat. p. 3. vidit quidem *varias lectiones quas e Franekerano libro nescio quis exscripserat, verum pauculas tantum et levipra cura;* sed ipsum Codicem oculis suis lustrare magnopere cupiit: *Si ipsius Codicis,* sic scribit ad Tib. Hemsterh. (in Epistola edita a Ruhnken. post Elog. Hemst. p. 89.) *Si ipsius Codicis vel biduum tantummodo mihi copia fieri posset, crediderim equidem nonnihil fructus ad editionem nostram inde perven-*

dissem non solum Lamb. Bosium in Animadv. ad Script. Lat. p. 38. 39. 43. 44. 47. ope hujus Codicis aliquot corrupta Horatii loca feliciter emendasse, sed et Tobiam Gutberlethum in libro de Saliis c. II. et XII. inprimisque Burmannum ad Anthol. Lat. T. I. p. 54. 98. 207. 454. talia inde arcessivisse scholia, quae insignem cum Grammaticae tum Antiquitatis studio lucem afferant, dubitabam fere utrum ille Codex, ipsius Horatii, an vero Scholiorum marginalium causa, tanti semper a doctis aestimatus fuerit.

Haec igitur Scholia quum legere cuperem, idque significassem Viro Clarissimo Fr. Grevio, Franekeranae Bibliothecae Praefecto, benivola hujus egregii viri, quondam commilitonis amicissimi, auctoritate factum est ut ii qui Franekerani Athenaei curam gerunt, non intercesserint quominus praestantissimus iste Codex meis usibus concederetur. Pro qua insigni liberalitate non possum quin Viris Il-

venturum. Ego enim vel ex ipsis lituris multa expiscari possem, quae alius cujusvis, Animadversionum mearum inscii, et oculos et mentem fugere est necesse. Tu, quod commodo tamen tuo fiat, experieris, an ex claustris Bibliothecae Codex ille hic evolare poterit. Pleniorem hujus Codicis lectionum recensum se habuisse praedicat Janus in Praef. ad Horat. p. XVI. transmissum sibi a viro elegantissimo Herbellio, quem dicit a. 1770. cum Franekerae versaretur, Codicem istum docte diligenterque cum Cruquii editione contulisse. Transeo alios, quibus iste Codex ex Bentleji vel Burmanni memoratione innotuit, ut Arntzen. ad Sedulium p. 22. Ruhnken. ad Vellej. Paterc. L. II. c. 88. §. 1. cet.

Illustrissimis et Grevio meo veri animi gratias agam.

Sed, sive aliorum querela sit de tanti thesauri desiderio, sive spes inveniendi Scholia plane inedita, quae nimiam in me excitasset exspectationem, si verum fateor, ubi Codex mihi in manus veniret, spem meam omnino delusam esse vidi. Quum enim hic illic Codicem evolvere coepissem, continuo comperi, longe majorem scholiorum partem ex Acrone et Porphyrione esse collectam: adeoque et hunc Scholiastam perperam pro peculiari Horatii interprete habitum esse.

Reperi vero in his passim annotationes, quae nec in editis exemplaribus Acronis et Porphyrionis nec apud Cruquii Commentatorem leguntur. Has tamen equidem non ausim pro legitimis editorum Scholiastarum accessionibus agnoscere. Imo, parum abest, quin persuasum habeam, has esse additamenta collectoris; qui, quod non dubitandum videtur, et homo fuit Christianus et Graeca non intelligens (1). In his sunt quae manifestam sequioris aevi notam prae se ferunt. Alia tamen, quae ex collectoris ingenio proficisci non potuerunt, videntur ex antiquiorum interpretum laboribus, quos ille superstites habuerit, arcessita esse. Ut sic opiner, vel unum hoc scholion facit, quod apud reliquos Scholiastas non

(1) Cujus rei vestigia et Peerlkampius invenire sibi visus est, qui in Epist. ad Doscurium p. XII, *Pleraque*, inquit, *Scholia inedita*, *ipse vidi Leidensia et Franekerana*, *habent auctores Christianos*.

non extat et in Franckerano Codice his verbis continetur:

ad Carm. I. 4. 18. NEC REGNA VINI SORTIERE TALIS. *Regna primam vocat sedem convivii. Vinum pro convivio, more Graecorum, ponit, quia comparatione convivium vocant simpusion. Id est non accipies per sortem regna vini.*

Quis credat haec ita ab auctore scribi potuisse? imo, quod Peerlkampius me monuit, auctor scripserit *qui a compotatione convivium vocant symposion;* quae verba, is, qui haec Scholia ex antiquiori exemplari descripsit, ita corrupit ut manifesto ostenderit se haec non intellexisse. Idem apparet ex hoc scholio:

ad Carm. II. 7. 12. TURPE SOLUM TETIGERE MENTO. *Naturalis enim potentia est ut viri interfecti in faciem ruant; et nonnumquam, ne virtutem suo clamore dedecorent, mordent saxabis terram. Per contra feminae necatae retro sub pino cadunt.*

Pro *saxabis* in antiquiori Codice videtur scriptum fuisse *saxa vel;* et pro *sub pino* certissime scriptum fuit *supinae*. Suspicionem nostram confirmant lacunae, quibus Scholia passim laborant; cujusmodi est:

ad Sat. I. 4. 65. SULCIUS ACER AMBULAT ET CAPRIUS. *Sulcius et Caprius acerrimi delatores fuerunt et causi dici fuisse traduntur et ideo* rauci *quod in contentione*

ne judiciorum clament. Dicit ergo se neque sue socios tales esse quales fuerunt Sulcius et Caprius, quia non idea componebant carmina Horatius . . . . hominum publicarent.

Priorem scholii partem facile emendamus ex Porphyrione: *Sulcius et Caprius acerrimi* delatores *fuerunt et* causidici *fuisse traduntur* cet. Posteriorem partem, quam in editis Scholiis non reperio, sic emendandam supplendamque esse censeo: *Dicit ergo se neque* suos *socios tales esse quales fuerunt S. et C., quia non ideo componebant carmina* ut vitia *hominum publicarent.* Alia lacuna est:

ad Sat. I. 6. 72. In flavi ludum. *Flavus quidam, sive Flavius, fuit temporibus illis calculator vel caucculator . . . . suos corrumpere paedagogos.*

quo loco excidisse vocem *solitus*, docte suspicatus est Burmann. ad Anthol. Lat. T. I. p. 454. *a.*

Non tamen ideo pretium imminui existimem scholiorum quae in hoc Codice leguntur aliunde non cognita; contra vero, quo certius ostendi poterit et haec ex superiorum interpretum laboribus descripta esse, adeoque antiquiorem, quam qua Codex scriptus sit, habere aetatem, tanto majoris haec aestimanda opinor.

Speciminis causa publicabo Scholia quae leguntur ad Carmen tertium libri primi.

ad Carm. I. 3. 1. *Sic te diva potens Cypri.* Primus

mus versus Glyconius est; constat spondeo et ex duobus dactylis, ita: Sic te diva po-tens Cypri. Secundus Asclepiadeus.

Acro: *Metrum primo versu Glyconium constat ex spondeo et duobus dactylis, ita: Sic te diva po-tens Cypri. Secundo Asclepiadeum.*

sic. Adverbium adjurantis.

Acro: *Sic autem adverbium adjurantis est.*

* *te.* Scilicet *regat.*

diva potens. Principium deprecationis ut navis beneficis sideribus commendentur (sic): salutare enim Veneris est sidus.

Acro: *Principium deprecationis, ut navem beneficis sideribus comitetur. Salutare enim Veneris sidus est.*

* *Cypri.* i. e. Venus, quae colebatur in Cypro insula.

2.* *sic.* Scilicet *regant.*

fratres Helenae. i. e. Castor et Pollux.

Acro: *fratres Helenae. Castor et Pollux.*

lucida sidera. Effexegesis.

Acro: *lucida sidera.* Ἐπεξήγησις.

3.* *regat.* Est autem sensus: Sic te regat diva potens Cypri, navis, juxta cujus templum transferenda es, et sic te regant fratres Helenae, sic tu nobis amicum ut reduxeris incolumem, qui Athenas navigat. Nam [1] naviguri a Roma Athenas juxta Cyprum transeunt.

1 Lege *navigaturi.*

ventorum pater. Aut Aeolus (sic), aut juxta Physicos, qui ventos ex motu Oceani nasci volunt, Ne-

Neptunum dicit, ut Virgilius: » Quidve pater Neptune paras."

Acro: *Aut Aeolum, aut juxta Physicos, qui ventos ex motu Oceani nasci volunt, Neptunum dicit; ut Virgil.* [Aen. V, 14] « *Quidve pater Neptune paras."*

4.* *obstrictis.* i. e. Sedatis.

* *aliis.* i. e. Ventis.

Japyga. Ventus utilis de Apulia flans Athenas petentibus. Argistes Graece dicitur.

Acro: *Japyx ventus utilis de Apulia flans Athenas petentibus, Graece Argestes dicitur.*

5. *creditum.* i. e. Commendatum; ut Virgilius: » anni spem credere terrae."

Acro: *creditum. Commendatum, ut Virgil.* [Ge. I, 224.] « *Anni spem credere terrae."*

6.* *Virgilium.* Poëtam.

Atticis. i. e. Atheniensibus.

Acro: *Atticis. Atheniensibus.*

7.* *reddas.* Nobis restituas, quasi ex alieno elemento. Sic et [1] Virgilius: » redditus his primum terris Daedalus tibi Phoebe sacravit remigium alarum."

1 Aen. VI. 18.

8. *serves.* Secundum Philosophos loquitur, qui dicunt unam amicorum animam esse in duobus corporibus, quod Graecis verbis profertur ita: maia Kepsiche endias amata i. e. una anima in duo corpora.

Ecce hominem Graeca non intelligentem. Corrige ex Pophyrione: *animae dimidium meae. Suaviter hoc dictum secundum illam amicitiae definitionem, qua pluri-*

rimum utuntur: μία ἡ ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασιν. Eandem sententiam memorat Scholiasta Lucani ad Phars. V. 769.

animae dimidium meae. Athenas naviganti Virgilio navigii prosperitatem precatur et exsecratur etiam timore periculi eum qui primus cupiditate lucri ad temeritatem navigandi descendit.

Acro: *Amicum, partem animae posuit; ideo dimidium dixit. Athenas naviganti Virgilio navigii prosperitatem precatur, et exsecratur etiam timore periculi eum, qui primus cupiditate lucri ad temeritatem navigandi descendit.*

9. *illi robur.* Exsecratur eum qui primus navem invenit, et mare tentare ausus est, dicens eum durissimi cordis fuisse, quod tanta pericula non timuerit.

Porphyrio: *Exsecratur eum qui primus ausus sit navigare, dicitque eum durissimo corde ac pectore fuisse, qui tanta pericula non timuerit: habet autem hic quiddam Homericum: χάλκεον δέ μοι ἦτορ i. e. ferreum pectus.* Graeca verba, utpote quorum ignarus erat, omisit. Alibi Graeca Graecis characteribus, sed valde distortis, scripsit. Sic ad Sat. I. 4. 137. haec leguntur in MSto Franek. « *Sermones duo sunt*, ENΔIA OEТОС KA IIPO ϕ oPIKOC ET ἰ ENΔTꙅΘETOC *quo utimur cogitantes* ΠPO ΦOPIKOC *vero cui lingua suppetat.*" In antiquiori, quod librarius secutus est, exemplari, scriptum fuisse videtur: *Sermones duo sunt:* ἐνδιάθετος καὶ προφορικός. *Et est* ἐνδιάθετος, *quo utimur cogitantes:* προφορικὸς *vero cui lingua suppetat.*

aes triplex. Verbum ab usurariis tractum posuit, quorum avaritia spe lucri vel commercii inventum navigium sit.

Acro: *Verbum ab usurariis tractum posuit, quorum a-*

avaritiae spe (l. et spe) lucri vel commercii inventum navigium sit.

11. *commisit.* i. e. Credidit, ut Terentius: „Ovem commisisti lupo."

Acro: *commisit.* *Credidit, ut Terent.* [Eun. V. 1. 16.] « *Ovem lupo commisisti.*"

12. *praecipitem.* Impetuosum.

Comm. Cr. *praecipitem.* *Impetuosum.*

* *Africum.* Ventum.

13.* *decertantem.* Contendentem.

14. *tristes.* Pluviales, tempestuosas et nubilas et pluvio constristat frigore coelum.

Acro: *tristes.* *Tempestuosas, et nebulosas, ut* [Virgil. Ge. III. 279.] « *Pluvia contristat frigore coelum.*"

* *Hyadas.* i. e. Pluviales stellas.

rabiem. i. e. Vim commotionis.

Comm. Cr. *rabiem.* *Vim.*

noti. Venti. Notus ventus australis est, a cujus latere Africus surgit. Notum autem super omnes ventos posuit, quia cardinalis est, ideo arbiter quia praecipue solet pasci aestibus, i. e. nutriri fluctibus.

Acro: *Notum supra omnes ventos extulit, quia cardinalis est, ideo arbiter Adriae praecipue* (l. quia praecipue) *solet pasci aestibus, id est nutriri fluminibus.*

15.* *quo.* Scilicet *noto.*

Hadriae. Maris Hadriatici, pro quovis mari: est autem Hadria civitas, a qua Hadriaticum mare dicitur.

Acro: *Hadriae.* *Maris Hadriatici, pro quovis mari.*
Comm. Cr. *Hadriae.* *Maris Hadriatici.* *Est autem Ha-*

Hadria civitas et portus, unde dictum est Hadriaticum mare.

16. *tollere.* Commovere, ut Virgilius: » Et mulcere dedit fluctus et tollere vento."

Acro: *tollere. Commovere. Virgil.* [Aen. I: 66.] « *Et mulcere dedit fluctus et tollere ventos.*"

18. *qui siccis.* Praeter lacrimas, ut Lucanus: » qui sicco luminare (sic) campos viderit Emathios."

Acro: *siccis. Praeter lacrimas. Luc.* [IX. 1044.] « *Qui sicco lumine campos Viderit Emathios.*"

* *siccis oculis.* Scilicet *vidit.*

19. *turgidum.* i. e. Tumens fluctibus suis.

Acro: *turgidum. Tumens fluctibus suis.*

20. *infames.* i. e. Malae famae, scilicet propter crebras tempestates, quas ibi patiuntur nautae. Effexegis.

Porphyrio: *infames scopulos, ait, propter atrocitatem naufragiorum, quae ibi multi patiuntur.* Comm Cr. *Acroceraunia.* Ἐπεξήγησις. *Epiri juga montium, sic dicta quod ob suam altitudinem frequenter fulmine iciuntur.*

Acroceraunia. Ideo dicti Graeco vocabulo, quod sui altitudine frequentius fulminentur deis (sic) Virgilius: » Vicina Ceraunia juxta." *Infames* autem famosos, aut multorum poëtarum carmine, aut propter asperitatem littoris naufragiis navium.

Acro: *Sunt montes Epiri, ideo dicti Graeco vocabulo, quod sui altitudine frequenter fulminentur. De his Virgilius* [Aen. III. 506.] « *Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta.*" *Infames, aut famosos multorum poëtarum carmine, aut propter asperitatem littoris naufragiis navium.*

21.

21. *Deus abscidit.* Ac si diceret: numquid sine ratione separatum est mare a terris, cum illud elementum periculis, hoc voluptatibus plenum sit.

Acro: *Ac si diceret: numquid sine ratione separatum est mare a terris, cum illud elementum periculis, hoc voluptatibus plenum sit.*

abscidit. Consulens Deus humanae naturae, separavit aridam ab aquis; sed poëta dicit eum hoc sine causa fecisse, cum jam humana temeritas, relicta terra, aut dent (sic) se etiam mari committere contra naturam.

Porphyrio: *Prospexerat, inquit, natura hominibus, ut terrae, quibus sine periculo utimur, a mari discernerentur; sed hoc frustra, cum jam audeat humana temeritas etiam mari se committere.* Hic videor mihi hominem agnoscere Christianum, qui *Deum humanae naturae consuluisse* maluit dicere, quam *naturam hominibus prospexisse.* Et, ni fallor, *Deus aridam separavit ab aquis*, dictio Biblica est.

22. *prudens.* Providens, sapiens.

Acro: *prudens. Providens.*

24.* *transiliunt.* i. e. Navigant.

vada. Non debere (sic) vada periculosa navigiis accusari, dum navis ipsa nec fieri nec usui esse debuerit, hoc est non tangi. Nam et Virgilius: „Illiditque vadis." Ideo vada dicta sunt, quia brevitate sui vadari, hoc est ambulari, possunt.

Acro: *Periculosa navigiis non deberent vada accusari, cum navis ipsa nec fieri, nec usui esse debuerit, hoc est non tangi. Nam et Virgil.* [Aen. I. 112.] *„Illiditque vadis." Ideo enim vada dicta sunt, quod brevitate sua vadari, hoc est ambulari, possint.*

25. *audax.* Merito omnia patiens lucri cupiditate.

Acro: *audax. Id est, merito omnia patiens lucri cupiditate.*

* *perpeti.* i. e. Sustinere.

26.* *humana.* Dicit humanum genus esse audacissimum, et ad omnia conanda seu toleranda promitussimum (sic).

* *per vetitum.* i. e. Prohibitum praesumptuosum. Quanto magis enim aliquid scelus mortalibus prohibetur, tanto magis avidiis (sic) tantoque frequentius ab illis sectatur.

27. *Japeti genus.* Patronymicum. Prometheus (sic) dicit, filium Japeti, qui dum ignem Superis furatus esset, numinum indignatione febres omnibus datae dicuntur; veluti calorẽ (sic) quem desideraverint.

Acro: *Patronymicum est. Prometheum dicit filium Japeti, qui cum ignem Superis furatus esset, numinum indignatione febres hominibus datae sunt, velut calor quem desiderarunt.*

28.* *fraude mala.* Furto pessimo.

29.* *aetheria.* i. e. Coelesti sede.

30. *subductum.* i. e. Ereptum, furatum.

Acro: *subductum. Ereptum, furatum.*

31. *cohors.* Ut nec in suo elemento quieti viverent, qui aliena tentassent: *incubuit* autem, institit.

Acro: *incubuit. Institit, ut nec in suo elemento quieti viverent, qui aliena tentassent.*

32. *tarda.* Multitudo infirmata, ac si diceret: multa genera morborum, ad vindictam temeritatis, terris immissa sunt.

A-

Acro: *cohors. Ac si diceret: multa genera morborum, ad vindictam temeritatis, terris immissa sunt.* In Cod. Franek. corrigendum *multitudo infinita*, ut sit explicatio *τοῦ cohors.*

semoti. Tarde venientis.

necessitas. Dicit per necessitatem febrium acceleratam mortem, quae tardior hominibus fuerat constituta.

Acro: *semoti. Tarde venientis. Tardam necessitatem dicit propter feritatem febrium accelerantem mortem, quae tardior hominibus fuerat constituta.*

33. *corripuit gradum.* i. e. Accelcravit suum adventum.

Acro: *corrupuit gradum. Accelcravit periculum invento novo exitio, ut:* [Virgil. Aen I. 418.] « *Corripuere viam interea.*"

34.* *expertus.* i. e. Necessitas moriendi hominibus accelerata est. Nam antea quadringentos et eo amplius annos homines vivebant, ideoque illis erat tarda necessitas quomodo nusquam contigit. Potest autem jungi et *prius tarda* et *prius semoti.*

Haud scio an non de Biblicis hominibus cogitaverit auctor hujus scholii, ubi dicit homines antea quadringentos et amplius annos vixisse.

vacuum. i. e. Apertum.

Acro: *vacuum. Apertum, quod experiendi hominibus non causa fuerat. Virgil.* [Aen. V. 515.] « *Jam vacuo laetam coelo speculatus.*"

Daedalus. Faber ingeniosus. Virgilius: » Praepetibus pennis ausus se credere coelo."

Acro: *Daedalus. Virgil.* [Aen. VI. 15.] « *Praepetibus pennis ausus se credere coelo.*"

* *pennis.* Commemorat per transitum qui mortales rem hominibus illicitam perpetraverint.

37. *nil mortalibus ardui* (sic) *est.* Nil illius rei i. e. nihil difficile. Arduum autem difficile.

Acro: *nil mortalibus arduum. Nihil difficile est.*

38. *coelum.* Quod solum sibi exceperant numina, quasi et ipsum possint humani ausus attingere, nisi fulmina coërcerent.

Acro: *coelum ipsum. Quod solum sibi exceperant numina, quasi et ipsum possent humani ausus attingere, nisi fulmina coërcerent.*

petimus. i. e. Optamus, exposcimus, ut Virgilius: » Tartareum ille custodem in vincla petivit." i. e. Tricerberum.

Acro: *petimus. Optamus, exposcimus, ut Virgil.* [Aen. VI. 395.] « *Tartareum ille manu custodem in vincla petivit.*"

40. *iracunda.* i. e. Non patimur illum quiescere; nam quidam ipsum coelum conati sunt ad solum deducere.

Acro: *neque per nostrum patimur scelus. Id est non patimur Jovem quiescere: nam quidam Gigantes ipsum coelum conati sunt ad solum deducere. Virgil.* [Ge. I. 280.] « *Et conjuratos coelum rescindere fratres.*"

* *ponere.* [1] Afferesis pro de.

[1] Lege: *Ἀφαίρεσις pro deponere.*

Ex his, quae speciminis causa dedimus, quivis facile videt, compilatorem horum Scholiorum non id praestitisse, quo peculiaris Horatii Scholiasta haberi mereatur. Hanc tamen huic Codici laudem negare nolim, quod subinde Acronis et Porphyrionis

nis Scholia multo emendatius, quam in vulgatis editionibus, exhibeat: cujus rei exempla dedimus p. 38. 53. et 118. ex quibus facile erit intellectu, quantum frugi hicce Codex allaturus sit futuro Horatianorum Scholiastarum editori.

§. 14.

Scholiasta Leidensis Primus.

Venio ad Scholiastas Leidenses: quorum alter dudum in hac Bibliotheca locum suum tenuisse videtur, in Catalogo p. 326. A. notatus n°. 28.; alter huc migravit ex Vossiana Bibliotheca et in Catalogo p. 378. B. insignitur n°. 21.

Utriusque Scholiastae talis fere ratio est, ut, si singulorum annotationes cum editis Scholiis conferantur, facile appareat, nec hunc, nec illum mereri pro novo et inedito Scholiasta haberi. Reperiuntur quidem apud singulos multa passim scholia, quae apud Acronem vel Porphyrionem non leguntur: alia tamen ad verbum fere inde descripta sunt. Quae speciminis causa e singulis publicamus, ostendent alterum, qui *Leidensis* a nobis vocabitur, pleraque sua ex Acrone desumsisse, ita tamen, ut et Porphyrionem sibi cognitum fuisse prodat: alterum, quem *Vossianum* vocabimus, praecipue Porphyrionem compilasse, nec tamen ita, quin subinde quoque scholion ex Acrone desumserit.

Spe-

Speciminis causa publicare lubet Scholia ad Carmen XIII et XIV Libri Secundi.

ad Carm. II. 13.* Metrum duobus versibus Alcaicum: tertius Jambicus: quartus Pindaricus.

1. *Ille et nefasto.* Hac ode alloquitur arborem in agro suo plantatam, cujus casu paene fuit ut opprimeretur. Simulque exsecratur hominem qui eam plantavit.

Acro: *Exsecratur arborem, cujus casu in agro suo Sabino paene periclitatus est, funestam eam et insitorem ejus dicens.*

3. *produxit arbos.* Ordo est verborum: O arbos, quicumque te primum posuit, ille nefasto die; subauditur *hoc fecit:* et quicumque te produxit, eum sacrilega manu; subauditur *hoc fecit:* in perniciem videlicet nepotum et in opprobrium pagi.

Acro: *Ordo est: Arbor, ille quicunque produxit te, primum in nepotum perniciem et opprobium pagi posuit nefasto die et sacrilega manu.*

4. *opprobriumque pagi.* Qui ad ipsius regionis infamiam et opprobrium refert arborem suum dominum oppressisse.

Porphyrio: *opprobriumque pagi. Quasi ad illius regionis infamiam arborem suum dominum ait oppressisse.*

6. *penetralia.* i. e. Domus secretae (sic) in quibus hospes fuisset occisus et foedus hospitale violatum.

Acro: *penetralia. Domus secreta, in quibus hospes fuisset occisus et foedus hospitale violatum, tamquam minus esset, si homicidium diceret perpetratum.*

7.

7. *sparsisse nocturno cruore.* Hoc est, hospitem suum, qui eum susceperat, in sua domo interfecisse. Et est accipiendum hospitis.

Porphyrio: *nocturno cruore hospitis. Hospitis sui penetralia cruore sparsisse, hoc est, hospitem in domo sua interfecisse.* Reliqua sic corrige: *et est bis accipiendum* hospitis.

8. *venena Colchica.* Tractavit speciem pro genere, quia Medea summa veneficarum Colchis fuit, quae est civitas Thessaliae in qua, prae omnibus regionibus, tam serpentes quam venefici abundant. Ducatu ergo istius Medeae Jason a Colchis vellus aureum abstulit.

Acro: *venena Colchica. Specialem provinciam posuit pro generali crimine. Colchos enim Scythiae civitas est, ex qua Medea fuit, venenis et magica arte potens.*

9.* *quidquid usquam.* i. e. Quidquid mali excogitari potest.

11.* *te caducum.* Et casu bu (sic) quod casu tuo me opprimere voluisti.

12* *immerentis.* Non merentis, quia tibi hoc non promerui.

13. * *quid quisque vitet.* Nullus homo se potest cavere ut aliquo in loco periculum non incurrat, sicut Horatio potuerat contingere.

14. *Bosporum.* Bosporus Ponti sunt fauces, ubi propter angustias assidua naufragia sunt.

Acro: *Bosporus enim Ponti sunt fauces, ubi propter angustias assidua naufragia fiunt.*

15.* *neque ultra.* Precatur illa ubi laborat et ubi morando periclitari timet.

16. *timet aliunde fata.* Significat unumquemque hominem periculum non timere, nisi cum proximum sit et maxime illa timere in quibus laborat. Plerumque tamen malis inopinatis ex improviso quilibet opprimitur: sicut paene fuit ut Horatio contingeret.

Acro ad vs. 13. *quid quisque vitet. Sententia qua dicit improvidas hominum mentes nulla fatis obviare cautela, nec metuere periculum, nisi cui* (l. cum) *sit proximum, et tamen multos improvisis opprimi periculis.* Porphyrio: *His, et quae subjecta sunt, significat, unumquemque hominum non fere periculum timere, nisi cum ei proximus sit: verum tamen plerumque ex improviso mala inopinata intervenire atque opprimere.*

18.* *Parthi.* Timent comprehendi a Romanis, contra quos continua proelia agunt, et duci catenati et captivi.

20.* *rapietque gentis.* Licet ad tempus homines quaedam pericula possent vitare, mortem autem nequaquam, quae improvise omnes rapit.

21.* *quam paene furvae.* Hoc dicit, quod, dum arbor super illum ruit, paene fuit ut moriretur et videret regna Inferni, et Aeacum judicem et Rhadamanthum, qui cum tertio fratre Minos (sic) animos judicant apud Inferos eo quod magnae justitiae fuissent apud Superos. Fuerunt autem Cretenses.

* *regna Proserpinae.* Proserpina filia fuit Dianae, quam rapuit Pluto, deus Inferni. Unde congrue dicitur tenere regna mariti.

Rectius MStum Franck. *Proserpina filia fuit Cereris, quam* cet.

22.

22. *et judicantem vidimus Aeacum.* Achillis avum, qui pro justitiae bono apud Inferos judicium meruisse perhibetur.

Acro: *Aeacum. Achillis avum, qui pro justitiae bono etiam apud Inferos judicium meruisse perhibetur, unde et Juvenalis* [I. 9.] *« Quas torqueat umbras Aeacus.»*

25. *Sappho.* Paene fuit ut viderem Sappho, mulierem poëtae, querentem de popularibus puellis. Sappho, mulier; cujus nomen indeclinabile est. Mulier Graeca fuit, perita tragoediae, cujus imitator Horatius fuit: quae dicitur querellari apud Inferos de puellis civibus suis cur eundem puerum non amassent, quem ipsa diligebat.

Non dubium est quin hoc scholion ex variis scholiis constipatum sit. Qui hoc ita constipavit, videtur nescivisse, verba *mulierem poëtam* significare *poëtriam*, adeoque scripsisse *mulierem poëtae.* Et postrema pars manifeste sumta est ex Acrone: *querebatur autem Sappho de puellis suis civibus, quod non amarent, quem ipsa diligebat.* Ceterum ad verbum fere hoc scholion legitur in MSto Franekerano: habetque hoc *mulierem poëtam* et pro *eundem puerum* habet *Oden puerum.* Melius Comm. Cruq. *Phaonem*, ut vel ex Ovid. Heroid. Ep. XV. notissimum est.

27. *Alcaee.* Alloquitur Alcaeum tragicum Graecum, cujus imitator ipse extitit. Et dicit quia paene fuit ut illum videret apud Inferos. *Plenius* autem dicit eum *sonantem*, quia Alcaeus fortiores i. e. bellicas res scripsit et navigationem, cum a tyrannis Mitylenensibus pulsus est. Dicitur autem sonare lyram *cum aureo plectro* propter dignitatem car-

carminis. Quod vero dicit de Sappho et Alcaeo, intelligendum est de omnibus, quod officia, quae in praesenti habuerunt, habituri sint in alia vita.

Acro: *Alcaee. Qui res bellicas et navigationem suam scripsit, dum a Pittaco, tyranno civitatis suae, pulsus esset, eo quod Mitylenensibus amorem libertatis suaderet, quos postea collecto exercitu superavit. Aureo plectro. Meliore: aut aureo plectro propter celebritatem carminis dixit.* Porphyrio: *Plenius, inquit, sonantem, quia Alcaeus robustior est* (l. robustiores) *id est bellicas res scripsit et navigationem suam* (l. cum) *a tyrannis Mitylenensibus pulsus est. Aureo autem plectro propter dignitatem carminis dixit*

29. *utrumque.* Et Sappho et Alcaeum, aut fugam et pugnas.

Acro: *utrumque. Aut Sappho et Alcaeum: aut fugam et pugnas: aut certe carmina quae sic sancta sunt, ut adyti alicujus putarentur digna secreto.*

* *sacro digna silentio.* Talia dicunt ut dignum sit umbras silere et diligenter audire.

31. *pugnas et exactos tyrannos.* i. e. Multitudo umbrarum convenientium ad audiendum, magis delectatur audire pugnas quam lyrica.

Porphyrio: *vulgus. Multitudinem signat umbrarum ad audiendum convenientium.*

32. *bibit aure.* i. e. Avidissime audit.

Acro: *bibit aure. Avide audit.*

34. *bellua centiceps.* Cerberum dicit, qui propter multitudinem anguium ex se eminentium centiceps dicitur. Sensus est: Quid mirum, inquit, si umbrae libenter eum audiunt, cum et Cerberus et angues Eumenidum stupeant?

A-

Acro: *Cerberum dixit propter multitudinem anguium, qui in capite ejus eminebant.* Porphyrio: *quid mirum. Sensus est: Non mirandum si illum umbrae libenter audiunt, cum Cerberus et angues Eumenidum stupeant admiratione carminis illius. Bellua centiceps. Cerberum dicit. Propter* (l. qui propter) *multitudinem angulum, qui ex eo emanant* (l. eminent), *centiceps recte dicitur.*

36.* *Eumenidum.* Eumenides filiae fuerunt Eumenis, quae dicuntur Furiae infernales, habentes pro crinibus angues: quarum haec sunt nomina: Tisiphone, Megaera, Alecto. Vocantur autem per contrarium Eumenides, quasi bonae: quia e u dicitur bonum; cum bonae sint minime.

recreantur angues. i. e. Delectantur auditu boni et mali ut: » frigidus in pratis cantando rumpitur anguis."

Acro: *recreantur. Delectantur. Nam est animal anguis auditus capax mali et boni, ut* [Virgil. Ecl. VIII. 71] « *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.*"

37.* *Pometheus.* Prometheus, filius Japeti, delectatur suavitate cantus, qui tenetur apud Inferos religatus, eo quod praesumserit ignem furari de coelo, apposita facula ad rotam solis.

* *et Pelopis parens.* Tantalum vult intelligi, patrem Pelopis, qui idcirco quod ipsum filium suum Pelopem diis apposuit epulandum, apud Inferos tenetur religatus, habens ante os poma pendentia, rivumque purissimum decurrentem, ex quibus non permittitur aliquid contingere. Quae fabula a Nasone plenius narratur. Quod autem dicit *decipitur laborum* audax figura est et praesumptiva:

va : vult autem intelligi, audientibus auferri sensum laboris et poenarum, delectatione cantilenae Alcaei et Sappho.

Postrema sumta sunt ex Porphyrione: *laborum decipitur sono. Audax figura*, laborum decipere: *vult enim intelligi audienti illi sensum laboris auferri.*

Prometheus. Raptor per ferulam ignis divini, vulturi pastum deputatus, dum carminis delectatione tenetur, oblitus est.

Acro: *Prometheus raptor per ferulam ignis divini, vulturis pastum, dum carminis oblectatione teneretur, oblitus est.*

et Pelopis parens. Japetus et Tantalus, pro criminibus damnati, poenarum requiem apud Inferos invenisse carminum delectatione a poeta firmatur.

Acro: *Japetus et Tantalus pro criminibus damnati, poenarum requiem apud Inferos habuisse carminum delectatione a poëta firmantur. Virgil.* [Ge. IV. 481.] *„Quin ipsae stupuere domus, atque intima lethi Tartara."*

38. *dulci laborum decipitur sono.* Audiendo sonum obliviscitur laboris et poenae.

Acro: *laborum decipitur sono. Figura* decipitur laborum, *pro eo, quod est, fallitur in laboribus et sensum laboris amittit, dum carminibus delectatur.*

39.[4] *nec curat Orion leones.* Dicit ipsum Orionem, qui alio tempore venationi studet, suavitate cantus cessare a venatione; per quod ostendit, sicut (ad vs. 27.) dictum, propria officia post mortem retinere.

ad

ad Carm. II. 14.* Metrum duobus versibus Alcaicum: tertius Jambicus: quartus Pindaricus.

1. *Eheu fugaces.* Praemisso doloris affectu ad Postumum queritur de vitae brevitate, quod nullus justitia vel pietate mortem possit evadere nec imminente mora quantacunque differt et dicit supervacue timeri quod non potest evitari.

Acro: *Praemisso doloris affectu ad Postumum, queritur de vitae brevitate, quod nullus justitia vel pietate mortem possit evadere nec imminentem horam mora quantacunque differre et dicit supervacue timeri quod non potest evitari.*

3.* *rugis.* Contractae senectuti, per quam proprie rugosa est. Et dicit quod quamvis sit homo pietate ac religione pollens non idcirco evadet mortem.

4.* *indomitaeque morti.* Ferocissimae scilicet, quod nemo ab ea indigentiam (sic) obtineat.

Acro: *indomitaeque morti. Quasi ferocissimae, a qua nemo exoret indulgentiam.* Porphyrio: *indomitae. Quasi ferocissimae, quia nemo ab ea benevolentiam et indulgentiam exorat*

5* *non si tricenis, quotquot eunt dies.* Si per omnes dies vitae tuae XXX tauros macles Plutoni, non ideo evades mortem.

6.* *illacrimabilem.* Inexorabilem: pro dolore mortalitatis nihil tibi prodest.

7. *ter amplum Geryonem.* Trimembrem monstruosum, quem Hercules interemit.

Acro: *ter amplum Geryonem. Hoc est trino corpore monstruosum, quem Hercules interemit. Virgil.* [Aen. VII. 661.] *«Laurentia postquam Geryone extincto Ti-*

Tirynthius attigit arva." *Et* [Aen. VIII. 202.] *"Tergemini nece Geryonis."*

8.* *Geryonem.* Trimembrem. Geryon siquidem rex fuit Hispaniae, qui trimembris dicitur fuisse a tribus insulis quibus imperavit; quem Hercules interfecit bovesque illius occidit.

* *Tityon.* Tityon filius fuit Terrae, qui, cum adolevisset, voluit violare Latonam: unde Apollo iratus detrusit eum apud Inferos ibique jecur illius vultur exedit, qui tantae magnitudinis fuit ut novem jugera terrae mole corporis sui occuparet.

11.* *sive reges.* Hoc est, sive nobiles, sive ignobiles simus, moriendum est.

12. *sive inopes erimus coloni.* Colonos optime dixit, quasi nihil proprium habentes, sed temporales terrae cultores.

Acro: *coloni. Optime dixit, quasi nil proprium habentes, sed temporales terrae cultores.*

13. *frustra cruento Marte carebimus.* Praesentia, inquit, pericula magnopere vitare quaerimus, sive in praeliis sive in mari. Sed frustra, cum nulla ratione mortem evadere possimus.

Acro ad vs. 6. *Dicit tamen praesentia pericula magnopere homines vitare cupere, cum nulla ratione possint mortem vitare.* Porphyrio ad vs. 13. *Praesentia pericula magnopere vitare cupimus, cum nulla ratione mortem effugere possimus.*

15.* *frustra per autumnos.* Autumnale tempus notum est omnibus infirmius esse et morbo abundare prae omnibus temporibus anni. Dicit ergo, quod frustra quaerimus medicina vitare autumnales morbos cum moriendum sit.

18.*

18*. *Danai*. Danaus et Aegyptus duo reges fuerunt, quorum unus habuit L filios, alter vero totidem filias, qui sibi in connubii copulam devenerunt. Sed quia unaquaeque illarum virum proprium interfecit, tenentur apud Inferos cum patre suo Danao. Et quia in hoc magnum scelus patraverunt, genus illorum infame dicitur.

Danai genus infame. Famosum a facti crimine. Filiae ejus una nocte jussu patris occiderunt maritos, unde urnis fractis aquam hauriunt apud Inferos indefessae.

Acro: *genus infame. Famosum a facti crimine. Danai enim filiae una nocte jussu patris occiderunt maritos. Unde Virgil.* [Aen. X, 497.] "*Una sub nocte jugali Caesa manus juvenum.*" *Unde pro ultione commissi criminis apud Inferos urnis fractis aquam indefessae perhibentur haurire.*

20.* *Sisyphus.* Iste est Sisyphus Graecus, qui ob enormitatem sceleris sui religatus habetur ad rotam apud Inferos, [1] ...... long. lab. .... Quod autem dicit *damnatus laboris*, genitivo, figurate protulit, sicut et dicitur *damnatus capitis* vel *mortis*.

1 Literae vetustate exesae sic supplendae sunt ex Cod. Voss. *ibique longo labore cruciatur.*

Sisyphus. Iste saxum contra verticem montis volvit, quo semper relapso, finem numquam meretur laboris, eo quod ille confessus est secretum Jovis, Asopi quaerentis filiam, quam stupravit Jupiter furtim.

Acro: *damnatus laboris dixit ut* damnatus capitis *vel* injuriarum. *Haec autem manere poena apud Inferos*

Si-

Sisyphum dicitur, ut saxum contra montis verticem volvat, quo semper relapso finem numquam meretur laboris; de quo Virgil. [Aen. VI. 616.] *« Saxum ingens volvunt alii." Pro hoc tamen flagitio, tali poena percussus est, quia Aeginam Asopi filiam Jupiter adamavit, eamque custodiae patris furtim surripuit et factum Sisypho confessus est; ille humana levitate . . . quaerenti eam patri prodidit: hinc tali apud Inferos poena damnatus est.* In lacuna inserantur verba *cum tacere non posset* ex Comment. Cruquii.

23. *praeter invisas cupressos.* Quia cupressi funeribus adhibebantur et rogis mortuorum, bene dicit cupressos sequi dominum ad mortem: *invisas* autem, propter mortem.

Porphyrio: *invisas inquit, quia funeribus cupressus adhibetur.*

24. *vita* (sic) *brevem.* Vita brevem dicit pro *brevis vitae;* et est antiqua figura.

Porphyrio: *brevem dominum. Id est brevis vitae.*

25. *absumet heres.* Haec cum invectione dicuntur, corripienti eum quod ad nimiam parsimoniam se constringat, servans quod heres prodigus sit abusurus. (sic)

Porphyrio: *Haec cum invectione dicuntur corripienti eum, quod ad nimiam parsimoniam se constringat, adservans quod heres prodige sit absumturus.*

* *dignior.* i. e. Humanior.

* *servata,* Ab avaro, per multos annos.

mero tinguet pavimentum. Effusurum eum vina significat passim et abunde expensurum, quae hic avarus magnopere servaverat, non quod pavimentum domus vino respergat; quod est dicere: O avare, vi-

vinum, quod tu laborasti et sub multiplices seras recondisti, neque tu bibens, neque aliis largiens, heres tuus humanior largissime illud expendet.

Porphyrio: *Effusurum eum passim vina significat, quae hic magnopere servaverat reclusa.*

superbo. Hypallage, pro ipse superbus.

Acro: *superbo. Pro ipse superbus. Hypallage figura.*

28.* *pontificum potiore coenis.* Meliore illo vino, quod solet in sacrificiis Pontificum offerri.

§. 15.

Scholiasta Vossianus sive Leidensis Secundus.

Ex Scholiasta Vossiano, speciminis causa, publicabo scholia quae leguntur ad carmen VI et VII Libri secundi. Apparebit inde, ut dixi, hunc pleraque sua ex Porphyrionis commentario descripsisse, adeoque non mereri qui pro peculiari interprete habeatur.

ad Carm. II. 6. 1. *Septimi, Gades aditure mecum.* Hac ode Septimium, equitem Romanum, commilitonem suum, alloquitur, affirmans gratissima sibi esse loca Tiburis et Tarenti, ubi patrimonium i. e. hereditatem habebat.

Porphyrio: *Hac ode Septimium, equitem Romanum, commilitonem suum, alloquitur, qua testatur gratissima sibi loca esse Tiburis et Tarenti.*

* *Gades*. Vocatur proprii nominis oppidum Hispaniae, remotum longe a Roma.

* *aditure*. Qui mecum, inquit, aditurus esses extremos quosque fines terrarum et pericula quaeque maris mecum passurus, amicitiae causa.

Idem scholion legitur in Cod. Leidensi Primo.

2. *Cantabrum*. Gens Galliae, quae necdum Romanis subdita fuerat.

Porphyrio: *Apparet Cantabros, quae est gens Galliae, illo adhuc tempore indomitos fuisse, cum dicit Cantabrum indoctum juga ferre nostra.*

* *indoctum*. i. e. Nolentem.

* *nostra*. i. e. Romana.

3.* *barbaras Syrtes*. Et aditure mecum loca periculosa.

Maura. Pro Africana; quia tam Africa quam Mauritania Libya dicitur eo quod confines sint.

Porphyrio: *Maura hic pro Africa ἁπλῶς dicitur, scilicet, quod tam Africa quam Mauritania generaliter Libya dicitur.*

5. *Tibur*. Tibur, oppidum a tribus fratribus conditum, a Tiburto, Catillo, Cora, quos constat Argivos fuisse. Virgilius: „Catillusque acerque Coras, Argiva juventus."

Porphyrio: *Supra* [ad Carm. I. 7. 13.] *ostendimus Tibur oppidum a tribus fratribus conditum esse Tiburto, Catillo, Cora; quos genere Argivos esse, etiam Virgilius testis est, qui ait:* [Aen. VII. 672.] „*Catillusque, acerque Coras, Argiva juventus.*"

* *positum*. i. e. Collocatum.

7. *sit modus*. Finis laborum. Optat post labores

res maris et viarum et militiae, reliqua aetate Tiburis secessum.

Porphyrio: *Modum nunc pro fine dixit. Optat ergo sibi post laborem maris et viarum atque militiae, in reliqua aetate Tiburis secessum.*

9*. *Parcae prohibent iniquae.* Hoc est, iniqua fata.

10. *dulce pellitis ovibus Galaesi flumen.* Flumen Tarentinorum, quorum oves pellibus teguntur. Vel certe *pellitis* id est villosis.

Porphyrio: *Galaesius fluvius est Tarentinorum. Pellitas autem oves dixit, quod Tarentinae oves pellibus teguntur. De fertilitate autem et amoenitate Tarentini agri et Virgilius in Georg. quarto* [126.] *significat, et sic Titurius ait: « Tarentinorum hortorum qui geris odorem." cum vellet intelligi, florum.* Quis sit Titurius, dicere nescio. Idem nomen legitur apud Comment. Cruquii. Fortasse corruptum est pro *Titinius.* Et Titinii s. Titinnii, multa fragmenta servarunt, cum alii Grammatici, tum Nonius Marcellus.

11. *regnata.* Participium sine verbi origine.

Acro: *regnata. Participium est sine verbi substantia, ut Virgil.* [Aen. III. 14.] *« Acri quondam regnata Lycurgo."*

* *Laconi.* Pro Laconensi. Ipsa est et Lacedaemonia. Idem scholion legitur in Leidensi Primo.

12. *Phalanto.* Phalantus, Lacedaemonius, quo auctore i. e. Phalanto, et principe Spartani Tarentum condiderunt.

Porphyrio: *Phalantus Lacedaemonius fuit, quo auctore et principe Partheniae Spartani Tarentum condiderunt.*

13. *praeter omnes.* Scilicet angulos.

Acro: *praeter omnes.* *Supple* angulos terrarum.

14.* *angulus.* Tarentum vel Tibur.

Hymetto. Mons Atticae, abundans melle puro. Et est sensus: Tale ibi mel nascitur, quod ab Attico non vincatur.

15. *decedunt.* Quasi non cedunt, per antiphrasin dictum, i. e. non plus valent illa mella quam nostrum quod in Tibur nascitur.

Porphyrio: *ubi non Hymetto mella decedunt.* *Hymettus mons est Atticae, ubi optimum mel nascitur.* *Decedunt ergo; e contrario cedunt; compositum pro simplici, id est,* cedunt. *Sensus autem est: Ubi mel nascitur quod Attico non vincatur.*

16. *bacca.* Bacca pro oliva posuit.

Venafro. Mons Apuliae, purissimi olei abundans. Dicit ergo in Tarentino agro tale oleum nasci, quale sit Venafrum, quod etiam contendat dignitate sui cum viridi oliva, quae nascitur in Venafro monte Italiae.

Porphyrio: *viridique certat bacca Venafro.* *Graeca figura dictum est,* illi certat. *Bacca autem pro oliva dixit; videtur ergo significare Tarentino agro tale oleum nasci, quale sit Venafrum.*

17.* *ver ubi longum.* In Tarento perpetua temperies est aëris.

18.* *Jupiter.* Aër.

* *brumas.* Hiemes.

Aulon. Locus contra Tarentum, fertilis vini boni.

Porphyrio: *Aulon locus est contra Tarentinam regionem, ferax boni vini.*

20.

20. *invidet.* Pro *non invidet*; quia videlicet non est ibi deterius vinum quam in Falerno. Invidet enim tantum inferior.

Porphyrio: *invidet. Pro* non invidet, *quia scilicet non fit ibi deterius vinum quam in Falerno agro. Invidet enim tantum qui inferior est.*

21.* *te.* O Septimi.

* *locus.* Scilicet *postulat.*

23. *debita.* Familiari, utpote pro amico sparges meum rogum.

sparges lacrima favillam. Eleganter Septimium sibi superstitem optavit, i. e. sepelies me, Septimi, cum lacrimis.

Acro: *Eleganter se cum Septimio in laudatis locis optat vivere et eum habere superstitem, defunctoque sibi justa persolvere.*

24. *vatis amici.* Legitur et HORATI VATIS.

Porphyrio: *vatis amici. Legitur etiam* VATIS *Horatii.* In Fabricii autem editione haec verba omissa sunt. Et caret ista pluribus scholiis quae in Ascensiana a. 1519. leguntur. Cf. utramque editionem ad Carm. I, 13. 10. I, 29. 11. II, 15. 13.

ad Carm. II. 7. 1. *O saepe mecum.* Hac ode ad Pompilium (sic) sodalem scribit, quo gratulatur ei, quod restitutus sit in patriam et testatur commilitonem sibi fuisse in castris Marci Bruti.

Porphyrio: *Hanc odam ad Pompejum sodalem scribit, qua gratulatur ei, quod restitutus sit in patriam et testatur commilitonem sibi fuisse in castris M. Bruti.*

* *tempus in ultimum.* Paene usque ad mortem.

2.* *deducte.* Vocativus. Id est, qui deductus

es

ee mecum usque in ultimum tempus dum Brutus militiam egit.

* *Bruto militiae duce.* In proelio, quod actum est apud Philippos, civitatem Macedoniae, de quo Horatius, projecta parmula sua, fugit, cum quo et Pompilius primum, sed tamen postea reversus est in proelium.

3. *quis.* Scilicet *Deus.*

Comment. Cr. *quis.* *Supple* deus.

redonavit. Reddidit.

Acro: *redonavit.* *Reddidit, redire fecit in patriam.*

Quiritem. Civem Romanum. Nota singulariter dictum *Quiritem*, cum, Donato teste, pluraliter proferatur ut *manes.*

Acro: *Quiritem.* *Romanum. Notandum tamen, quod singularem numerum posuit, cum plurali numero dicatur.* Comment. Cr. *Quiritum.* *Civem Romanum. Notandum* Quiritem *singulariter positum, cum pluraliter tantum Veteribus sit usurpatum* Quirites, *teste Donato, sicut manes.* Donati verba sunt in Edit. Sec. p. 1748. « *Sunt semper pluralia, ut:* manes, Quirites.” ad quem locum Sergius in Comment. ad Donati Edit. Sec. p. 1843. « *Item* Quirites *dicit numero tantum plurali, sed legimus apud Horatium* hunc Quiritem. *Vetus nominativus* hic Quiris. *Item idem Horatius:* Qui te Quiritem, *cujus nominativus erit hic Quirites ut dives Petronius.* Similia fere notavit Scholiasta Persii ad Sat. V. 75. a Peerlkampio citatus. Nos interim e Lexicis scimus *Quiritem* singulari numero saepius a poëtis esse usurpatum. Exemplis a Forcellino allatis addo Ovidium Amor. III. 14 9. « *Ignoto meretrix corpus junctura Quiriti.*”

4.* *Italo.* Romano.

6.

6. *morantem saepe diem mero fregi.* Fregi, divisi. Significat se a sexta hora saepe epulatos.

Porphyrio: *fregi diem. Videtur pro eo quod est* divisi *dixisse, ut a sexta hora significet se saepe epulatos.*

7. *coronatus nitentes capillos.* Nota figura.

8. *malobathro.* Nomen unguenti.

Acro: *malobathrum genus unguenti est.*

9. *Philippos.* Oppidum Macedoniae, ubi Brutus periit.

Porphyrio: *Philippi est oppidum in Macedonia, ubi Brutus periit.*

* *celerem fugam.* Scilicet meam et tuam.

parmula. Breve scutum.

Acro: *parmulâ i. e. Scuto.*

11. *minaces.* Terribiles qui virtute se jactabant.

Porphyrio: *minaces. Qua virtute se Cassius et Brutus praecipue jactabant.*

12. *turpe solum.* Cruore foedatum. Potest esse nomen et adverbium.

Porphyrio: *Turpe solum, aut cruore foedatum, ut:* [Virgil. Aen. II. 502] *« Sanguine foedantem quos ipse sacraverat ignes.» aut nomen est loco adverbii positum ut sit: Turpe solum tetigere, pro turpiter tetigere.*

* *solum tetigere mento.* i. e. Oppetierunt, quod est proprie morientium, ut terram mento i. e. ore petant.

* *mento.* Legitur et *memento.*

13. *me per hostes Mercurius celer.* Saepe ostendit Horatius se in partibus militasse M. Bruti: jucunde autem sublatum se a Mercurio dicit de illa cae-

caede, significans clam et quasi quodam furto se inde fugisse. Celer enim Mercurius celeritatem fugae significat.

Porphyrio: *Saepe ostendit Horatius se in Bruti partibus militasse. Jucunde autem a Mercurio sublatum de illa caede dicit, signans clam et quasi furto quodam se inde fugisse. Per* celerem *ergo* Mercurium *celeritatem fugae, per id quod ait* denso aëre *latebras ipsius fugae intelligi vult.*

14. *paventem.* A multitudine armatorum.

Comment. Cr. *paventem. Ob multitudinem armorum.*

15.* *te.* O Pompili.

te rursus in bellum. Allegorice significat Pompilium post fugam illam impetu quodam mentis petisse rursum partes Bruti in proelium.

Porphyrio: *Allegoricôs signat Pompejum post fugam illam impetu quodam mentis petisse rursum partes Bruti.*

16.* *unda.* Impetus animi.

fretis tulit aestuosis. i. e. Eadem commotione animi.

17. *obligatam.* Repromissam, devotam.

Porphyrio: *obligatam. Promissam ac debitam.*

* *dapem.* Sacrificium.

19.* *lauro.* Laurus secundae et quartae declinationis habetur, sicut et pinus, teste [1] prs.

[1] Hoc siglo significatur Priscianus, apud quem id ipsum, quod Scholiasta docet, legitur L. V. p. 653. *In* us *correpta secundae vel quartae declinationis, si sint arborum nomina, feminina sunt — cupressus, myrtus, laurus, cornus, quercus* cet. Tum L. VI. p. 717. *Feminina ejusdem terminationis correptae, si sint arborum nomina, secundae erunt declinationis* cet. *Excipiuntur quercus, laurus, pi-*

pinus, cornus, ficus, quae tam secundae quam quartae inveniuntur.

20.* *parce.* Parcas.

* *cadis tibi destinatis.* Ad bibendum.

21. *oblivioso.* Oblivionem curarum faciente: vinum enim obliviosos homines reddit.

Porphyrio: *oblivioso Massico. Massico id est vino obliviones curarum ac sollicitudinum faciente vel afferente.*

* *Massico.* A Massico monte vinum optimum.

22. *ciboria.* Folia sunt colocasiorum, ad quorum similitudinem vasa facta sic vocantur.

Porphyrio: *Ciboria proprie sunt folia colocasiorum, in quorum similitudinem pocula facta eodem nomine appellantur.*

23. *quis udo deproperare apio. Quis* interrogative posuit, sed cum quodam hortamento. *Udo*, viridi; vel *udo*, quia in aquis nascitur. *Deproperare*, valde properare.

Porphyrio: *quis. Interrogative cum quodam hortamento dicitur. Udo autem apio pro viridi, vel quod in aqua nascitur. Deproperare autem valde properare signat.*

25. *quem Venus arbitrum dicet bibendi.* Inchoatorem bibendi, quod Graece dicitur ΑΡΤΗΠΟΙΣΙΑ. Nam inchoationem conviviorum talorum jactu sortiri solebant. Venerius enim jactus in talis summum numerum habet, id est XXX.

Porphyrio: *Arbitrum bibendi. Ἀρχιποσίαν. Inchoationem bibendi in convivio talorum jactu sortiri solebant. Venerius autem jactus in talis summum numerum habet, id est, tricenarium.* Qui hunc Codicem scripsit, hoc habet

cum

cum aliis librariis commune, quod non intellexerit Graeca. Indicio sit scholion ad Art. Poet. 49. INDICIIS MONSTRARE RECENTIBUS. *Mire dixit:* indicia *enim animi verba sunt;* indiciis *ergo* recentibus, *rudi inventione verborum, quia indicia rerum verba sunt secundum philosophos qui aiunt* ·Ε· Α Ε· εχωΝ ΤΟΝ ΠΡωΤΙϲΤΟΝ ΕΙΝαι ΑΥΤωΝ ΛΟΓΟΝ. Quae verba ex Acrone facile emendamus ΈΑΝ ΕΧΩΝ ΤΩΝ ΤΡΟΠΩΝ ΕΙΝΑΙ ΤΟΝ ΛΟΓΟΝ.

26.* *dicet.* Quis prior incipiet bibere, ut illius precatu amplius bibatur.

27*. *bacchabor.* Insaniam.

Edonis, Thraces, quos solet ebrietas fortiores facere.

Porphyrio: *Edonii Thraces sunt, quos solet ebrietas fortiores reddere.*

28. *dulce mihi furere est amico.* Non solum bibere volo, sed etiam mihi furere delectat recepto amico.

Porphyrio: *Percipiendum extrinsecus etiam, ut sit, etiam furere dulce mihi est recepto amico.*

Quae e singulis Codicibus speciminis causa publicavimus, satis probant, Scholia ista inedita non esse ea quorum consarcinatores mereantur pro peculiaribus Horatii interpretibus haberi: quod adhuc quidem vulgaris opinio credidit. Ex collatione, quam haec inter et editorum Scholiastarum laborem instituimus, videre licet, haec Scholia maximam partem ex Acrone et Porphyrione esse excerpta, admixtis passim laciniis partim aliunde desumtis, partim ex Epitomatorum ingenio depromptis. Et, quum olim, de Virgilii interpretibus disserens, didicerim quid de

de ineditis, quae feruntur, Scholiis exspectandum sit, si verum fateor, talem omnino, qualem nunc exitus comprobavit, horum Scholiastarum faciem fore divinaveram priusquam singulorum laborem ad unguem deducere coepissem. Non sine causa igitur, si modo non sit audacius de scriptis, quae non vidimus, judicare, similem omnino suspicor fore plerorumque, qui apud exteros servari narrantur, ineditorum Scholiastarum laborem; de quo equidem cavebo ne nimiam exspectationem foveam. Sed, plerorumque, inquam, non omnium: certo enim scimus reperiri subinde in Bibliothecis Scholia inedita, quae, utpote ab editis plane diversa, auctoribus suis plenissimo jure inter peculiares Horatii Scholiastas locum vindicent: quales alii alios fortasse deprehendent; mihi adhuc quidem tres tantum innotuerunt, nempe Barthianus Tertius, Sangallensis et Theveneotianus; de quibus nunc ad calcem nostrae disputationis exponemus.

Prius tamen dicam, quod monendum censeo de istorum labore, quos immerito pro peculiaribus Scholiastis habitos esse dixi. Erunt enim, sicut opinor, qui arbitraturi sint librarios, qui haec Scholia scripserunt ut nunc in MStis leguntur, habuisse integriora Acronis et Porphyrionis apographa, et qui adeo censeant editos Scholiastarum Commentarios supplendos esse omnibus istis annotationibus quae in MStis leguntur locupletiores. Qualis fucus olim male sedulos Servii editores incessit. Hos igitur probe cautos esse admoneo, quum, nisi genio suo indulgere abstineant, non dubium sit quin Hora-

ra-

ratii Scholiastas brevi barbatos monachici aevi magistellos facturi, eorumque Commentarios non minori incommodo commaculatum sint quam Virgilii Scholiastas malo alienigenis laciniis adaugendi furore a multis superioris seculi editoribus commaculates esse dolemus.

§. 16.

SCHOLIASTA BARTHIANUS TERTIUS.

Peculiaris igitur, ut dixi, Scholiasta habendus est is, cujus Scholia ad Artem Poëticam Barthius in Advers. L. XLII. c. 22 publicavit; cujus quippe labor tantopere differat ab editis Scholiastis, ut, quamquam dubito dicere hunc Acronis et Porphyrionis operam plane non cognovisse, hoc tamen pro certo affirmare audeam, nimo neutrius Scholiastae Commentarios usurpasse, multo minus compilasse.

Barthius haec reperit *in vetustissimis*, sic ipse ait, *et pene obsoletis membranis Artis Poëticae.* Quibus verbis satis quidem manifeste declaravit, Scholiastae laborem non latius patuisse quam ad Artem Poëticam: hoc tamen reticuit, utrum istae membranae scholia in totam Artem Poëticam continuerint, an vero ea tantum quae ab ipso publicata sunt; id est usque ad vs. 16.

Nos operae pretium facturi nobis videmur, si haec scholia cum interpositis Barthii animadversionibus repetiverimus.

ad

ad Art. Poet. 1. *Humano capiti.* Formosissimae mulieris.

cervicem. Collum. Equi vero, quia equorum forma cervice nobilitatur. Virgilius: [1] illi ardua cervix, Argutumque caput."

1 Ge. III. 79.

2. *varias.* A variis avibus.

3. *undique.* A pluribus animalibus.

Acro: *undique. Ex diversis scilicet animalibus.*

turpiter. Monstrose. Nam forma requirit paria. Virgilius: » [1] optima torvae Forma bovis, cui turpe caput."

1 Ge. III. 51.

4. *superne.* Superiori parte.

Acro: *superne. Superiori parte id est vultu et cervice.*

5. *spectatum admissi.* Ad spectandum convocati. Pictores priusquam tabulas venales ponerent, convocabant amicos, ut eas spectarent. Unde et *spectatus* est probatus, perfectus. Pingitur autem tabula in figura mechonomi. (sic)

Barthius: *Ita expresse scriptum est in membranis, nec displicet compositio licet minus usitata. — Caeterum nec de voce illa, quam modo eruimus, praetereundum, suspicari me de Neoptolemo veteri scriptore quid latitare; ex eo enim pleraque capita hujus libelli delibavit Horatius. Porphyrio: « In quem librum congessit praecepta Neoptolemi de Arte Poëtica, non quidem omnia, sed eminentissima.".* Quae Barthius de Neoptolemo somniavit, mihi quidem parum placent. Vox *mechonomum* in Lexicis non reperitur. Locus igitur videtur corruptus. Possis legere *Ponitur autem tabula in figura maeniani.* Maenianum enim,

enim, teste Festo et Nonio, est tabulatum, sive lapis extra parietem projectus et ad perspiciendum aptus, ita dictum quod formam referat Columnae Maeniae, i. e. columnae, quam, ut docet Porphyrio supra p. 93. a nobis excitatur, Maenius sibi aedificaverat ut gladiatorum ludos, eo tempore in Foro exhiberi solitos, prospicere posset.

6. *Pisones.* Filii Pisonis, quorum causa scribit.
librum. Poëma.
tabulae. Picturae.
7. *persimilem.* Valde similem.
8. *nec pes nec caput uni reddatur formae.* Id est ut finis sit informis capiti, id est principio, nec caput sit uniforme pedi: temerata enim est haec dictio, *uniforme.*

Barthius: *Haec Glossularius cascus. At nemini dubium per Tmesin velle disjunctam esse vocem ab Horatio. Donatus in libro de Tropis* [p. 1777.] « *Tmesis est unius compositi aut simplicis verbi sectio, una dictione vel pluribus interjectis, ut:* [Virgil. Ge. III. 381.]

Talis Hyperboreo septem subjecta trioni.

pro Septemtrioni. *Et:* [Ennius p. 151. Hess.]

. . . *Saxo cere comminuit brum.*

Et: [Ennius p. 149.]

Massyli portant juveneis ad littora tanas."

Exempla supersunt non pauca in priscis poëtis et in Christianis agnoscit Beda libro de Tropis scripturae.

9. *pictoribus.* Objectio.
11. *scimus.* Responsio ad objectionem.
veniam. Licentiam.
12. *sed non.* Ita ait: Concedimus pingi et scribi

ibi mira, ut non cohaerescant pictura vel scriptura, quae discohaerent natura.

13. *geminentur.* Naturali conjunctione, a qua tamen natura abhorret.

tigribus. Animalium omnium truculentissimi tigres. Virgilius: „ [1] Rutulum in medio non agmine regem Viderit (irrumpentem, ultroque incluserit urbi,) Immanem veluti pecora inter inertia tigrim." Et duo extrema posuit.

1 Aen. IX. 728.

14. *inceptis gravibus.* Ponit secundum vitium, scilicet incongruam digressionem. Et caussam vitii videlicet aliquociens cum Poëtae grave quid inceperunt, digrediuntur ad aliquam topographiam vel ad aliud quid, non protinus ad materiam quam prae manibus habent.

magna professis. * Scilicet Enfleregesis. *

Barthius: *Sic ille blattarius non malae mentis Exegetes. At monstrum illud, quod asteriscis notavi, quale fuerit: divinandum aliis relinquo; suspicor tamen testimonium vel expositionem alicujus Grammatici melioris notae delitescere.* Nodum in scirpis quaesivit Barthius: nec difficile divinatu est quid Glossator voluerit. Voluit, si quid video, docere τὸ *magna professis* esse Appositionem τοῦ *inceptis gravibus.* Appositio autem a Scholiastis, ut a Serv. ad Virgilianum (Aen. VI. 7.) *ferarum tecta, silvas;* et ab Acrone ad Horatianum (Carm. I. 3. 2.) *fratres Helenae, lucida sidera;* iterum ad (Carm. I. 3. 20.) *infames scopulos, Acroceraunia,* aliisque vocatur Ἐπεξήγησις. Quam vocem in MSto Franekerano modo *Effexegesis* modo *Effexegis* scribi, supra vidimus p. 124. et 128.

15. *purpureus.* Pulcer, conspicuus, ut faciat carmen splendere.

unus et alter. Unius vel alterius coloris. Nam qui praeclarus color est, dicitur purpureus.

16. *pannus.* Qui magis pertineat ad dedecus quam ad decus.

et fortasse cupressum. Invehitur in pictorem qui quaerit a naufrago an velit arborem cupressum addi ad naufragium quod fingere debet.

§. 17.

SCHOLIASTA SANGALLENSIS.

Peculiaris item interpretis nomen sibi vindicat Scholiasta Sangallensis, ab Orellio nuper detectus: cujus quippe labor, quantum ex speciminibus judicare licet, ab editis Scholiastis plane discedat: quamquam dubium videri poterit an merito antiquus vocetur, cujus aetas non facile Sec. XI vel XII. praecessit.

At vel sic tamen, ne quidquam omittamus quod ad nostrum argumentum pertinere videatur, operae pretium ducimus Orellii notitiam una cum speciminibus ab eo publicatis, hoc loco integram describere.

Hic igitur in Epist. Crit. ad Madvigium p. LIII. haec scribit: » *In Cd. Sangallensi N. 868. membranaceo Seculi XII. formae octuplicatae, tam minutis et ex parte evanidis literis scripto, ut sine microscopii ope vix legi possit, inest Commentarius nondum editus in Horatii Eclogas omnes.*

Non

Non sine labore haec qualiacunque specimina istius curae excerpsi:

ad Serm. L. II. 3. 1. *Sic raro.* Haec satira solet vocari generalis reprehensio, eo quod Horatius hic non unum vitium tantum, sed diversa vitia reprehendere intendat: loquitur vero hic secundum Stoicam sectam: dicens videlicet quoslibet vitiosos, insanos; quod dicendo Stoici, licet in aliis pluribus indiscrete disputarent, non videntur in hac parte errare: si vero aliquis pro vitiato cerebro judicatur insanus, multo plus pro vitiato animo insanus videtur vocandus. Et quia in hac parte doctrina Stoici non a veritate dissidet, hic cum eo consentit; sed quia haec doctrina ad Stoicum pertinet, non ipse Horatius in persona sua hic agit, sed Stoicum quendam Damasippum loquentem inducit: qui vitiosos insanire per ordinem ostendit. Ostendit vero in primis per personam Horatius segnes poëtas et promittentes, sed nihil explentes, insanire. Postea per personam Damasippi ostenditur ipse Stoicus insanus. Et hac partim ex responsione Horatii, partim ex verbis ipsius Damasippi, post mercator in persona ejusdem Damasippi ostenditur insanus: post avarus; post nimis largus; post alii vitiosi et sic incipit Damasippus de segni poëta: *Sic raro scribis* id est, segnis es cet.

ad Epist. I. 18. 1. *Si bene te novi.* Nimis asperos reprehendit per Lollium; qui Lollius dum cavere vellet, ne esset vel videretur adulator, cecidit in contrarium vitium, quod numquam allocutus est amicum suum nisi aspere, reprehendendo eti-

etiam illa, quae nullo modo essent reprehendenda, quum tamen in pluribus et magnis vitiis ipse implicitus esset, quae ipse post notabit. Et sic incipit: *O Lolli liberrime:* hic nota totam intentionem. Ille enim dicitur nimis liber, qui non horret etiam bonos reprehendere. Si ego bene novi te, quod constat; tu professus te amicum alicujus, metues praebere non tantum adulatorem, sed etiam speciem, id est, similitudinem scurrantis et adulatoris, in quo, quasi dicit, bene facis, quia adulator est comparabilis meretrici; verus vero amicus matronae: quod sic dicit: amicus distabit infido scurrae, id est adulatori, ut, id est, sicut erit matrona dispar in quantitate meretrici: non enim tot oscula et tot blandimenta dat matrona, quot meretrix: atque etiam in illis quae facit est discolor in qualitate: quod lascivius osculatur et magis deliciose meretrix quam matrona: verum matrona plus diligit, quam meretrix: licet in gestu non tantum laboret. Ita verus amicus non tantum laudat, quam adulator; tamen plus amat, quam adulator.

5. *est huic.* De isto vitio, videlicet, adulatione caves: et benefacis; sed est quoddam aliud vitium diversum huic vitio prope majus cet.

35. *pascit a. n.* Id est auget per lucrum.

ad imum. Id est ad ultimum erit Threx i. e. venientes de Thracia pauperes erant Romae, facientes turpia officia, purgantes cloacas, ut Britones laudum agunt.

36. *Aut aget.* i. e. ducet gaballum olitoris i. e. illius mercatoris, qui foetentes merces affert, sicut

ut affecta, salem. Et est ab oleo; olea. cet.

Jam ex mira ista doctrina; haec subjungit Orellius, *quae in explicatione et* Threcis *et* olitoria *sese prodit, probe perspicis, optime Madvigi, originem hujusce Commentarii vix excedere ipsius Codicis aetatem; adeo ut scholas continere videatur seculo XI. vel XII. in ipso S. Galli monasterio a professore aliquo poëticae artis habitas: indignas certe, quae a quoquam magno cum oculorum detrimento e tenebris, quibus haud immerito nunc obrutae sunt, aliquando protrahantur. Vix enim insunt in iis antiquae doctrinae e Scholiastis melioribus, nunc deperditis, reliquiae.*

§. 18.

SCHOLIASTA THEVENOTIANUS SIVE LEIDENSIS TERTIUS.

Qualem originem Orellius suspicatur fuisse Commentarii nuper a se reperti in Bibliotheca Sangallensi, similem fere originem esse suspicor Scholiorum, quae scripta sunt in margine Codicis Leidensis, membranae nitore conspicui, sed non valde antiqui; (1) quem

(1) Geelius V. Cl. his ipsis diebus, quibus ea, quae de Scholiasta Thevenotiano disserui, typis describi coepta erant, adeoque paulo serius, de aetate hujus Codicis a me consultus, pro ea qua est humanitate, respondens simul ad-

quem fas est Codicem Thevenotianum appellari, quandoquidem olim Melchisedeci Thevenoti κτῆμα fuerit; post cujus mortem transiit in Vossianam, deinde in Leidensem Bibliothecam, in cujus Catalogo p. 386. A. insignitur N°. 6. Quo hunc igitur ab aliis distinguamus, quos in Bibliotheca Leidensi servari diximus, auctorem Scholiorum, *Scholiastam Thevenotianum* appellare lubet; quum ipsum quidem auctoris nomen, quod nec in fronte nec ad calcem libri adscriptum est, ignoretur.

Incipit hicce Codex ab Epistolis: tum sequuntur Carmina, Epodi, Carmen Seculare et Ars Poëtica. Caret igitur Satiris. Scholia ad Epistolas admodum sunt densa: in Odas non valde frequentia: in Artem Poëticam nulla. Praeter haec vero totus Codex scatet Glossis interlinearibus, verbum verbo explicantibus, de quibus, utpote exigui pretii labore, tacemus.

Ut autem Scholia suspicemur fuisse scholas in uno alterove monasterio Italiae, a professore aliquo poëticae artis, habitas, ipsum suadet annotationis principium, quod his verbis continetur: *Hanc er-*

addidit, cum egregias aliquot emendationes, tum opinionem suam, a mea suspicione paulo discrepantem, de origine horum Scholiorum. Quam quum operae pretium duxerim integram publicare, ne typothetarum laborem penitus conturbem, mox addam ubi mea notitia desierit. Ejusdem vero emendationes, suo quasque loco, inter scholia, inserendas curabo.

ergo primam Epistolam Horatius scribit. Hujusmodi enim exordium, aut ego fallor, aut jubet nos opinari, magistrum, prius cum discipulis de argumento suo confabulatum, hic convertisse se ad dictandum. Porro in eadem annotatione haec sequuntur: *similitudinem autem in sequentibus audietis;* quibus verbis magister auditores suos, non lectores, alloquitur.

Quod si ita sit, non mirum videbitur, si dixero, auctorem fuisse hominem Christianum. Cujus rei indicio est hoc scholion, in quo Euangelium Marci citatur:

ad Epist. I. 12. 7. HERBIS VIVIS ET URTICA. *Catexochen est figura, ut:* [Virgil. Aen. I. 30.] » *Et Danai atque immitis Achilli.*" *et in Sallustio* [. . . .] « *Leonem atque alias feras.*" *et in Sacris* [Marc. XVI. 7.] » *Dicite discipulis et Petro.*"

Qualia autem haec Scholia in Codice Thevenotiano prostant, non ipsa manu magistri scripta sunt, sed a discipulo quodam videntur calamo excepta esse. Partim hoc suspicari licet e lacunis, quibus passim scholia laborant: partim e Graecis mendose scriptis: partim e vitiis, quae tam manifestum est ex dictando orta esse, quam quod est certissimum. De singulis indiciis aliquot exempla proferemus.

1. Lacunas igitur videbis in hisce scholiis:

ad Epist I. 17. 1. In hac Epistola Horatius instruit amicum suum Scaevam de curiali vita: hanc con-

conferens cum solitaria. Utramque tamen laudat, inducens auctores, Aristippum curialis, Diogenem solitariae. Praecepta vitae ad Lollium Scaevam, equitem Romanum, an sectandi sint potiores, et laudat Aristippum conte [1] . . . . . qui affectavit cum regibus vivere.

1 Magister, qui hoc scholion ex Acrone desumsit, dictaverit *Aristippum Cyrenaicum*.

ad Carm. I. 18. 6. *quis non te potius Bacche pater.* Tibur, ut Cato facit testimonium, a Catillo Arcade praefecto classis Euandri. Catillus enim, Amphiarai filius, post prodigialem patris apud Thebas interitum . . . . . jussu cum omni foetu ver sacrum misit tres liberos in Italiam procreavit Tiburtum, Coracem et Catillum. Qui, depulsis ex oppido Sicania veteribus Sicanis, a nomine fratris Tiburti natu maximi urbem vocaverunt.

Supple *Oeclei avi* : quae verba, fortasse junctim a magistro pronunciata, discipulus non intellexerit. Totum hoc scholion sumtum est ex Solini Polyhist c. VIII. cujus verba reperi apud Bolhusium in Diatribe Literaria in M. Porcii Catonis Fragmenta (Traject. ad Rh. 1829) p. 59. Hujus autem egregii libri mentionem facienti, occasio mihi datur (id quod supra p. 68 neglexi) monendi auctorem quod p. 216 perperam inter Catonis Fragmenta retulerit duo dicta, a Commentatore Cruquii memorata: utpote quorum alterum Cicero sibi vindicet, alterum Avianus, sive quisquis alius auctor Fabularum quae hujus nomine feruntur. — In superioribus, post nomen *Euandri*, Scholiasta addere debuerat *conditum est*. In sequentibus pro *misit* legendum *missus*, ut habent Editt. Solini.

ad Carm. II. 17. 22 *impio Saturno*. Benefica Jovis stella eripuit te a malefica Saturni et me Faunus a . . . . Lapsu subtraxit et sumus servati ut

qui

qui sub uno signo nati sumus, sub uno etiam moriemur.

Excidit vox *arboris*, quae uno sensu cum sequentibus jungenda est.

ad Carm. IV. 6. 28. *lenis Agyieu.* Agyieus Apollo a Medis vocatur, ut nonnullis placet, quod eorum lingua exorabilem significat. Vel, quod verius puto, Agyieus subtracta vocali . *i*. ex Graeca diphthongo dicitur. Nam . . . . splendorem orientis solis significat. Unde . . . . quasi . . . . splendidus.

Ex Geelii opinione Scholiasta scribere voluit: *subtracta vocali* . *u*. scilicet in diphthongo *au*, etenim constat idem lacunas hoc modo supplendas esse: *Nam* Αὐγὴ *splendorem orientis solis significat. Unde* Ἀγυιεὺς, *quasi* Αὐγήεις, *splendidus.* — Aliam Glossam ad h. l. alia, ni fallor, recentior manus adscripsit: ΑΓΥΙΕΥ. *Apollo Attica lingua qui a vicis ubi ejus oraculo moniti sacrificabant ei in urbe Attica sic dixerunt* ΑΓΥΙΑΙ. *vici dicuntur.* Voluit scribere: ΑΓΥΙΑΙ *enim vici dicuntur.* Cf. Macrobii verba in Saturn. I. 9. *Apollo apud Graecos et* Ἀγυιεὺς *nuncupatur; quasi viis praepositus urbanis; illi enim vias, quae intra pomoeria sunt,* ἀγυιὰς *appellant.*

ad Carm. IV. 11. 15. *Veneris marinae.* Venus nata dicitur ex spuma cileorum cilei quos Saturnus ejus filius amputavit in mareque dejecit. Unde ipsa . . . . Graecis a spuma dicitur.

Excidit nomen *Aphrodite.*

2. Graeca mendose scripta, haec memoramus:

ad Epist. I. 7. 61. *ad coenam.* Bene ad coenam, quae sola antiquis in usu fuit. Nam prandium militum erat propter laborem militiae et victus

ctus asperitatem. Unde dicta est coena aIIsTou chinon (sic) quod est commune; quoniam omnibus communis fuit tam civibus quam milítibus. Vel a coëundo i. e. conveniendo. Ex quibus originibus patet, in principio per diphthongon · oe · scribi debere.

Magister recte dictaverit ἀπὸ τοῦ κοινόν. Qui verba excepit, quippe Italus homo, sonum litterae ·K· reddidit duplici ·ch·, ac diphthongum ·οι· cum ·i· confudit, vulgari pronuntiatione utens.

ad Epist. I. 16. 19. *sed vereor ne cui de te.* Hoc est non cognoscens te credis ea quae falsa de te feruntur. Contra oraculum illud PhoebeiV Noti seaphtaton (sic) hoc est cognosce te ipsum. Unde Plutarchus Trajano: » Tu vero quidvis rectissime geres si non recesseris a te ipso, si primum te composueris, si tua omnia disposueris ad virtutem, recte tibi procedent universa."

Magister dictaverit γνῶθι σεαυτόν. In quo iterum notanda Romana pronuntiatio vocalis · υ · in diphthongo · au · — Ceterum, quae Plutarchi nomine citat Scholiasta, leguntur in ea, quae Plutarchi fertur, sed procul dubio spuria est, Epistola Latina ad Trajanum, edita a Sarisberiensi L. V. Polycrat. c. 1. repetita a Fabricio in Biblioth. Graec. T. III. p. 365.

ad Epist. I. 17. 18. *mordacem Cynicum.* Epitheton conveniens. Nam Cynici philosophi erant dicti a chiri chiros (sic) quod est canis: quoniam per urbem dictis suis universos homines mordebant, omnium vitam, praeter suam, reprehendentes. Hi jubebant quidquid natura posceret, aperte fieri, neque excedere naturalis necessitatis lineam. Quorum

rum Cynicorum secta, quoniam a civilibus moribus abhorrebat, penitus abjecta est.

Magister dictaverit a *κύων*, *κυνός*.

ad Carm. II. 20. 21. *Naeniae.* Carmina cum lamentatione mortuo vel morituro accinuntur Παρα ΠονΗαΤοΝ id est *ἐσχατον* unde & m cordis extremus nervus *νηΤΗ* est appellatus.

Verba corrupta emendentur ex loco Diomedis L. III. p. 482. quem magister ob oculos habuit: *Apud Romanos autem id carmen, quod, cum lamentatione extremum atque ultimum mortuo accinitur, Nenia dicitur, παρὰ τὸ νείατον* i. e. *ἔσχατον*: *unde et in chordis extremus nervus appellatus est νήτη*.

3. Visne praeterea, quo persuasum habeas haec Scholia a discipulo esse scripta, vitia ex dictando orta? age, haec scholia legito:

ad Epist. I. 2. 70. *quod si cessas.* Cessare est ab operibus vacare hoc est otio se trahere. (sic) Virgil. in Buc. [VII. 10.] » Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.

Magister dictaverit *otio se tradere.*

ad Epist. I. 14. 1. *villice silvarum.* In hac Epistola rusticum arguit de inconstantia, qui in urbe ruris habitationem desiderat, ruri autem urbem. Se autem dicit in urbe positum ruris desiderio tangi. Castigat villicum suum quod illius ager sordeat quemcunque (sic) aliquando possederunt senatores.

Magister, qui hoc scholion ex Acrone desumsit, dictaverit *quem quinque.*

ad Epist. I. 17. 15. *fastidiret olus.* Ex historia su-

sumit exemplum, quod plerumque prosit amicitia majorum, proponens duos philosophos cet. Quadam igitur die, Diogene olera colligente, dixit Aristippus: Diogenes, si sciret regibus uti, fastidiret olus, sicut ego. Sunt autem qui putent antistare (sic) de Aristippo tale quid dixisse.

Magister, qui potiorem hujus scholii partem ex Acrone desumsit, dictaverit *Antisthenem.*

ad Carm. IV. 11. 16. *Aprilem.* Dies Aprilis erat dicatus Veneri marinae, nam ex prima (sic) humana jacta in mare orta est, quam spumam Graeci . . . . dicunt.

Magister dictaverit *ex spuma.* In lacuna supple vocem ἀφρός. Cf. Placidi Gloss. in voce *Janus.* « *Aprilis mensis Veneris, quasi Aproilis* (l. Aphroilis), *quia Graece* 'Αφροδίτη *Venus dicitur, quod ex maris spuma dicatur esse progenita:* ἀφρὸς *enim Graece spuma est.*"

De aetate hujus Scholiastae, nihil certi possumus suspicari ex ipsis scholiis, quamquam auctor non semel de seculi sui rebus loquatur. Quemadmodum:

ad Epist. I. 2. 32. *surgunt de nocte latrones.* Latrones dicuntur obsequi et servire mercede: unde latrones dicuntur conducti milites quasi laterones, quia circa latera [1] leguntur; quos nunc Satellites vocamus.

[1] Geelius suspicatur corrigendum esse *sequuntur.*

ad Epist. I. 2. 58. *Siculi tyranni.* i. e. Dionysius et Phalaris. Tyrannus apud majores nihil distabat a rege, ut: [Virgil. Aen. VII. 266.] » Pars mi-

mihi pacis egit dextram tetigisse tyranni." Hodie dicitur qui regnum usurpat.

ad Epist. I. 4. 2. *in regione Pedana*. Pedana, regio inter Tibur et Praeneste est, a Pedano quodam, cujus adhuc monumentum extare dicitur.

ad Epist. I. 14. 21. *popina*. Dicitur ea quam nunc tabernam appellamus. Inde popinones tabernarios vel qui in taberna vitam agunt.

ad Epist. I. 15. 23. *echinos*. Echini pisces sunt marini qui maxime ad coitum faciunt, in fundo maris adhaerentes spinosi in modum castaneae exterius; qui et vulgo Zizini dicuntur.

ad Carm. II. 9. 7. *querceta Gargani*. Garganus mons est Brutiorum in sinu Hadriatico, haud longe a Siponti civitate. Hodie sacer est apparitione beati Michaëlis Archangeli et ejus templi dedicatione.

ad Carm. IV. 14. 1. *quae cura patrum*. Hic innuit arcus triumphales, quos constat plures factos in honorem virorum fortium impensa S. P. Q. R. ut ille est qui in honorem L. Septimii et M. Aurelii Pii adhuc apparet post Nervae sacellum in clivo Capitolino multis titulis praevocatus. Sic et plures alibi per urbem, et Collinae duae praeclarissimae.

Nam, si verum fateor, hisce indiciis vel minorem fidem habendam esse existimo, quam iis quae in Acronis et Porphyrionis Commentariis reperiri diximus. Illos enim passim integras annotationes ex antiquioribus Scholiastis descripsisse suspicati sumus: hunc certo scimus, quaedam, ex Acrone vel aliis interpretibus desumta, suo Commentario inseruis-

ruisse. Aliud etiam, quod de Acronis et Porphyrionis laboribus suspicari tantum licebat, de hujus Scholiastae labore certissimum esse videmus. Fuisse enim longe recentioris, quam quo reliqua Scholia scripta sunt, seculi homines, qui hunc Commentarium suis annotationibus ornare, imo commaculare sustinuerint, nec diversitas manus dubitare sinit, nec hoc, quod recentissimae aetatis indicium esse censeo, scholion

ad Carm. III. 6. 30. *seu vocat institor.* Institor est qui tabernae loco ad emendum vendendumve praeponitur. Paulus jureconsultus ff. de instit. act. (1).

Eadem manu recentiori equidem, sed, quod vehementer doleo, Palaeographiae nimis imperitus, suspicor scripta esse haec scholia in quibus Servius citatur:

ad Carm. IV. 11. 26. *ales Pegasus.* Pegasus, alatus equus, Neptuni filius et Medusae, ut Servius [ad Aen. II. 616.] scribit. Ovidius autem dicit libro de Fastis [III. 451.] hunc natum ex sanguine Medusae capitis excisi: » Creditur hic caesae gravida cervice Medusae Sanguine respersis prosiluisse comis." Hic more avium volabat et percussa pe-

(1) Idem compendiarium siglum adhibet Scholiasta MS. Senecae, quem Bibliotheca Trajectina possidet, ad Thyest. 215. PRECARIO REGNATUR. *Precarium est quod precibus petenti conceditur, quamdiu qui concessit patitur ut ff. de Precario L. pr prin.* Sed et hoc scholion, ut mihi videtur, a recentissima manu scriptum est.

pede terrà fontem Musarum Castalium effecit. Hujus equi ope Bellerophon Chimaeram vicit, qui postremo [1] . . . . instar equi compactum conversus est.

1 Suspicor excidisse *in sidus*. Fabulam narrat Hygin. in Poët. Astronom. L. II. c. XVIII. « *Bellerophon e Lycia victor profugiens, post fontis inventionem cum ad coelum contenderet evolare, neque longe jam abesset, despiciens ad terram, timore permotus decidit, ibique perisse dicitur: equus autem subvolasse, et inter sidera ab Jove constitutus existimatur.*" Et Scholiast. Germanici p. 109. ed. Santandr. « *Equus praeterea dimidius est — Nonnulli vero Pegasum putant qui ad astra pro Bellerophontis interitu* (l. post B. interitum) *evolaverit.*"

ad Epod. 9. 16. *verterunt bis mille equos Galli.* Ad Octavium transiverunt duo millia equitum ab Antonio, per quos victoriam consecutus est. Servius VI. [. .]

ad Epod. 13. 15. *certo subtegmine Parcae.* Subtegmen filum est quod intra stramen currit: quod Persius [VI. 73.] tramam dixit. Servius [ad Aen. III. 483.]

Quod autem dixi, hunc Scholiastam passim quaedam, ex Acronis vel aliorum interpretum Commentariis desumta, suo labori inseruisse, hoc non prohibet, quominus huic peculiaris interpretis nomen merito tribuamus. Sunt enim pauca, quae inde desumsit; in reliquis suam ipse personam agit. Operae pretium duco et hinc, speciminis causa, aliquam partem publicare. Age, ipsum sumamus Commentarii Exordium i. e. Scholia ad Epistolam primam libri primi.

ad

ad Epist. I. 1. 1. Hanc ergo primam epistolam Horatius scribit ad Maecenatem, excusans se quod amplius non posset lyrica, praetendens rationem competentem et congruam, adducens similitudinem. Haec est autem ratio: quia mutavit aetatem, debet mutare et animum in melius. Et per hoc reprehendit illos, qui, cum mutarent aetatem, non mutent in melius mentem. Similitudinem autem in sequentibus audietis. Ita ait: O Maecenas.

Vocabulum *ergo*, ab initio Commentarii positum, suspicari suadet, aut praecessisse alia quaedam, quae librarius omiserit, aut, quod verosimilius videtur, magistrum, prius cum discipulis de Horatio vel Maecenate confabulatum, hic convertisse se ad dictandum. Ubi mox dicit *similitudinem in sequentibus audietis*, videtur magis auditores suos, quam lectores, alloqui. — Post verba *quod amplius non posset lyrica*, Geelius suspicatur omissum esse *scribere*.

2. *quaeris*. Apparet Horatium oratu Maecenatis hos libros scribere officio scribendi. Ludum autem metaphoricôs vocavit ut ostenderet periculosum opus scribendi esse quia post pugnam contulit se ad agriculturam.

Sunt duo scholia, quae discipulus male in unum conglutinavit. Magister alterum sumsit ex uno Cruquianorum interpretum: *Videtur Horatius hanc epistolam Maecenatis hortatu scripsisse*. Alterum, cui lemmatis loco praeponenda sunt verba *includere ludo*, desumsit ex Acronis Commentario: *includere ludo. Officio scribendi. Ludum autem μεταφορικῶς vocavit, ut ostenderet periculosum opus esse scribendi, quia post pugnam contulit se ad agriculturam*.

4. *Vejanius*. Nomen unius gladiatoris. Et per si-

similitudinem ostendit se non posse amplius lyrica carmina scribere, non magis quam Vejanius potuit gladiaturam exercere, postquam fuit meritus et arma reddidit Herculi.

6. *extrema arena.* Ideo extrema, quia extremae sortis homines pugnent: aut, quod juxta podium adorantes currant.

exoret. Ne sub circo Amphitheatri stans petat rudem. Nam ibi consuetudinis est, stantem gladiatorem petere missionem.

Magister in brevius contraxit quae uberius ab Acrone exposita sunt: *ne populum extrema exoret arena. Quia gladiatores, portaturi* (l. petituri) *rudem, ex media arena consueverunt se ad crepidinem Circi demittere proximi* (l. proximos), *ut possent populum tristi vultu velocius exorare. Id est, sub circulo Amphitheatri stans petat rudem. Nam ibi consuetudinis est, stantem gladiatorem petere missionem.*

7. *est mihi.* Est mihi, inquit, magister philosophus qui personet aurem et faciat purgatam: non qui aurem meam purgatam personet: sed qui verba personet et faciat aurem meam purgatam.

Acro: *est mihi. Modo philosophus qui personat aurem et faciat purgatam.*

9. *peccet ad extremum.* M. Tullius primo de Officiis [c. 34. §. 7.] » Luxuria vero cum omni aetati sit turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem libidinum intemperantia accessit, duplex malum est: quod, et ipse senectutis (sic) concipit dedecus, et facit adolescentium imprudentiorem intemperantiam."

18. *relabor.* Bene per hoc notat se a juventute

sua

sua fuisse Epicureum. Ut Aristippus, a quo Cyrenaici et Annicerii philosophi surrexerunt, qui in voluptate omne bonum posuerunt.

19. *conor.* Quia quando diversos adimus magistros, singulos celebrare volumus. Alias. Quoniam avari pecuniis serviunt, ideo Horatius, quasi philosophus, dicit: conor ut mihi serviant pecuniae, non ego illis serviam. Nam illa nobis serviunt quae contemnimus.

Prior explicatio magistri est. Alteram habet ex Acrone: *Quoniam avari pecuniis serviant, ideo Horatius, quasi philosophus, ait: Conor ut mihi serviant pecuniae, non ego illis. Nam illa nobis serviunt quae contemnimus.*

22. *pupillis.* i. e. pueris patre carentibus, qui nondum quartum decimum annum superarunt.

28. *Lynceus.* Quia dicit quodsi ego non possum videre quantum Lynceus, non tamen dimittam curare et praestare omnibus officium meum. Lynceus enim lupus est cervarius, qui acie visus parietem penetrat. Lynceus fuit vir quidam summae in videndo acuitatis, teste Seneca in Medea [vs. 231.] » Quique trans pontum quoque summota Lynceus lumine immisso videt.«

Videtur scholion ex duabus variorum interpretum annotationibus conflatum; quorum alter de lupo, alter de homine exposuit. Qui nomen ab animali repetiit, *lynces* cogitavit, quae, teste Plinio H. N. XXVIII. 32. *omnium quadrupedum clarissime cernunt.* Alter consentientem habet Acronem ad Sat. I. 2. 90. *Lynceus quidam tantam vim in acumine oculorum dicitur habuisse, ut trans parietem videret, et, dum staret in Sicilia, videret classes de Africa exeuntes.* Nec absurdum est opinari, Lynceum, ab acutissima sua, qua lyncem aequaret, oculorum a-

acie, nomen suum accepisse. Scholiasta MStus Bibliothecae Trajectinae ad Senec. Med. 231. *Lynceus fuit socius Jasonis, habens visum acutissimum, sicut lynx; qui videbat ultra mare.* — Ceterum vox *acuitas*, quam Scholiasta hic usurpat, macula est quam ab aevo suo contraxit; ut et verbum *contentari*, quod legitur in scholio ad vs. 90.

32. *si non datur ultra.* Q. d. volo dicere quid sufficiat mihi, si non possum prodire in illud excelsum culmen sapientiae ad quod reliqui Philosophi pervenerunt.

34. *lenire dolorem.* Vitium morbus est animi; ambitio, amor est laudis.

39. *nemo.* Posset aliquis dicere, quare incipis cum non possis omnibus prodesse. Respondet imo [1] ni tenuatur. Nam illud desiderium virtutis magna pars est virtutis; quoniam qui effugit vitium, parvo temporis intervallo virtutem sibi reddet familiarem.

[1] Gesnerus opinatur corrigendum esse *ni renitatur*, vel *ni renuat*. Explicantur enim Horatii verba *si modo culturae* cet.

43. *repulsam.* Vocat rejectionem ex equestri pulvino, ut ait Juvenalis [III. 154.] „Cedat et de pulvino surgat equestri Cujus res legi non sufficit."

49. *circum pagos.* Pagus est fons: inde Pagani dicuntur eo quia juxta pagos habitant.

54. *Janus.* Primus rex fuit in Italia, tantae prudentiae, ut nihil umquam in regno pertulerit adversi. Ob quam causam Deus meruit appellari. Et in ejus tutela ingressus aedium i. e. januae sunt dedicatae. Hic biceps pingebatur inaurata veste, quae erat inscripta his versibus: O cives, cives,

quaerenda pecunia primum est, Virtus post nummos. cet.

57. *si quadringentis, sex septem millia desunt.* Post legem Roscii Othonis latam de equestri ordine in scenam disponendo ad spectacula. Cautum enim erat ea lege ut qui non haberet censum quadringentorum sex millium sestertium, in primis gradibus quatuordecim ab Orchestra i. e. a pulpito h. e. ornato ubi ludi agebantur. Reliqui omnes, ut ditiores, ita proximiorem locum obtinebant. Hanc legem poëta tamquam rem stultam victu pera. dicens: O cives, cives, quaerenda pecunia cet.

Hoc scholion pluribus mendis laborat. Primus Scholiasta, male intelligens Horatii verba, statuit Equitum censum CCCCVI millium HS, quem tantum CCCC millium HS fuisse, et aliunde scimus et recte docet Acro; *Quoniam Roscius jussit non debere fieri equitem Romanum, nisi haberet quadringenta millia aeris.* — Deinde post vocem *sestertium* exciderunt verba *non sederet* vel *non spectaret.* — Porro repetitum siglum *i. e.* et *h. e.* in explicatione τοῦ *Orchestra* plane turbat sensum: adeo ut, nisi posterius illud *h. e.* tolli sinas, equidem explicationem non intelligam. — Et tandem pro *victu pera.* scribendum est *vituperat.*

61. *nil conscire.* Sensus est hic: qui neniis puerorum futurus sit rex hic constantissimus ut nihil agat qua conscientia teneatur et culpari possit.

64. *maribus Curiisque Camillis.* i. e. Viris nobilibus non ab histrionibus ut tragoedia Puppi.

65. *isne melius suadet.* Ostendit quomodo secundum legem Rosciam debemus acquirere divitias. Si possumus, recte; si non juste, et injuste. Quod etiam Juvenalis [XIV. 207.] dicit: » Unde habeas, quaerit nemo: sed oportet habere.«

71.

71. *non iis porticibus.* Est autem porticus locus tectus aut fornicatus, ubi cives aut sedent aut deambulant simul colloquentes: in quibus antiqui imagines majorum habebant, et triumphos suos pictos in parietibus accedentibus ostendebant.

80. *occulto foenore.* Propter legem majorum, quae in fures et foeneratores lata erat his verbis: Furem dupli, foeneratorem quadrupli condemnamus.

Respicit Scholiasta Leges XII Tabularum, in quibus has poenas statutas fuisse, tum aliunde scimus, tum ex Catonis Prooemio de Re Rust. « *Majores nostri sic habuerunt, furem dupli condemnari; foeneratorem quadrupli.* » Cave vero credas, Scholiastam ipsa legis verba retulisse; imo, sensum legis sciens, ipsa legis verba sibi finxit. Cf. Funccius in Commentario ad Leg. XII Tabb. p. 159 seqq.

87. *lectus genialis in aula est.* Hoc est, si uxorem habet, non habere cupit: si non, exoptat habere; et sic numquam quiescit.

90. *Protea.* Per similitudinem ostendit animum divitis numquam contentari: nam nunc unum, nunc aliud cupit, non minus quam Proteus et Vertumnus deus, qui diversas formas sibi assumebant. Sic insipientis voluntas semper mutabilis est.

91. *coenacula.* A coenando dicta. Erat autem locus in parte aedium eminens, adeo ut per scalas in eum fieret adscensus, ubi antiqui comedebant.

Hinc explicanda sunt verba Festi: *Caenacula dicuntur, ad quae scalis adscenditur.* Sed hoc jam notum erat ex Varrone de L. L. IV. p. 39. *Ubi cubabant, cubiculum; ubi caenabant, caenaculum vocitabant. — Posteaquam in superiore parte caenitare coeperunt, superioris domus universa, Caenacula dicta.*

101. *insanire putes.* Per quamdam similitudinem insanientis in sacris deorum ostendit insaniam populi, quod scilicet ut in sacris deorum spernit interesse, sic etiam populus negligit Philosophiae praecepta, neque curat nisi quae sunt contraria.

108. *pituita.* Morbus, qui, intra nares veniens, totum nasum inflat: propter quem poëta notat inanem gloriam.

Et haec quidem speciminis causa publicasse sufficiat, quo probaremus, auctorem horum Scholiorum, quippe ab editis Scholiis diversorum, merito sibi nomen peculiaris Scholiastae vindicare: quamquam is, ex mea quidem sententia, talis est, qui meliori Horatianorum poëmatum intelligentiae nihil, et universae Literarum explicationi vix quidquam novi afferat.

Finita disputatione mea, nunc, quod supra promisi, addam, quae Geelius V. Cl., a me consultus, de aetate hujus Codicis et mea qualicunque suspicione commentatus est:

» Codex Horatii, de quo sententiam meam roga» visti, est valde recens, nec tempora inventae ar» tis typographicae superat. In Italia scriptus est:
» ex eorum genere, qui tunc conducta opera scri» bi solebant, exquisita membrana, nitidis literis.
» Quamobrem, etiamsi tu recte suspiceris, Scholia

» es-

» esse calamo excepta a discipulo, hoc ita defi-
» nias velim, ut magistrum quendam hunc Com-
» mentarium dictasse dicas, indeque Leidensis Co-
» dicis librarium excerpta margini textus Horatiani
» adscripsisse, admixtis nimirum aliunde excerptis:
» veluti ad Epod. VI. 14. de Bupalo haud dubie
» e tribus diversis commentariis hausit. Hujusmo-
» di igitur Scholia vel magister corraserit, vel qui
» postea Codicem Leidensem conscripsit. Quodsi
» hanc conjecturam probas, mihi praeterea credes,
» et textum Horatii et Scholia ab eadem esse ma-
» nu. Etenim discolor in aliquot locis scripturae
» genus nihil probat, nisi diversis temporibus, aut
» vario atramenti temperamento, adpicta esse scho-
» lia; quae autem apparet literarum diversitas,
» accurate inspicienti tibi non officiet: quippe ho-
» die etiam alio tempore aliter scribimus pro ae-
» tate vel otio. In scribentis manu idem obtinet,
» quod in vultu: cujus mutantur aetate lineamen-
» ta, illud autem servatur ac constans est, quo
» hominem agnoscimus. Simplex observatio, sed
» quae saepe eos fugit, qui libros scriptos explora-
» bant. Igitur fateberis exceptioni locum esse, ubi
» affirmas, tria esse, e quibus Scholia altero di-
» ctante ab altero conscripta fuisse pateat.

» 1. Nam quod lacunae sunt, eaedem in mille
» libris reperiuntur; ac praesertim caute scribebat
» librarius, ex alio libro describens, si verebatur
» ne postea vitiose scriptum vocabulum inducen-
» dum ac litura paginae maculandae essent. Et
quam-

AUCTARIUM SCHOLIORUM

EX

VARIIS CODICIBUS

SPARSIM A BARTHIO IN ADVERSARIIS

EDITORUM.

Ad Sat. I. 2. 1. *Ambubajarum collegia, Pharmacopolae.* Ambubaja Syrorum lingua tibicinem notat. Collegia autem totam Symphoniam dixit. Pharmacopolas mox ait alteram partem facere, ejus scilicet egregii collegii. Barth. *Advers.* L. XXXVIII. c. 6. (*Vetus membrana.*)

37. *audire est operae pretium.* Sitne bonum descendere ad nobiles matronas. Non quod descendenti imminet maximum dedecus. Barth. *Ibid.*

47. *tutior at quanto merx est.* Sitne bonum descendere ad maritatas. Barth. *Ibid.*

74. *dives opis natura suae.* Matronarum aut nobilium foeminarum tantum erat gestare lapillos et margaritas et talia. Barth. *Ibid.* (*Non contemnenda Glossa in casco et tineis exeso libro.*)

ad Epist. I. 1. 6. *exornet* (sic) *arena.* Aurum dicit quod populus victori postulat. Unde Juvenalis [VII. 243.] » Accipe victori populus quod po-

postulat, aurum." BARTHIUS L. XXXVII. c. 19. (*Glossa vasci magistri in MSto Codice sexcentorum amplius annorum.*)

34. *sunt verba et voces.* Verba, praecepta; voces, blandae persuasiones. BARTH. *Ibid.* (*Glossa pervetus.*)

54. *Janus summus ab imo Prodocet.* Primum docet. BARTH. *Ibid.*

69. *hortatur et aptat.* Aptat, informat docendo. BARTH. *Ibid.*

ad Epist. I. 4. Ad Albium Elegium (sic) scriptorem. Fuit hic Albius eques Romanus, qui primus in amatorio carmine habetur; eum per Ironiam irridet Horatius, quasi bene rem gesserit, cum in juventute omnia prodegerit, et postea versibus victum quaesiverit. Ergo ubi eum laudat, se innuit Horatius; ubi vituperat se et Epicurum nominat, Albium intelligit, quem ridendum ait quod prodegerit omnia, jam nihil habens, quo, ut solebat, cutem curare posset. Quod vero ait [v. 7.] *Dii tibi divitias dederant*, manifesta ironia est. Nam Epicuri, non credentes Deos habere curam rerum humanarum, omnia prodigunt; quod postquam factum est, omnibus sunt ridiculi. BARTH. *Ibid.* (*Titulus membranarum plane senio detritarum, aliena manu ad ductus veterum literarum renovatus.*)

Pro *Elegium* legendum erit aut *Elegiarum*, ut est apud Acronem *Hac Epistola Albium Tibullum alloquitur, Elegiarum scriptorem*, aut, quod habet Comment. Cruquii *Elegorum.* — Pro *Epicuri*, quod mox sequitur, scribe *Epicurei.*

ad

ad Epist. I. 5. 20. *contracta quem non in paupertate solutum.* Solutus, copiosus. BARTHIUS L. XXXVII. c. 22. (*vetus Glossographus.*)

ad Epist. I. 10. 25. *et mala perrumpet furtim fastigia victrix.* Fastigia, summitates deliciarum. Quare etiam mala adjunxit. BARTH. *Ibid.* (*In membranis sexcentis annis aetate grandioribus.*)

ad Epist. I. 12. 20. *Empedocles an Stertinii deliret acumen.* Stertinius notissimus Epicureus fuit: vel quod finxit nomen Horatius, quia voluptati dediti stertere plerumque solent. BARTH. *Ibid.* (*Glossa in antiquissimo et fidelissimo Codice.*)

ad Epist. I. 13. 10. *viribus uteris per clivos, flumina, lamas.* Lemos est vorago, unde dicuntur Lamae, ubi pluviae remanserunt. BARTH. *Ibid.* (*Glossa prisci magistri.*)

14. *et vinosa globos furtivae Pyrrhia lanae.* Apud Ticium poëtam introducitur Pyrrhia ancilla furans lanam dominae suae. BARTH. *Ibid.* (*Glossa in libro blattis situque exeso.*)

De Ticio poëta equidem numquam audivi. Sed vix dubito, quin *Titinii* s. *Titinnii* nomen substituendum sit, illius, quem Nonius toties citat, et cujus fragmentum a Porphyrione memorari supra vidimus p. 147. Assentitur Comment. Cruq. *Pyrrhia. Nomen est ancillae in quadam fabula Titinii, quae furata lanae glomos, ita gestavit, ut deprehensa sit.*

ad Epist. I. 14. 3. *dimittere.* Causa fori. Scilicet agrum quinque bonis et probis patribus familias rusticanis. BARTHIUS L. XV. c. 3. (*Glossa non contemnenda in veterrimo meo libro.*)

3.

8. *variam.* Pro adverbio accipe: non pro nomine proprio. Barth. *Ibid.*

10. *tesqua.* Loca inutilia, quae subigi non possunt. Loquitur in villicum. Lucilius in II. „per inhospita tesqua vagantem rerum animo sequitur captarum gratia major." Barthius *Ibid.*

Hic locus addi poterit Lucilii Fragmentis a Dousa collectis, ut et vox *Catella*, quam a Lucilio usurpatam esse mox docemur. Aliud contra fragmentum, utpote perperam Lucilio adscriptum, monemus demendum esse eidem Collectioni p. 11. n. 77. *Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.* Haec enim non Lucilii, sed Virgilii verba sunt Aen. I. 676.

ad Epist. I. 15. 37. *bestius.* Bestialis. Barth. L. XXXVII. c. 22. (*In exesis membranis.*)

40. *comedunt bona.* Patrimonia sua. Barth. *Ibid.*

ad Epist. I. 16. 51. *adopertum milvius hamum.* Adopertum cadavere. Barth. *Ibid.* (*Cascus Codex.*)

64. *in triviis fixum cum se demittit ob axem.* Fixum, a lusoribus, quem pueri ponunt fixum filo propter ludum acclinantium. Barth. *Ibid.* (*Glossa in manu exaratis membranis.*)

74. *perferre patique.* Perferre ad corpus, pati ad animum refert. Barth. *Ibid.* (*Glossa vetustissima.*)

ad Epist. I. 17. 55. *catellam.* Diminutivum est a catena, dixitque catellam imitatione Lucilii. Barth.

Barth. *Ibid.* (*Glossa in omnium antiquissimo, quot mihi videre contigit, Exemplari.*)

59. *Planus.* Planus iste solebat sponte cadere in foveam, cum vellet portari a transeuntibus usque in urbem, et deinde portantes deridebat. Postea contigit ut nolenter caderet et crus frangeret; tum ita mortuus est. Barth. *Ibid.* (*in eodem Codice.*)

ad Epist. II. 2. 80. *contacta sequi vestigia vatum.* Contacta, id est, ab aliis inceptas materias. Barthius L. XXXVII. c. 18.

Sub finem libelli, operae pretium duxi, Auctarii loco, colligere scholia, quae Barthius ex variorum Codicum membranis edidit: quum is, qui in describendis suis Codicibus plerumque negligentior fuit, pro more suo, nihil amplius, quo dignosci possint, addiderit, quam epitheta: *Glossa vetus*, *Glossa pervetus*, *Glossa casci magistri*, *Glossa in libro blattis situque exeso* et similia, quae οὐκέτ' ἔχει πίστιν οὐδὲ σαφήνειαν· ita quidem, ut non solum ignoremus, quales isti Codices fuerint, sed etiam, quot fuerint, ne divinare quidem possimus. Quapropter, quum non habeam, quod de singulis horum Scholiorum auctoribus dicam, permitto mihi id, quod ἐν ταῖς γεωγραφίαις οἱ ἱστορικοὶ faciunt, qui, si quid cognitionem suam fugiat, id extremis tabularum partibus supprimentes, in margine alicubi annotant: ὅτι Τὰ ἐπέκεινα, θῖνες ἄνυδροι καὶ θηριώδεις, ἢ πηλὸς ἀϊδνής, ἢ Σκυθικὸν κρύος, ἢ πέλαγος πεπηγός.

Haec

Haec sunt, quae de Horatii Scholiastis disputaremus: de reliquis enim, quos diximus in exterarum regionum Bibliothecis servari ineditos, nunc quidem, utpote nullas omnino notitias nacti, tacere cogimur. Speramus autem fore, ut Hauthalius, qui et Parisinam et alias Bibliothecas visitavit, brevi ea, quae de ineditis Horatii Scholiastis collegit, cum erudito orbe communicaturus sit.



AD.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

p. 6. *l.* 20. numerandam esse censet. *Adde hanc annotationem:* Simile judicium tulerunt Bipontini, qui in Indice editioni suae praemisso: *Editio*, aiunt, *praestans et raritate et bonitate. Operam enim per multos annos assiduam posuit Fabricius in restituendis Veteribus Scholiastis.* Ceterum optabile sit illi, qui hos Scholiastas editurus sit, nancisci exemplar, quod in Bibliotheca Dresdensi servatur, cui ipse Fabricius permultas emendationes manu sua adscripsit, ut docet J. C. Götzius in libro: Die Merkwürdigkeiten der Koniglichen Bibliothek zu Dresden, Sechste Sammlung p. 527. haec scribens: » *Georgius Fabricius muss mit dieser Edition nicht zufrieden gewesen seyn, denn er hat in unser Exemplar viel tausend Verbesserungen mit der Hand geschrieben.*"

p. 19. *l.* 7. Ita liber Sex. Decii Collyra inscribitur. *Adde hanc annotationem:* Aliter hunc locum citat Fr. Dousa in Fragm. Lucilii p. 56. *Sic et liber Lucilii decimus sextus Collyra inscribitur.* Sed vulgarem lectionem sequitur et Cortius ad Sallustii Catilinam p. 2. A. et, qui de hujusmodi Epigraphis docte disseruit, Broukhusius ad Propertii Cynthiam p. 1. B.

p.

p. 73. *l.* 13. magnituditunem. *Lege:* magnitudinem.

p. 92. *l.* 14. *Adde hanc annot.* Aliud praeterea Terentii Scauri fragmentum invenire mihi videor in verbis Gainfredi, quae mihi nuper innotuerunt ex Catalogo Auctorum a Gainfredo Grammatico laudatorum, quem dedit Ang. Majus in Classic. Auct. e Vatican. Codd. editorum T. V. p. 150. [Gainfr. p. 19.] » *De consuetudine, quae nunc est, Terentius dicit: » nihil est quod dictum prius."* *Sed injecit: » postrema aetas mundi, ut disciplinam pristini saeculi, ita et sermonem fastidire coepit, et nova parere verba, quae juvenum ritu florent et vigent."* Quae verba videntur pertinuisse ad Art. Poët. vs. 60. seqq.

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.

Quamquam Majus in Praef. ad Virgilium Grammaticum §. 7. p. XXII. opinatur hunc Terentium ferme Virgilii Grammatici fuisse aequalem.

p. 93. *l.* 15. Columna Maenii. *Adde hanc annot.* Lege potius *Columna Maenia.* Sic enim vocatur a Cicerone pro Sextio c. 58. et Divinat. in Caecil. c. 16. §. 50. ad quem locum quae Asconius notavit, digna sunt quae cum Porphyrione conferantur: *Maenius*, inquit,

cum

cum domum suam venderet Catoni et Flacco Censoribus, ut ibi basilica aedificaretur, exceperat jus sibi unius columnae, super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri ejus spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur Columna Maenia vocitata est.

